Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Kortholt

Christiani Kortholti, S. Theol. D. Prof. Primar. & Pro-Cancellarii Acad. Kilon. De Persecutionibus Ecclesiae Primaevae Sub Imperatoribus Ethnicis, Liber

Kiloni: Reumannus, 1688

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Pr. Ind. 152 p Ind
Pr. 356 p Ind
Ded. 507 p Ind
B 1. 6.

F. f – 1109 1–3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn810717247/phys_0002
DFG

M. Eric. Sim. Henr. a Seelen De natalitiis ad Concilii Laodic. can. 52. Lub. 1742. De natalitiis martyrum quædam loca ex Petro venerabili et Anastasio bibliothecario addidit, a Sagittario omissa. Et in canone Laod. non martyrum, sed proprie dicta natalitia prohibita esse, defendit, contra Joach. Hildebrandum et alios. Idem videas apud Bingham. Vol. IX. p. 225.

Assemanni Acta Sanctorum martyrum ex Mstis Syriacis bibliothecæ Vaticanæ, Rom. 1748. 2 vol. in fol. vid. zuverlässige Nachricht von dem gegenw. Zustande der Erstenschr. P. 133. p. 3. Nova acta eruditi. 1751. p. 49.

J. A. Fabricii Notitia propagator. per orbem totum Christianor. sacror. p. 134.

CHRISTIANI KORTHOLTI,
S. Theol. D. Prof. Primar. & Pro-
Cancellarii Acad. Kilon.

DE PERSECUTIONIBUS ECCLESIÆ PRIMÆVÆ SUB IMPERATORIBUS ETHNICIS, LIBER.

KILONI,
Typis & sumptibus, Joachimi Reumanni,
Acad. Typogr. cIↃ IↃc LXXXIIX.

F 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0005
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI ET
DOMINO,
DN. FRIDERICO,
HEREDI NORVAGIÆ, DUCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ AC DITHMARSIÆ, COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST;

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,
FELICIA OMNIA!

QVod olim Salvator prædixerat, Sereniſſime Princeps, Domine clementiſſime, ne inferor

ferorum quidem portas adversus Ecclesiam valituras esse, ei quam accurate eventus responderit, non aliunde rectius quam ex primævorum Martyrum historia constare potest. Persvasum erat Ethnicis, cruciatuum multitudine & acerbitate religionem deleri posse Christianam. Hinc, (liceat repetere, occasione hac, quibus jam alibi varia sanctis illis Dei militibus constitui solita supplicíorum genera summatim expressimus) igne & aqua, gladio & cruce, in Christi cultores sæviebatur, leopardis, ursis, tauris, leonibus, vivi illi objiciebantur, in oleum bulliens mittebantur, super crate ferrea assabantur, candenti pectine & novaculis lacerabantur, caudis equorum alligati per strata viarum resupini trahebantur, reflexis arborum ramis alligabantur, ut, iis pro indole sua cum impetu diffusis distractisque, ipsi una distraherentur, in eqvuleo torqvebantur, in Phalaridis tauro mugiebant, super testulas nudo corpore volutabantur, nudatis pedibus super prunas ambulabant, plumbo ac pice fervente perfundebantur, palis suffigebantur, obterebantur ponderibus, in profluentem demergebantur, ex altissimis locis præcipitabantur, laminis candentibus excruciabantur, uno pede aut brachio suspendebantur, melle peruncti in ardentissimo Sole muscis & culicibus nudi exponebantur. Verumtamen hæc aliaque tormenta innumera, quæ vel Busiridi in

di in mentem nunquam veniſſent, tanta animi fortitudine, tanta alacritate exhauſerunt priſci illi divinæ veritatis teſtes, ut, ſimul ſententia in priores pronunciata eſſet, aliunde alii ad Judicis tribunal accurrerent, ſeque in necem adeo atrocem, ſolo Christi amore, offerrent, acerrima etiam cruciamenta pro nihilo putantes, cumque gaudio & tripudiis ad mortem feſtinantes. Tantum videlicet abfuit, ut tyrannide iſta in rem conferre potuerint Pagani ſuum illud: *Chriſtiani non ſunt! Chriſtiani tollantur! Non licet eſſe vos! Tolle Atheos!* ut potius oggeſſerit heic ipſis ex re & vero Tertullianus: *Nec quidquam proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra; illecebra eſt magis: ſectæ plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et nihilo tamen ſecius adeo firmiter profanorum animis inhærebat opinio, penitus ex orbe eliminatum iri tandem nomen Chriſtianum, ut ipſum etiam tempus, quo futurum id eſſet, definire haud dubitarent; puta poſt annorum CCCLXV decurſum, uti Auguſtinus annotavit, & ante eum, tametſi ipſo anno non ita clare expreſſo, Gregorius Nazianzenus. Qui Paganis heic inſultans, *Ubi*, inquit, *illa adverſus Chriſtianos oracula, & minæ, noſtrique ad præſtitutum diem, etiam ad ipſum usque nomen, oppreſſio? Evanuerunt omnia: falſæ ſunt, diffluxerunt, ſomno ſimiles extiterunt impiorum*

jactationes. Nempe ita triumpharunt de tot hostibus & persecutoribus, de tot insidiis & calumniis, Christiani, ut tandem κρατῆντες inde, sive *prævalentes*, ipsorumque religio ἡ κρατῆσα δόξα, Gentilibus diceretur, observante alicubi illustribusque testimoniis firmante doctissimo Valesio. Quæ vero ipsorum victoria quam cruenta atque luctuosa fuerit, ut jam supra tribus quasi verbis indicavimus, ita pluribus ostendit noster hic de Persecutionibus liber; in eo occupatus unice, ut bella Domini, quæ generosi illi Ecclesiæ veteris athletæ pro CHRISTI gloria præliati sunt, cum cura describat, & illustriora sanctorum certaminum exempla religioso lectori pie consideranda proponat.

Eum vero Tuis celsissimis manibus offerre ut ausim, Sereniſſime Princeps, non una ratione moveor. CIMBRIAM natale solum agnosco. Prima pietatis & artium fundamenta SLESVIGÆ jeci, quando ex contigua ei fere Gottorpiensi arce feliciter res patriæ moderabatur glorioſiſſimæ recordationis Princeps, Dominus Avus Tuus, TIBI, Domine, ὁμώνυμος, maximus ille FRIDERICUS: cujus immortale nomen per Asiam non minus tunc, & præcipue PERSIAM, quam per Europam ante pridem, factis

ctis conatibusque auguſtis celebrari cœperat. Cumque jam exteris Academiis operam addixiſſem, inde evocatum me, patriis inſervire commodis voluit, ubi primum caput erigeret Kilonienſis hic Parnaſſus, inclytus ejus fundator, Sereniſſimus Parens Tuus, Dn. CHRISTIANUS ALBERTUS, Princeps ac Dominus noſter clementiſſimus. Qui & meos ibi exantlatos labores Academicos ſingulari adeo gratia conſtanter ex eo eſt proſeqvutus, ut, niſi quavis data occaſione id profiterer, tantamque benignitatem publice etiam deprædicarem, mortalium ingratiſſimum bonorum omnium judicio me eſſe oporteret. Tot proinde nominibus domui Cimbricæ obſtrictus, eccui potius quam Tibi, Sereniſſime Princeps, librum hunc meum nuncupem; quem in ſingulare ejus ornamentum, futuramque patriæ proſperitatem, glorioſiſſimorum majorum virtutibus ſuccreſcere, perſpicuis adeo minimeque fallacibus indiciis edocemur? Age igitur, excipe opuſculum iſtud meum vultu ſereno, Sereniſſime Domine, & numquam intermoritura gratia Muſas noſtras complectere. Imitare veteres illos heroas, Alexandrum M. Octavium Auguſtum, ſimilesque viros Principes, quos certatim inſcriptos ſibi oblatosque varii argumenti commentarios hilari fronte acceptaſſe, eorumque conditores

ſingu-

singulari clementia dignatos fuisse novimus. Sic Te incolumem semper florentemque præstet, sic omnigena Te felicitate cumulet, quæque ad corporis pariter & animæ commoda spectant abundantissime largiatur benignum Numen! Scribo in Academia, quæ Kilonii Holsatorum est, Christian-Albertina, pridie Kal. Septembr. anni CIↃ IↃC LXXXIIX.

SEREN. T.

humillima animi submissione
colens

CHRISTIANUS Kortholt/ D.

PRÆ-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0012
DFG

PRÆLIMINARIA,
DE
PERSECUTIONIBUS ECCLESIÆ APOSTOLICÆ.

CONSPECTUS.

I. *Diabolus semper Christo insidiatus est hujusq; Ecclesiæ.*
II. *Persecutio Apostolorum.*
III. *Persecutio sub Claudio.*
IV. *Locus Act. 18, 2. expensus.*
V. *Tiberius Christi ἀποθέωσιν meditatus est.*
VI. *Persecutiones publicæ sub Imperatoribus Ethnicis quot & quænam.*

I.

Diabolus semper Christo insidiatus est hujusque Ecclesiæ.

Naturale est, & odisse quem timeas, &, quem metueris, infestare, si possis; ait apud Minucium Felicem Octavius Januarius. Verum id esse, inter alios suo docet exemplo antiqvus ille serpens infernalis. Quam primum scilicet is senserat, capitis sui contritorem, toties &

tamdiu orbi promissum, totque piorum votis ac suspiriis expetitum, nunc tandem adesse, vah, quanto odio adversus eum exarsit! quanto id egit conatu, ut hunc mortalium redemptorem pessum daret & opprimeret! Vix mundum ingressus erat Christus, quando insidias ei struebat Satanas per organon suum Herodem Magnum, Antipatri filium: qui, vaferrimum de ipso tollendo consilium iniens, omnes terræ Bethlehemiticæ infantes bimulos truculento ferro transverberavit, martyrumque innocentium sanguine crudeles manus fœdavit; uti tradit Evangelista Matthæus cap. II, 16. Quamquam vero ista vice spe sua excidebat Cacodæmon, puerulo Jesu fuga sibi consulente, nihilo tamen segnius postmodum in eam curam & cogitationem incubuit, ut voti sui aliquando fieret compos; indeque Herodem Antipam, Magni illius filium, quin universam Judæorum cohortem, adversus Dominum nostrum, munere suo, ad quod a Patre missus erat, strenue fungentem, excitavit, nec prius quievit, quam sub Procuratore Judææ Pontio Pilato in crucem actus is foret & ignominiosissima morte affectus.

Persecutio Christi.

Luc. 13, 31.

II. Imo ne sic quidem capitalis inimicitiæ odiique internecini finis fuit. Cum enim, sublato jam e mortalium consortio Salvatore, Apostoli aliique discipuli doctrinam illius non sine insigni fructu fervide propagarent, eique, additis etiam miraculis, intrepidi testimonium perhiberent, memores scilicet mandati Dominici, Matth. XXIIX, 19. Actor. 1, 8. Satanæ impulsu *surrexit Pontifex maximus, & omnes qui cum eo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, & injecerunt manus in Apostolos, posueruntque*

Persecutio Apostolorum.

eos

eos in custodia publica, moxque *iisdem casis mandarunt, ne loquerentur in nomine JESU*; ut habent Acta Apostolica cap. v, 17. 18. 40. quæ & capitibus proxime sequentibus narrant, quomodo Stephanus, ex septem Diaconis unus, a Judæis, quibus heroico plane spiritu, quod homines duri cervice, & incircumcisi corde ac auribus, semper Spiritui sancto obniterentur, exprobraverat, ejectus e civitate sit, lapidibusque obrutus, & ita Evangelii protomartyr factus. Circa idem tempus, Saulo inprimis auctore, tanta adversus ceteros quoque fideles persecutio excitata est, ut universa pene Jerosolymitana Ecclesia in exilium pelleretur, memorantibus iterum Actis cap. VIII, 1. seqq. Etsi vero, postquam miraculo ad fidem Christi conversus erat Saulus, Ecclesiæ per totam Judæam, Galilæam, & Samariam, pax ad tempus obtigit, Act. IX, 31. non longe post tamen Agrippa Major, Herodis M. ex Aristobulo nepos (quem Herodem vocant Acta) aliquos ex Ecclesia male accepit, & Jacobum, fratrem Johannis, qui ob priorem vocationem Major dictus est, gladio interemit. Ibi (ut obiter id notemus) hæc habet Eusebius, Histor. Eccles. lib. II, cap. IX: Περὶ τούτου ὁ Κλήμης τοῦ Ἰακώβου καὶ ἱστορίαν μνήμης ἀξίαν ἐν τῇ τῶν ὑποτυπώσεον ἑβδόμῃ παρατίθεται, ὡς ἐκ παραδόσεως τῶν πρὸ αὐτοῦ φάσκων· ὅτι δὴ ὁ εἰσαγαγὼν αὐτὸν εἰς δικαστήριον, μαρτυρήσαντα αὐτὸν ἰδὼν, κινηθεὶς ὡμολόγησεν, εἶναι καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν χριστιανόν. συναπήχθησαν οὖν ἄμφω, φησὶ· καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν ἠξίωσεν ἀφεθῆναι αὐτῷ ὑπὸ τοῦ Ἰακώβου· ὁ δὲ ὀλίγον σκεψάμενος, εἰρήνη σοι, εἶπε, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Καὶ οὕτως ἀμφότεροι ὁμοῦ ἐκαρατομήθησαν. *De hoc Jacobo rem prorsus memoria dignam refert Clemens in septimo Institutionum libro, prout eam a majo-*

Persecutio Ecclesiæ Jerosolymitanæ.

Jacobi martyrium.

ribus acceperat. Ait enim, eum, qui Jacobum judicio obtulerat, cum illum vidisset Christi *fidem libere confitentem, commotum viri constantia, se quoque Christianum esse affirmasse. Ambo igitur, ait, simul ad supplicium ducti sunt. Cumque inter eundum rogasset Jacobum comes, ut sibi veniam daret, paulisper moratus Jacobus, Pax tibi, inquit, statimque illum osculatus est. Ita simul ambo capite truncati interiere.* Idem porro Agrippa Petrum, quem ob instans Paschatis festum statim occidere non poterat, in vincula conjecit, interfecturus postmodum, nisi divina providentia ea ipsa nocte ministerio Angeli ex carcere Apostolum liberasset, Act. XII, 1. seqq. Sed & in Paulum ac Barnabam persecutio excitata est Antiochiæ, Act. XIII, 50. Iconiique & Lystræ, Act. XIV, 5. 19. in Paulum & Sylam Philippis, Act. XVI, 19. seqq. Thessalonicæ & Beroææ, Act. XVII, 5. 13. in Paulum solum Athenis, Act. XVII, 19. seqq. Corinthi, Act. XIIX, 12. seqq. Ephesi, Act. XIX, 23. seqq. Ierosolymis, Act. XXI, 27. seqq. XXII, 22. seqq. XXIII, 2. seqq. Cæsariæ, Act. XXIV, 5. seqq. XXV, 7.

Persecutio adversus Paulum, Barnabam, & Sylam.

III. Referri huc posse videtur & illa persecutio, qua Tib. Claudius Christianos Roma expulit. Quamquam enim Suetonius in vita Claudii, cap. XXV, de *Judæis*, quod urbe sint ejecti ab Imperatore, affirmat; quia tamen addit, ideo fuisse ejectos, quod impulsore Chresto (ita Salvatorem nostrum perperam olim ab iis, qui veram vocis originationem ignoraverint, appellatum esse, notamus ad Justinum M. pag. 54.) assidue tumultuati sint, verisimile fit, de Christianis loqui Historicum, aut saltim nomen Judæorum ita accipere, ut eo Christiani etiam comprehendantur.

Persecutio sub Claudio.

Chrestus pro Christo.

dantur. Insolens enim non esse vetustis scriptoribus, ut significatu tam laxo vocabulum hoc usurpent, ostendimus libro I de Calumniis Paganorum in Christianos veteres, cap. III, 6. seqq. Certe Paulus Orosius, Historiæ suæ libro VII, cap. VI, de Judæorum ejectione, cujus Suetonius meminit, *Anno*, inquit, *ejusdem* (Claudii) *nono expulsos per Claudium urbe Judæos, Josephus refert* (in hodiernis Josephi codicibus tale nihil reperitur) *Sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo: Claudius Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit. Quod, utrum contra Christum tumultuantes Judæos coërceri & comprimi jusserit, an etiam Christianos simul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expelli, nequaquam discernitur.* Centuriatores Magdæburgici Cent. I, lib. II, cap. III: *Suetonius in vita Claudii ait, Claudium Judæos, impulsore Christo assidue tumultuantes, Roma expulisse. Licet autem inde conjicere, Christianos simul exilio mulctatos esse. Et forte ea fuit hujus sævitiæ occasio, quod Judæi Romæ degentes ita ferociter se opposuerunt Christianis, a quibus se falsitatis coargui, & universam suam religionem destrui cernebant, ut seditiones etiam quasdam non sint veriti contra eos concitare; cui rei volens Claudius obviam ire, ex urbe omnes removendos esse censuit.* Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, ad ann. LI, I. *Quoniam prædicantes Apostoli fidem Christi, nullo in populo vehementius, quam a Judæa gente, sunt impugnati, haud dubium est, eosdem adversus Petrum, Romæ Evangelium prædicantem, illudque in dies magis inter Gentiles etiam propagantem, turbas sæpius concitasse; rursumque alios Christianæ religioni studentes eisdem fortiter restitisse. Sicque invicem altercantibus,*

Judæorum appellatione etiam Christiani interdum comprehenduntur.

assiduisque concertationibus dissidentibus, quod Christi fidei occasione concitatæ sunt turbæ, Christo impulsore id factum esse, Suetonius existimavit; ratus nimirum, eos, qui Christi fidem sectarentur, a Christo ad id esse persuasos, quem & sub Pilato in crucem actum, ac post mortem rursum vivere, ejus sectatores prædicarent. Similia apud alios leguntur passim scriptores.

Locus Act. 18, 2. expensus, conf. c. 16, 20.

IV. Res clarior evadit, si jungamus locum Act. XIIX, 2. ubi Aquila (σκηνοποιὸς ille, & S. Pauli ὁμότεχνος) ejusque uxor Priscilla, ideo Romam reliquisse dicuntur, quia Judæos Claudius universos discedere jusserat. Nimirum Christianos fuisse illos, ex Rom. XVI, 3. novimus. Non ergo eos attigisset edictum Claudii, nisi Judæorum nomine generali comprehensi fuissent tunc Christiani. Eusebius ad memoratum Lucæ locum provocans Histor. Eccles. lib. II, cap. XIIX, Ἰουδαίους, scribit, Ῥώμας ἀπελαύνει Κλαύδιος. Ὅτε Ἀκύλας καὶ Πρίσκιλλα μετὰ τῶν ἄλλων Ἰουδαίων τῆς Ῥώμης ἀπαλλαγέντες, ἐπὶ τὴν Ἀσίαν καταίρουσιν· ἐνταῦθά τε Παύλῳ τῷ Ἀποστόλῳ συνδιατρίβουσι, τοὺς αὐτόθι τῶν ἐκκλησιῶν ἄρτι πρὸς αὐτοῦ καταβληθέντας θεμελίους ἐπιστηρίζοντι. *Claudius Judæos Roma expulit. Unde Aquila & Priscilla cum* ALIIS JUDÆIS *Roma egressi, in Asiam appulerunt, ibique cum Apostolo Paulo, qui ecclesiarum regionis illius fundamenta a se recens posita tum maxime firmabat, commorati sunt.* Ubi ita doctissimus Eusebii editor Henr. Valesius: *Profecto nequaquam verisimile est, Claudium Imp. qui tanta benevolentia semper Judæos complexus est, ut patet ex multis ejus edictis, quæ apud Josephum leguntur, ipsos nominatim Judæos urbe expulisse. Crediderim potius, cum magna Romæ fames orta esset, id quod*

Valesii de loco illo conjectura.

anno

anno Claudii decimo refertur in Chronico Eusebii, Claudium omnes peregrinos urbe expulisse, inter quos etiam fuere Judæi. Id enim antea ab Augusto factum fuerat; & a secutis Imperatoribus frequentissime postea usurpatum, quoties urbs Roma penuria annonæ laborabat. Atque ita explicandum censeo locum illum beati Lucæ (Act. XIIX, 2.) *Quod si quis, fultus auctoritate Svetonii, opinionem nostram respuat, equidem non magnopere repugnabo.* Et sane non videntur tanti Valesiana hæc, ut Svetonii narrationem jure suspectam faciant. Quoties enim contingit, ut severius quid etiam in illos statuant Principes quibus antea favebant? nempe si nova in eos animadvertendi causa emergat: cujusmodi sane heic fuit, quod tumultus religionis ergo Judæos edidisse Svetonius scribit. Verum per nos etiam suo quisque sensu heic abundet. Id interim non apparet, quî cum Luca, Judæos a Claudio ex urbe ejectos esse palam affirmante, conciliari possint hæc Dionis Cassii lib. LX: τούς τε Ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μὲν, τῷ δὴ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι. *Cum Judæi adeo iterum Romæ frequentes fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi, non ejecit quidem eos* Claudius, *patriis tamen legibus vitam agentes convenire vetuit.*

Dio Cassius notatus.

v. Tametsi vero, uti ex dictis liquet, inde ab ipsis Ecclesiæ incunabulis varias a cœtu malignantium afflictiones experti fuerunt Christiani, nondum tamen Imperator aliquis publico edicto eos excruciari mandaverat. Quin potius Tiberius, de resurrectione & miraculis

Tiberius Christi ἀποθέωσιν meditatus est. conf. Tertul. Apol. c. 21.

culis Christi per Pilati literas certior factus, eundem in Deorum numerum recipere decrevit, atque hoc nomine, quæ de ipso ex Palæstina acceperat, ad Senatum detulit, *cum prærogativa suffragii sui*, veluti Tertullianus cap. v Apologetici loquitur; hoc est, ut Franciscus Zephyrus παραφράζει, *non ut ex eorum* (Senatorum) *sententia, quid sibi faciendum super hac re esset, videret, sed ut suæ illi sententiæ subscriberent & assentirentur: ipse enim jus omne suæ prærogativæ jam in dedicationem contulerat.* Interim quia *vetus erat decretum, ne quis* DEUS *ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus*, ut rursum Tertullianus ait citato loco, & lib. I ad Nationes cap. x, Senatus, quod hæc lex violata esset, nec ipse prius CHRISTI consecrationem approbasset, desiderio Tiberii satisfacere recusavit. Nihilo tamen secius *Cæsar*, dicente Tertulliano, *in sententia mansit, comminans periculum accusatoribus Christianorum.* Repetit hæc ex Tertulliano Eusebius Histor. Eccl. lib. II, cap. II, & in Chronico ad ann. Tiberii XXII. Eadem, etsi paulo aliter, Chrysostomus habet homil, XXVI in II ad Corinthios, & homil. LXVI, ad pop. Antioch. Cui præterea junge heic Gregorium Turonensem, Histor. lib. I, cap. XXIV, & inprimis Orosium; qui lib. VII, cap. IV, ita hanc in rem scribit: *Postquam passus est Dominus* CHRISTVS, *utque a mortuis resurrexit, & discipulos ad prædicandum dimisit, Pilatus, Præses Palæstinæ provinciæ, ad Tiberium Imperatorem atque ad Senatum retulit de passione & resurrectione* CHRISTI, *consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo, quod certatim crescente plurimorum fide,*

DEUS

DEUS crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut CHRISTVS Deus haberetur. Senatus, indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse urbe Christianos; præcipue cum & Sejanus, Præfectus Tiberii, suscipiendæ religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Ita Orosius. In cujus tamen narratione nonnihil desiderat Joh. Gerh. Vossius differt. de Annis passionis Dominicæ, ad th. XXIV, & comment. ad epistolam Trajani de Christianis, pag. 83. ac Franc. Balduinus comm. ad edicta veterum Principum Rom. de Christianis, sub init.. In annorum quoque Tiberii numero aberasse heic Eusebium & Hieronymum, ostendit Samuel Petitus, diatr. de Jure, Principum edictis Ecclesiæ quæsito, cap. III. cui adde Baronium, ad ann. XXXIII, 48.

VI. Utut autem hæc ita se habeant, non longe post tamen totus orbis & orcus in Christianorum perniciem insurrexere, quando videlicet Imperatores Romani, Ethnicæ superstitioni adhuc addicti, auctoritate publica atrocissimas adversus eos excitarunt persecutiones. Cujusmodi communiter numerantur decem; sic ut prima sub Nerone, secunda sub Domitiano, tertia sub Trajano, quarta sub Antonino Pio, quinta sub Severo, sexta sub Maximino, septima sub Decio, octava sub Valeriano, nona sub Aureliano, decima sub Diocletiano & Maximiano contigisse dicatur, (tametsi, quid circa numerationem hanc monendum sit, & num per omnia satis recte

Persecutiones publicæ sub Imppi. Ethnicis quot & quænam.

illa se habeat, infra sumus visuri) easque ordine Ecclesia alias ex aliis sustinuit, donec tandem per Constantinum M. persecutoribus Maxentio & Licinio victis atque occisis, pax ei aliqua donaretur. Alias si absolute de turbis ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, adversus veteres Christianos motis, sermo sit, quin longe plures recenseri queant persecutiones, nullum plane est dubium. Quo etiam pertinet, quod Augustinus, lib. xxix de Civitate Dei, cap. lii, numerum persecutionum, quæ Ecclesiam exercuerunt, denario isto vulgari definiendum non esse disputat, cum nihil causæ sit, cur tempestates sub Juliano, Valente, Rege Gothorum, & in Perside, suo seculo cortæ, persecutiones Ecclesiæ dici non debeant. *Quid respondent*, inquit, *de Juliano, quem non numerant in decem? an ipse non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales literas docere ac discere vetuit? -- Postremo, nostra memoria Valens, — nonne magna persecutione per Orientis partes Catholicam vastavit Ecclesiam? Quale est autem, non considerare, Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem posse in aliquibus gentibus persecutionem pati a Regibus, & quando in aliis non patitur? Nisi forte non est persecutio computanda, quando Rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt; sicut a quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & se ista vidisse incunctanter recordabantur, audivimus. Quid modo in Perside? nonne ita in Christianos ferbuit persecutio, si tamen jam quievit, ut fugientes inde nonnulli usque ad Romana oppida pervenerint?* Ita Augustinus. Cujus verbis multum lucis accedet, si cum iis conferas

Persecutiones sub Juliano, Valente, Rege Gothorum & Persicem.

quæ

quæ habentur apud Amm. Marcellinum lib. XXII, Theodoritum Histor. Eccl. libr. III, cap. VIII, lib. IV, cap. XIII, seqq. Socratem, lib. IV, cap. II, IX, XV, seqq. Sozomenum, lib. VI, cap. VI, seqq. Orosium lib. VII, cap. XXXIII, & Cassiodorum, Histor. Tripart. lib. X, cap. XXX, seqq.

CAPUT I.
DE
PERSECUTIONE PRIMA, SUB NERONE.

CONSPECTUS.

I. *Neronis admiranda primo imperii quinquennio Clementia.*

II. *Sed quæ postea in stupendam crudelitatem degeneravit.*

III. *Nero, monstrum horrendū,*

IV. *Imperatorum primus publicum Ecclesiæ bellum intulit.*

V. VI. *Occasio hujus persecutionis incendium Romæ Neronianum, nostris imputatum.*

VII. *Taciti calumniæ in Christianos.*

IIX. *Illis inique tributa exitiabilis superstitio, & flagitia.*

IX. *Neronis summa in eosdem sævitia.*

X, XI. *Tunica molesta.*

XII. *Præter urbis incendium alia Neronianæ persecutionis causa a Lactantio affertur & Nicephoro.*

XIII. *Certamen cum Simone M. Petro & Paulo occasio mortis fuisse scribitur.*

XIV. *Antiquissimorum scriptorum Eccles. de Petri & Simonis M. conflictu testimonia.*

XV. *Quod una cum Petro Paulus Simonem debellaverit, præter Nicephorum antiquiores etiam nonnulli tradunt.*

XVI. *Certamen cum Simone Apostolicum, Icariusque illius interi-*

interitus, in dubium a multis vocatur, aut aperte etiam negatur.

XVII. *Petrus cruci suffixus, Paulus gladio truncatus Romæ.*

XIIX. *Petrus verso deorsum capite suspensus.*

XIX. *Quare hunc passionis modum elegerit.*

XX. *Crucifixionis modi varii.*

XXI. *An Petrus & Paulus eodem tempore martyrium consummarint.*

XXII. *Tempus passionis Paulinæ.*

XXIII. *Iacobi Iusti martyrium.*

XXIV. *Tropæum Neroni persecutori positum.*

XXV. *Vana Gentilium persuasio, persecutionibus extinctum iri Christianismum.*

XXVI. *Neronianæ tyrannidis pœna.*

I.

Neronis admiranda primo imperii quinquennio clementia.

PRimus ergo Cæsarum Christiani nominis hostem publicum se professus est NERO CLAUDIUS, Domitii Ænobarbi ex Agrippina filius, sextus Romanorum circa annum Domini LIV Imperator. Qui primo imperii quinquennio adeo se laudabiliter gessit, ut, Aurelio Victore teste, Trajanus sæpius dicere solitus fuerit, *procul differre cunctos Principes Neronis quinquennio.* Nimirum, neque Liberalitatis, neque Clementiæ, nec Comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit, ut in vita ejus loquitur Suetonius. Qui mox, singularis clementiæ illius exemplum subjuncturus, eum, cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, exclamasse ait: *Quam vellem nescire literas!* Idem testatur Præceptor ejus L. Annæus Seneca; hac ipsa Imperatoris voce ad libros de Clementia scribendos excitatus. Ita nempe orditur librum secundum: *Ut de Clementia scriberem, Nero Cæsar, una me vox tua maxime compulit, quam*

quam ego non sine admiratione, & cum diceretur, audisse memini, & deinde aliis narrasse: vocem generosam, magni animi, magnæ lenitatis: quæ non composita, nec alienis auribus data, subito erupit, sed bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit. Animadversurus in latrones duos Burrus, Præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi natus, exigebat a te, scriberes, in quos & ex qua causa animadverti velles: hoc sæpe dilatum, ut aliquando fieret, instabat. Invitus invito cum chartam protulisset, traderetque, exclamasti: Vellem nescire literas! Idem sub initium libri primi, *Scribere*, inquit, *de Clementia, Nero Cæsar, institui, ut quodammodo speculi vice fungerer, & te tibi ostenderem, perventurum ad voluptatem maximam omnium.* Ita Seneca; in eo totus, ut summam Neronis clementiam, &, ceu loquitur, nulli adhuc Principum concessam innocentiam, dignis modis in istis libris deprædicet.

Sed quæ postea in stupendam crudelitatem degeneravit.

11. Verum enimvero, in quantam crudelitatem paulo post degeneraverit illa toties tamq; magnificis verbis decantata Clementia, ipse ejus præco publicus, Seneca, non sine magno suo malo expertus est. Postquam enim, priori vita valere jussa, virtutes cum vitiis commutare, & petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, sensim primo & occulte, velut juvenili errore, mox palam exercere cœpit Nero, inter alios & Senecam Præceptorem ad mortem compulit, quamvis sæpe perfancte juraſſet, suspectum se frustra, periturum potius, quam nociturum ei, dicente Suetonio. Et quid mirum, Præceptorem sustuliſſe, qui ipsam matrem Agrippinam (quam sub imperii initium tantopere dilexerat, ut signum

more militiæ petenti Tribuno dederit Optimæ Matris, annotante Tacito & Suetonio) ter veneno tentatam, mox lacunarium, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, itemque naufragii periculis frustra expositam, ferro tandem per Anicetum Libertum interemit, τὴν ἀμοιβὴν ἀποτίσας αὐτῇ, ὃ μόνον τῆς γενέσεως, ἀλλὰ καὶ τῆς ταύτης μηχανῆς ἔτην Ῥωμαίων ἡγεμονίαν περιβαλεῖν, *hanc illi gratiam non pro nativitate solum referens, verum etiam, quod ejus artibus ad imperium provectus sit*; ut loquitur Josephus. Addit Suetonius, non incertis auctoribus tradi, ad videndum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta bibisse. Quamquam Tacitus, *spexeritne*, inquit, *matrem exanimem Nero, & formam corporis ejus laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant.* Dio refert, Agrippinam, cum Anicetum appropinquantem vidisset, &, qua de causa adesset, cognovisset, repente de lecto desiliisse, discissaque veste & denudata alvo dixisse: πάῖε ταύτην, Ανίκητε, πάῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκε. *Percute hanc, Anicete, percute, quia Neronem peperit.* Præter matrem & Præceptorem etiam Britannicum fratrem, Octaviam & Poppæam uxores, Antoniam item, post Poppææ mortem nuptias recusantem, occidit: similiter interemit ceteros affinitate aliqua sibi aut propinquitate conjunctos, quos enumerat Suetonius. Infinitam quoque partem Senatus interfecit, ut ait Eutropius. Verbo, nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi quoscumque libuisset, quacumque de causa, dicente Suetonio. Ut proinde minime vana fuerit præsaga Domitii patris

vox

vox, inter gratulationes amicorum de recens nato filio Nerone, negantis, quidquam ex se & Agrippina nisi detestabile & malo publico nasci potuisse; sicut iterum in vita Neronis memorat Suetonius. cum quo, plura de hoc hominis propudio cognoscere si aves, confer, quos etiam magnam partem jam supra laudavimus, Corn. Tacitum Annal. XIII, XIV, Dionem Cassium, Histor. Rom. lib. LXIII, Aurelium Victorem, Eutropium, Joh. Cuspinianum, in Nerone, Themistium orat. V, Philostratum, in vita Apollonii Tyanei lib. IV, cap. XII, Josephum lib. XX Antiqv. Jud. cap. V, Paulum Orosium, lib. VII Histor. adversus Paganos, cap. VII, Sulpitium Severum, Histor. Sacr. libr. II, Eusebium in Chronico,

III. Hic itaque NERO, qui *eo dedecore vitam egit, ut pigeat pudeatque memorare, hujusmodi quemquam, nedum rectorem gentium, fuisse*, judice Aurel. Victore; qui *ita degeneravit a suorum virtutibus, ut tamen vitia cujusque quasi tradita & ingenita retulerit*, dicente Suetonio; qui fuit *Caji Caligulæ, avunculi sui, erga omnia vitia ac scelera sectator, imo transgressor*, scribente Orosio; qui *omnibus bonis hostis fuit*, auctore Eutropio; qui fuit *homo in consilii & vitæ instituendæ ratione improbissimus*, teste Eutychio, Ægyptio, Patriarcha Alexandrino, in Originibus Ecclesiæ suæ Arabice scriptis, & a Joanne Seldeno editis; imo, qui θηρίον ἐν μορφῇ ἀνθρώπου, *belua sub hominis figura*, secundum Themistium; NERO, inquam, hic, *qui, non dicam Regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus extitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet. — Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est: quippe semper inimica* *Nero monstrum horrendum.*

mica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur; ut verba habent Sulpitii Severi lib. II. quibus gemina Tertulliani hæc Apologet. cap. V, ad Romani imperii Antistites: *Consulite Commentarios vestros, illic reperietis, primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, Cæsariano gladio ferociße. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum. — Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, turpes: quos & ipsi damnare consuestis; a quibus damnatos restituere soliti estis. Quales leges istæ, quas adversus nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes?* & lib. I ad Nationes cap. VII: *Principe Augusto nomen hoc* Christi cultorum *ortum est; Tiberio disciplina ejus illuxit; sub Nerone damnatio invaluit: ut jam hinc de persona persecutoris ponderetis. Si pius ille Princeps* (Nero) *impii Christiani: si justus, si castus, injusti & incesti Christiani: si non hostis publicus, nos publici hostes. Quales sumus, damnator ipse demonstravit.*

Vide infra n. II.

IV. Idem præterea Septimius sub finem libri adversus Gnosticos, Scorpiacum inscripti, *Vitas Cæsarum legimus*, ait, *orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit.* Similiter Eusebius in Chronico: ὃς πᾶσιν ἀδικήμασιν αὐτὸ καὶ τὸν πρῶτον κατ' χριστιανῶν ἐνεδείξατο διωγμόν. *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit.* & Histor. Eccl. lib. II, cap. XXV: ἐνέδει τοῖς πᾶσι καὶ τόδ' ἐπιγραφῆναι αὐτῷ, ὡς ἂν πρῶτος αὐτοκρατόρων τῆς εἰς τὸ θεῖον εὐσεβείας πόλεμον ἀναδείξειε. *Hoc unum adhuc*

Imperatorum primus publicum Ecclesiæ bellum intulit.

adhuc illi deerat quod ceteris ejus titulis adscriberetur, ut primus Imperatorum hostis Christianæ religionis diceretur fuisse. Orosius lib. VII, cap. VII: *Primus Romæ Christianos supplicüs & mortibus affecit* Nero, *ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit.* Eutychius in Origin. Ecclesiæ Alexandrinæ: *Primus* Nero *fuit gravissimorum in Christianos malorum auctor.* Factumque tunc eam in rem Senatusconsultum aliquod, ex Eusebio, lib. V Hist. Eccles. cap. XXI, viri docti colligunt, veteri apud Romanos lege sancitum esse scribente, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi a proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur. Quo etiam spectant illa Sulpitii Severi, de Neronis persecutione agentis, lib. II Historiæ sacræ: *Latis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis, Christianum esse non licebat.* Cœpit autem hæc sub Nerone persecutio, non, ut Eusebius in Chronico, ingenti metachronismo, existimavit, anno imperii ejus quarto decimo, sed nono, Christi Dionysiano LXIII, annis XXX post Dominicam ascensionem, secundum suppurationem Josephi Scaligeri, in Animadvers. ad Chronicon Eusebii, num. MMLXXXIV; secundum Calvisium autem & Helvicum, anno Neronis X, Christi LXIV.

Initium Neroniana persecutionis.

V. Occasio ejus hæc erat. Postquam bene multa crudelitatis & petulantiæ suæ specimina Nero ediderat, tandem nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum, ut habet Suetonius; & quod videbatur condendæ urbis novæ & cognomento suo appellandæ gloriam quærere, ceu loquitur Tacitus, atque

Occasio ejusdem, incendium Romæ Neronianum nostris imputatum.

ex eo Sulpitius Severus; vel etiam, ut spectaculi ejus imaginem cerneret, quali olim Troja capta arserat, quod ait Eutropius, & Eusebius in Chronico; Romam incendit, tam propalam, ut plerique Consulares cubicularios ejus cum stupa tædaque in prædiis suis deprehensos non attigerint, dicente iterum Suetonio. Dio Cassius narrat, eum nonnullos e sumptuosissima, quam in publico dederat, cœna, quasi ebrii essent, aut alia maleficia facerent, clam in varias urbis partes misisse, ut ignem iis immitterent. Cui mandato qui morem gesserint, & quantæ ob illud incendium turbæ, quantæ confusiones, coortæ sint, legere potest, qui volet; apud ipsum Dionem lib. LXII, & Tacitum Annal. XV; qui accurate hæc persequuntur. Dio inter alia, οἱ στρατιῶται, inquit, ὅ τε ἄλλοι, καὶ οἱ νυκτοφύλακες, πρὸς ταῖς ἁρπαγαῖς ἀφορῶντες, οὐχ ὅσον οὐ κατεσβέννυσαί τινα, ἀλλὰ καὶ προσεξέκαιον. *Milites & vigiles nocturni, ad rapinas spectantes, non solum non restinguebant quædam, verum etiam magis incendebant.* Tacitus: *Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, & qui alii palam faces jaciebant, atque esse sibi autorem vociferabantur: sive ut rapius licentius exercerent, sive jussu.* Per sex dies septemque noctes ea clade sævitum esse, auctor est Suetonius: & Tacitus, sexto die apud imas Esquilias finem incendio factum scribit. At Lipsius in suo ad XV Annalium commentario, utrumque longe abire observat a lapide prisco, qui novenos commemoret dies, Romæ ad basilicam Petri. Cum quo tamen Tacitus facile conciliari possit, quia mox addat, ignem rediisse: primum ut incendium sex dierum fuerit, alterum trium. Eo tempore

pore in tantam calamitatem urbem incidisse scribit Dio, quantam nec antea umquam, nec post, præter Gallicam, acceperit. Et Tacitus istam cladem omnibus, quæ huic urbi per violentiam ignium acciderunt, graviorem atque atrociorem vocat; paucisque interjectis testatur, tantam fuisse flammæ sævitiam, ut ex quatuordecim regionibus, in quas Roma dividebatur, non nisi quatuor integræ manserint. Nero interim incendium hoc e turri Mæcenatiana prospectans, lætusque flammæ, ut ajebat, pulchritudine, ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit, ut refert Suetonius. Cui iterũ consonat Dionis hæc narratio: Πάντων δὴ τῶν ἄλλων ἔτω διακειμένων, καὶ πολλῶν καὶ ἐς αὐτὸ τὸ πῦρ ἐπὶ τῷ ἔτι πάθει ἐμπηδώντων, ὁ Νέρων ἔς τε τὸ ἄκρον τῶν παλατίων, ὅθεν μάλιστα συνόπτεσθαι τὰ πολλὰ τῶν καιομένων ἦν, ἀνῆλθε, καὶ τὴν σκευὴν τὴν κιθαρῳδικὴν λαβὼν, ἦσεν ἄλωσιν, ὡς μοι δοκεῖς ἔλεγεν, Ἰλίου, ὡς ἦ ἐωρᾶτο, Ῥώμης. *Cum ceteri omnes in his rebus essent* (ut scil. Rempublicam lugerent: ita enim præcesserat) *ac multi in hoc gravissimo dolore in ignem insilirent, Nero in summum palatii, unde magna pars incendiorum videri poterat, conscendit, ibique ornatu Cytharœdi excidium Trojæ, ut ipse dicebat, cecinit, vel potius urbis Romæ, prout erat videre.* Eadem repetit Orosius; nisi quod perperam dicit, Neronem decantasse *Iliadem*, pro, Ilii ἄλωσιν. Sed & Augustinus, Supplem. operum Paris. Tom. I, serm. CVI de diversis, *A Nerone*, ait, *nescio utrum dicam, sæviente, an fluente secundo igne, Roma flagravit. Jussit Nero, Imperator ipsius Romæ, servus idolorum, interfector Apostolorum; jussit, & incensa est Roma. Quare putatis? quæ causa? Homo elatus, superbus, & fluidus, delectatus est Romano incendio. Videre, inquit, volo, quomodo Troja arserit.*

VI. Ea ex re cum tantam sibi invidiam conflasset Nero, ut populus ei omnia mala precaretur (non quod nomen ejus nominaret, sed quod exsecraretur illos, qui urbem incendissent, ut habet Dio,) nihil quidem reliquit intentatum, quo eam a se amoliretur: dum scilicet, se sua pecunia porticus exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est, præmia quoque pro cujusque ordine & rei familiaris copiis addidit, finivitq; tempus, intra quod effectis domibus aut insulis adipiscerentur, supplicia item Diis instituti curavit; prout hæc & alia plura apud Tacitum loco supra expresso legi possunt. Attamen, teste eodem, *non ope humana, non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo*, pergit Historicus, *abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat.* Nempe moris fere erat, ut Christianis talia imputarentur. Nam & Nicomediensis regia ubi sub Diocletiano conflagraret, ipsi ejus incendii rei agebantur. Vide infra cap. x, 13. Sed pergat Tacitus. *Auctor* inquit, *nominis ejus* CHRISTUS, *qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt. Unde quanquam adversus sontes, & novissima exempla me-*

Hamb. Brüst. v. gd. 1734. p. 527.

ritos

ritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in savitiam unius absumerentur.

VII. Habes & occasionem persecutionis, & persecutionem ipsam, descriptam ab homine ethnico. Qui tamen, ne Ethnicum, hoc est, Christianorum fideique Christianæ calumniatorem, se esse oblivisceretur, veris multa falsa & impia miscet: puta, dum religionem nostram *exitiabilem superstitionem* vocat, (de quo convicio agimus tract. de Calumniis Paganorum lib. I, cap. IIX, 2.) & Christianos ipsos homines sontes, crimen confessos, per flagitia invisos, odii generis humani convictos, noviſſimaque exempla meritos, impudenti ore proclamat; ut non injuria *illum mendaciorum loquacissimum* a Tertulliano cap. XVI Apologetici eum appellatum esse res ipsa loquatur. *Taciti calumnia in Christianos.*

IIX. Ecqua enim, sodes, exitiabilis illa superstitio, cujus heic insimulantur Christiani? Nimirum vobis, o Pagani, *Deum principem, rerum cunctarum, quæcunque sunt, Dominum, summitatem omnium summorum obtinentem, adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus fessis, totis, ut ita dixerim, sensibus amplexari, amare, suspicere, execrabilis religio est & infausta, impietatis & sacrilegii plena*: — ob quam *exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & beluarum laniatibus objectatis*; optime scribit Arnobius lib. I adversus Gentes. Quibus conformiter Appendix libri IIX Historiæ Eusebianæ cap. I, de Alpheo & Zacchæo memorat, quod μόνον ἕνα Θεὸν καὶ μόνον χριστὸν βασιλέα Ἰησοῦν ὁμολογήσαντες, ὡς τι ἐλάσφημον φθεγξάμενοι, τὰς κεφαλὰς ἀπε- *Christianis inique tributa exitiabilis superstitio.*

ἰμήτησαν, *solum unum Deum unumque Regem Christum Iesum confessi, perinde ac si impium quidpiam locuti essent, abscissis capitibus interierint.* Ecquod porro illud *humani generis odium*, cujus convicti Christiani? Scilicet fallitur & fallit Tacitus, quando nostros ex Judæorum æstimat indole: de quibus lib. v Historiarum testatur, quod *apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium.* Certe Christiani tantum abest ut humanum genus odio prosequantur, ut potius, a Magistro sic edocti, Matth. v, 44. ipsos etiam inimicos diligant. Vide heic supra expressum locum libri I de Calumniis Paganorum. Ecqua denique flagitia illa, ob quæ novissima exempla mereri potuerunt Christiani? Nempe profanis istis

Odium generis humani.

Prudent. adv. Sym. hym. I, v. 48.

Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.

Unde & Maximus Madaurensis, Philosophus Ethnicus, epistola ad S. Augustinum (est inter hujus epistolas XLIII) de nostris scribit, quod *conscientia nefandorum facinorum, specie gloriosæ mortis, scelera sua sceleribus cumulantes, dignum moribus factisque suis exitum maculati repererint.* Sane ob urbis incendium fontes dicere Christianos non potuit Tacitus; quod Suetonius & Dio Cassius, scriptores utique Pagani, adeoque Christiani nominis hostes, conceptis verbis testentur, ipsius Neronis jussu Romam esse inflammatam. qui profecto auctores, si vel minima de Christianis, tamquam cladis istius reis, suspicio esse potuisset, nequaquam silentio id involvissent. Quin ipse Tacitus profitetur, Christianos abolendo rumori reos a Nerone fuisse suppositos, & exquisitissimis suppliciis affectos, ob crimen, quod, non illi,

sed

sed ipse designasset Nero. Et quid multis? annon Nero ipsemet facinus illud, cujus a tot scriptoribus reus agitur, perpetraturum se ante prædixerat? Id certe de eo tradit Suetonius; *Nec populo*, ajens, *aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi:* ἐμὲ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί· *immo, inquit,* ἐμὲ ζῶντος. *planeque ita fecit.* Quod si incendii culpa in Christianos transferri non potest, ecqua tandem erunt illa crimina & flagitia, quæ iis intentat Historicus, cum ne ipse quidem alia nominare possit? Sed nimirum intendit digitum homo vaniloqvus in horrenda illa facinora, quibus infamabantur odioque hominum exponebantur Christiani veteres; tanta utique & tam enormia, ut Ecclesiæ Gallicanæ, apud Eusebium sub initium libi v Historiæ Eccles. se non credere, talia scelera umquam ab hominibus fuisse perpetrata, affirment: adonolatriam puta, ædœolatriam, Thyesteas epulas, Oedipodeos concubitus, Magiam, crimen læsæ majestatis Cæsareæ, factiones, conspirationes, conjurationes, & similia peculiari opere a nobis commemorata Deo hominibusque invisa scelera.

IX. Ut vero ad Tacitum revertamur, modum ille, quo Christianos excarnificavit Nero, sic memorato loco nobis describit: *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu auriga permixtus plebi, vel circulo insistens.* Quæ ipsa, una cum præcedentibus, ex Tacito in Historiam suam sacram transtulit *Neronis summa in Christi servos sævitia.*

tulit Sulpitius Severus. Cujus nempe verba, libro II: *Vertit invidiam in Christianos* Nero, *actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones: quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flammis usti. Plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Eadem leguntur in Martyrologio Romano, ad diem XXIV Junii. Atque ita *pœnis ludebat* truculentissimus ille tyrannus: ut loquendi modum, quo alicubi Prudentius utitur, meum heic faciam.

contr. Symm. l. 2. v. 674. Tunica molesta.

X. De ultimo isthoc supplicii genere, notantibus J. Scaligero, ad Eusebii Chronologica, num. MMLXXXIV, & Lipsio, ad Taciti Annal. XV, intelligendi versus Juvenalis, sat. I, 155.

Pone Tigellinum: teda lucebis in illa,
qua stantes ardent qui fixo gutture fumant,

id est, (ut fere παραφράζει Joh. Britannicus) in satyra pone, seu, vitupera hominem potentem & gratum Imperatori, qualis Tigellinus fuit Neroni, & ardebis vivus, quemadmodum multi imperante Nerone arserunt; vel (ut commentatur in hunc Juvenalis locum vetus Scholiastes, a P. Pithœo editus) *vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines* (ita Christianos ab infidelibus fuisse vocatos, docemus libro III de Calumniis Paganorum cap. IV, I.) *teda & papyro & cera supervestiebat, & sic ad ignem admoveri jubebebat, ut arderent.* Ad idem tormentum respicit jamjam citatus Juvenalis, quando sat. VIII, 234.

Ausi

Ausi, inquit, *quod liceat tunica punire molesta.* hoc est: Vos conjurati (loquitur enim de conjuratione Catilinaria) id facinoris commisistis, quod gravissimo supplicio puniri meretur. Pertinent insuper huc ista Martialis, lib. x, epigr. XXIV, de Mutio:

Nam cum dicatur, tunica præsente molesta:
ure manum; plus est dicere: non facio.

id est, explicante Matthæo Radero: *cum jubearis, Muti, præsente tunica molesta urere manum; majoris est fortitudinis, dicere, nolo, quam urere dextram. Uris enim manum, ne totus vivens vidensque indutus illa tunica, comburaris.* Nimirum tunica molesta (*tunicam ardentem & incendialem tunicam* vocat Tertullianus libro ad Martyras cap. v, lib. I ad Nat. cap. XIIX) erat *vestis ex charta facta, pice inlita, in qua ignibus pœnæ addicti ardere solent*, ut loqvitur vetus Glossographus; sive, ut Scaliger loco supra laudato, erat *indusium cera litum, quo fontes tæda & papyro circumdati supervestiebantur*; vel, ut Raderus, erat vestis *pice, resina, ceterisque ignium alimentis imbuta infectaque, imo intexta etiam.* Sic Theodorus Pulmannus in suis ad Juvenalem annotationibus: *Poëtæ tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, molestam, appellant.* De eadem tunica loquitur Seneca, scribens epist. XIV ad Lucilium: *Cogita hoc loco illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, quidquid aliud præter hæc commenta sævitia est.* Eandem, judice Lud. Cælio Rhodigino, Lect. antiqv. lib. x, cap. v, signat Lucretius, dum ait:

Carcer, & horribilis de saxo jactus eorum,
verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ,

Sethus Calvisius in opere Chronologico, ad ann. LXIV, tormentum istud ita describit: *Flammatio hæc fiebat hoc modo: Illi miseri tæda, papyro, & cera supervestiebantur; inde stantibus ad palum gutturi uncus suffigebatur, ne motatione capitis picem effunderent, aut ignem declinarent: postea in lamina ardente pix aut unguen in caput liquefiebat, ita ut toti arderent, noctuque loco luminis essent. Tantus autem Christianorum numerus ita combustus est, ut rivi pinguedinis humanæ per arenam amphitheatri sulcum facerent, ut Poëtæ testantur.* Juvenalis scilicet; cujus verba, sat. I, 157.

Et latus mediam sulcus diducit arenam.

Scribit Raderus ad Martialis lib. x, epigr. XXIV, tunica molesta indutos repræsentasse Herculem, veste Deianiræ a Nesso accepta ambustum. Atque huc respicere Tertullianum, quando Apolog. cap. XV, *Qui vivus ardebat*, inquit, *Herculem induerat.* Fabula, quam innuit Raderus, hæc est. Quando Hercules Ætoliæ fluvium cum uxore Dejanira erat transiturus, qui tum forte ob assiduos imbres maxime excreverat, Nessus Centaurus ultro operam suam obtulit trajiciendæ Deianiræ. Quam ubi Nesso tradidisset, ipse Hercules fluvium primus intrepide trajecit. Sed cum adhuc in prima ripa Nessus Deianiram vitiare conaretur, ab Hercule sagittis hydræ veneno infectis transfigitur. Qui, ut vel mortuus hostem ulciscereretur, vestem suam sanguine ac veneno illo perfusam, sanguinemque in vasculum collectum ex vulnere, Deianiræ tradidit, dicens, illis vim inesse amatoriam: ea enim veste si indueretur maritus, optimum fore remedium adversus amores pellicum. Postea, cum Hercules, Oechalia

chalia ſubacta, Iolen, Evryti Regis filiam, ſecum in Euboeam abduxiſſet, Deianira veſtem a Neſſo acceptam, & in oportuna tempora reſervatam, tamquam antidotum adverſus Ioles pellicis amores, ad Herculem miſit: qui cum eam induiſſet, mox in rabiem verſus, ſeipſum in pyram conjectum combuſſit. Vide Herculem Oetæum Senecæ Tragici.

XI. Atque hæc de Tunica moleſta. Quam etiam B. Evlaliæ, apud Prudentium hymno περὶ στεφ. IIX, 118. minari videtur his verbis Judex:

— Facibus data fumificis,
flebiliterque ululanda tuis,
in cineres reſoluta flues.

& cui affine ſupplicium, quo Apphiamum excarnificatum Appendix tradit libri IIX Hiſtoriæ Eccleſ. Evſebianæ cap. IV. Verba ſunt: Λίνοις ἐλαίῳ δεδευμένοις τὼ πόδε αὐτῆ καλύψαντες, πῦρ ὑψηπτον ἐκ προσπάξεως οἱ βασανισταί· ἐφ' οἷς ὁπίας ἤνεγκεν ὁ μακάριος ἀλγηδόνας, πάντα λόγον ὑπεραίρειν μοι δοκῶ. καθήκε γὰρ αὐτῆ διατῆξαν τὰς σάρκας, καὶ τῶν ὀστέων τὸ πῦρ· ὡς κηρῷ δίκην λείβεσθαι, καὶ ἀποῤῥύζειν ἐκτηκομένην τὴν ἰκμάδα ἅπ' σώματος. *Linum oleo madefactum pedibus ejus circumponentes, ignem poſtea ſubjecerunt. Quo facto quantos beatiſſimus Martyr dolores præſenſerit, nulla, ut arbitror, oratione explicari poteſt. Ignis ſiquidem conſumptis ejus carnibus ad oſſa usque penetrabat, adeo ut univerſus humor corporis ceræ inſtar liquefactus ſtillatim diffluueret.* Verum ad ſuperiora redeamus.

Præter urbis incendium alia Neroniana perſecutionis cauſa a Lactantio affertur.

XII. Præter Romæ incendium aliam primæ perſecutionis cauſam Lactantius affert libro de Mortibus Perſecutorum cap. II, Petri videlicet edita ibi miracula, perque

perque illa conversam infidelium multitudinem. Verba: *Cum Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad Iustitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique cotidie multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat execrabilis ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excidendum cæleste templum, delendamque Iustitiam; & primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit.* Quibus Lactantii perquam conformia habet
& Nicephoro Nicephorus Callistus Histor. Eccl. lib. II, cap. XXXVI; nisi quod, quæ uni Petro ille, hic Petro pariter & Paulo tribuit. Narrans videlicet, quomodo Petrus extremis Neronis temporibus Romam, cum & Paulus ibi esset, pervenerit, Θαύμασι, inquit, ἐξαισίοις καὶ ἄμφω τὸ πλῆθος ἐπαγομένων, ὡς ὑπὲρ ἀριθμὸν εἶναι τὰς προσιούσας, ὁ Νέρων ταῦτα μαθὼν, ὡς κρατυνόμενος τῇ δεχῇ, εἰς ἀσεβείας ἐκτεταμένος πράξεις, κατ' αὐτῆς τῆς εὐσεβείας ὡπλίζετο. *Cum mirificis amborum miraculis tanta ad Christianismum conflueret multitudo, ut numerus eius iniri non posset, Nero, penes quem summa rerum erat, ad improba impiaque delapsus flagitia, ea re cognita, contra ipsam divini cultus armatur pietatem.* Sed & in eo diversus est a Lactantio Nicephorus, quod non, ut ille, primos e Christianis beatos Apostolos, sed ante hos jam alios, & tot quidem in Christum credentes Romanos Neronem necasse scribit, ὡς καὶ τὴν σύγκλητον αὐτὴν δυσχεράναι τῷ τῶν αἱρεθέντων φόνῳ, ἀθενῆ λίαν ἤδη τῇ ὀλιγανθρωπίᾳ γεγενημένην,

ut etiam Senatus, admodum jam propter paucitatem sui ordinis hominum imbecillis, alias super alias accumulatas cædes ægre ferret.

XIII. Idem porro Nicephorus, Simonis Magi impulsu, & occasione reportatæ ex conflictu cum eodem victoriæ, Apostolos e medio sublatos fuisse ibidem memorat. Σίμωνι, ait, πολλή τις παρρησία, τοῖς Ἀποστόλοις ἐπιδημέντι, ἔν τε συγκλήτῳ τε καὶ αὐτῷ Νέρωνι. καὶ πάντα καλῶν ἦν τὸ ἔργον κινῶν, ἐκ μέσου θεῖναι τοὺς κλήσεις αὐτῶν, ὡς αἰτίων ἀπωλείας τοσούτου πλήθους γεγενημένων. *Simoni, admodum Apostolos persequenti, aditus liber ad Senatum & Neronem datus. Atque is omnem, ut in proverbio est, movet funem, ut illorum etiam nomina e medio tolleret, tamquam qui cædis tantæ multitudinis auctores fuissent.* Hinc Petri cum Simone congressum, & quomodo hic, ascensum in cœlos minatus, ab illo prostratus fuerit, copiose narrat; & ita quidem, ut quem primum Petro soli, mox huic pariter ac Paulo deferat actum de Mago triumphum, eumque ambobus necis causam fuisse tradat. Verba sunt: Νέρων, μαθὼν ὡς ὑπὸ Πέτρου καὶ Παύλου Σίμων διέφθαρται, Πέτρον μὲν κύμβαχον, ἅτως αἰτήσαντα, ξύλῳ ἀνεσκολόπιζεν· ἀνάξιον ἡγούμενον ἐπίσης τῷ διδασκάλῳ παθεῖν ἐν ὀρθίῳ τῷ σχήματι, καὶ ὡς ἄνω κάρφως ἔχοι τρέχειν εἰς οὐρανόν. Παῦλον δὲ τῷ ξύφει ἀνῄρει, ἅτε τοῦτῳ καιρῷ καὶ ἡμέρᾳ μιᾷ. *Nero, certior factus, a Petro & Paulo Simonem peremptum esse, Petrum quidem pedibus sursum versum sublatis (nam id ita petierat; simul quod se indignum reputaret qui itidem ut Magister suus recto corporis statu pateretur; simul ut levior expeditiorque ei in cœlum esset cursus,*

Certamen cum Simone M. Petro & Paulo occasio mortis fuisse scribitur.

sus, in crucem egit : Paulum vero gladio feriens occidit : eodem tempore, eodemque die.

Antiquissimorum scriptorum Eccl. de Petri & Simonis M. conflictu testimonia.

XIV. Nec ab uno Nicephoro talia narrantur, auctore recentiore, eodemque subleſtæ fidei, & qui fabulis magis quam hiſtorica veritate delectari ſolet : ſed apud veluſtiſſimos quoque & ἀξιοπίστους ſcriptores ſimilia legun-tur paſſim. Et de Petri quidem cum Simone M. congreſſu ita Arnobius adverſus Gentes libro II : *viderant* Romani *currum Simonis Magi & quadrigas igneas Petri ore diffiatas & nominato* CHRISTO *evanuiſſe : viderant, inquam, fidentem, Diis falſis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus jacuiſſe præfractis.* Ambroſius Hexaëm. lib. IV, cap. IIX : *Petrus Simonem, alta cœli magico volatu petentem, diſſoluta carminum poteſtate dejecit & ſtravit.* Theodoritus, Hæret. fabul. lib. I, I. ὁ θεῖος Πέτρος ἐγύμνωσεν αὐτὸν (Σίμωνα) τῶν τῆς ἀπάτης πέρων, καὶ τέλος εἰς ἀγῶνα θαυματουργίας προσκαλεσάμενος, καὶ θείας χάριτος καὶ ποντείας τὸ διάφορον δείξας, πάντων ὁρώντων Ῥωμαίων, ἀφ' ὕψους αὐτὸν πολλῷ κατέῤῥαξε προσευξάμενος, καὶ τὰς αὐτόπτας εἰς θαύματος εἰς σωτηρίαν ἐξώγρησεν. *Divinus Petrus fraudis* Simonem *penitus nudavit. Quem demum ad miraculorum certamen cum provocaſſet, ac divinæ gratiæ & præſtigiarum diſcrimen oſtendiſſet, ſpectantibus omnibus Romanis, magna illum ex altitudine precibus ſuis deturbavit, ſpectatoresque miraculi ad ſalutem perduxit.* Philaſtrius hær. XXIX : *Quum fugeret* Simon *beatum Petrum Apoſtolum de Ieroſolymitana civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum beato Apoſtolo apud Neronem Regem, devictus undique oratione beati Apoſtoli. atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit*

ruit interire, ut ejus Magiæ evidens mendacium cunctis hominibus patefieret. Augustinus serm. XXXVII de Sanctis, qui III est in festo Apostolorum Petri & Pauli: *Cum Simon se Christum diceret, & tamquam Filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito Magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem.* paucisq; interjectis: *Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit. Et hoc in opprobrio factum illius est; ut, qui paulo ante volare tentaverat, subito ambulare non posset; & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.* Quæ verba Maximo Taurinensi Baronius ad ann. LXIIX, 20. & Bellarminus lib. I de Rom. Pontif. cap. XXIII, tribuunt. Nimirum ut plurimis aliis, quæ sub Maximi nomine circumferri solent, homiliis, ita & huic de Petro ac Paulo sermoni, non unus parens dari solet. Interim nec in scriptis Augustini indubitatis testimonia hac de re desunt. Nam sub initium libri de Hæresibus ad Quodvultdeum ait, quod in urbe Roma *B. Apostolus Petrus* Simonem *vera omnipotentis Dei virtute extinxerit.*

Quod una cum Petro Paulus Simonem debellaverit, prater Nicephorum antiquiores etiam nonnulli tradunt

XV. Atque his antiquorum testimoniis inductus Card. Bellarminus, ubi de Petri prærogativis agit, lib. I de Rom. Pontif. cap. XXIII, vigesimam tertiam earum hanc facit, *quod Petrus primum Hæresiarcham, & principem ac patrem omnium hæreticorum, qui postea fuerunt, Simonem videlicet Magum, primus detexerit, & postea damnaverit, & plane extinxerit.* Verum in concertationis hujus victoriæque societatem etiam Paulum venisse Apostolum,

ſtolum, præter citatum ſupra Nicephorum ex antiquioribus tradit Sulpitius Severus Hiſtoriæ ſacræ libro II, *Cum*, inquiens, *Magicis artibus, ut ſe Deum probaret, duobus ſuffultus dæmonibus, evolaſſet, orationibus Apoſtolorum* (Petri & Pauli) *fugatis dæmonibus, delapſus in terram, populo inſpectante diſruptus eſt.* Idem ante ipſum jam tradiderat Cyrillus Ieroſolymitanus. Cujus verba, Catech. Φωτιζ. VI: παρατεινομένης τῆς πλάνης, ἀγαθῶν ξυνωρὶς διορθοῦται τὸ πταῖσμα, Πέτρος καὶ Παῦλος παραγενόμενοι οἱ τῆς ἐκκλησίας προστάται, καὶ ἐπιδεικτιῶντα τὸν νομιζόμενον Θεὸν Σίμωνα, νεκρὸν εὐθὺς ἀπέδειξαν. ἐπαγγελλομένου γὰρ τοῦ Σίμωνος μετεωρίζεσθαι εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ ἐπ' ὀχήματος δαιμόνων ἐπ' ἀέρος φερομένου, γόνυ κλίναντες οἱ τοῦ Θεοῦ δοῦλοι, καὶ
Matth. 18, 19. τὴν συμφωνίαν ἐνδειξάμενοι, ἣν εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἐὰν δύο ἐξ ὑμῶν συμφωνήσωσι, περὶ παντὸς πράγματος, οὗ ἐὰν αἰτήσονται, γενήσεται αὐτοῖς, τὸ τῆς ὁμονοίας βέλος διὰ τῆς προσευχῆς πέμψαντες κατὰ τοῦ μάγου, κατέβαλον αὐτὸν εἰς τὴν γῆν. *Errorem latius ſe proferentem coarguerunt duo viri boni huc perlati, Petrus & Paulus, Eccleſiæ Præfecti, & Simonem, ſeſe Deum oſtentantem, talemque exiſtimatum, confeſtim morte affecerunt. Nam cum Simon ſeſe ſublimem in cœlos latum iri profiteretur, & in aërem dæmoniorum vehiculo ferretur, genibus provoluti ſervi Dei, & concordiam illam præ ſe ferentes, quam Jeſus dixerat: Si duo ex vobis conſenſerint de omni re quamcumque petierint, ſuccedet eis; conſenſionis telum precum interventu in Magum ejaculati ſunt, & in terram eum dejecerunt.* Ubi vides, quando auctor ſermonis ſupra laudati de Petro ſcribit, quod fixis genibus precatus ſit Dominum, & ſic de ſublimi aëre Simonem depoſuerit; Cyrillum de utroque,

Paulo

Paulo pariter & Petro, affirmare, quod flexis genibus concordiæ telum per preces in Magum miserint, eumq; in terram dejecerint. Quin ipse ille, quem diximus, auctor, eodem sermone, utrumque Apostolum miraculi istius auctorem facit, & ita quidem, ut necis occasionem iis victoriam hanc præbuisse, perinde ut Nicephorus, asseveret; *Videamus causam*, scribens, *quare ista perpessi sint* (Petrus ac Paulus) *scilicet quod inter cetera mirabilia etiam Magum illum Simonem orationibus suis de aëre vacuo præcipiti ruina prostraverunt.*

Certamen cum Simone Apostolicum Icariusque illius interitus in dubium a multis vocatur, vel apertè etiam negatur.

XVI Utut autem tot antiquorum nitatur testimoniis de Icario Simonis Magi interitu narratio, non desunt interim qui suspectam eam habeant, imo falsitatis palam insimulent, viri doctissimi: tum quod verosimile non sit, rem adeo memorabilem silentio præteriturosfuisse scriptores Romanos; tum quod de illa sileant Justinus, Irenæus, Eusebius; tum quod, qui historiam hanc referunt, in tradendis circumstantiis tantopere discrepent, aliique soli Petro, alii Petro ac Paulo, illud cum Mago certamen tribuant; alii item in Neronis tempora Simonis exitum conferant, ut Sulpitius, Augustinus, Philastrius; alii in Claudii ætatem, ut Eusebius. Quo etiam facere putant Augustini testimonium, epistola XCVI scribentis: *Est hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus, cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis ecclesia jejunaverit, & consequuto tam prospero glorioso que successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis ecclesiæ.* Quæ tamen huc

ſpectare non putamus. Nec enim, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago certaverit, falſum perhibuerunt, Auguſtino teſte, Romani; ſed quod idem, occaſione certaminis iſtius, auctor exiterit jejunii Sabbatici: pro quo hoc a Petri inſtitutione petitum argumentum urgebat quidam Urbicus, adverſus quem, in gratiam Caſulani, ex propoſito ibi Auguſtinus diſputat. Confer Jo. Caſſianum de Inſtitutis Cœnobiorum. lib. III, cap. X.

Petrus cruci ſuffixus, Paulus gladio truncatus Romæ.

XVII. Quin ipſius Petri Apoſtoli conſummatum in urbe Romæ martyrium a nonnullis in dubium vocari conſtat. Quod durum tamen videtur, dum tanto conſenſu tradunt priſcæ Eccleſiæ ſcriptores, inter alios innumeros, qui (ut cap. XXI Apologetici Tertullianus loquitur) *Romæ per Neronis ſævitiam ſanguinem Chriſtianum ſeminaverunt*, PETRUM etiam ac PAULUM *Neronianum gladium crudentaſſe*; ceu ſcribit Hieronymus epiſt. XXXIII, ad Caſtrutium. Ubi tamen *gladius* pro omni inſtrumento accipiendus quo mors infertur (perinde ut Tertullianus Apolog. cap. V, *primum Neronem in* Chriſtianorum *ſectam Cæſariano gladio ferociiſſe* ait; ipſeque Hieronymus in vita Pauli, *voti tunc Chriſtianis* fuiſſe dicit, *pro* CHRISTI *nomine gladio percuti*; quemadmodum & Iſidorus ait Pacenſis Epiſcopus, æra DCCXIX: *A Toleto fugam arripientem gladio patibuli jugulat*) Etenim, ut ex aliis conſtat veteris Eccleſiæ auctoribus, qui diſerte magis ſanctorum illorum virorum deſcribunt martyria, Paulus quidem gladio interemptus eſt, Petrus vero cruci affixus. Ita videlicet narrat Euſebius Hiſtor. Eccl. lib. II, cap. XXV, quando, de Nerone agens, οὗτος, inquit, θεομάχος ἐν τοῖς μάλιστα πρῶτος ἀνακηρυχθεὶς, ἐπὶ τὰς κατὰ

Gladius pro omni inſtrumento quo mors infertur.

τῶν

τῶν Ἀποστόλων ἐπῄρθη σφαγάς. Παῦλον μὲν οὖν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι, καὶ Πέτρον ὡσαύτως ἀνασκολοπισθῆναι, κατ' αὐτὸν ἰσχύσαντα. καὶ πιστοῖ γε τὴν ἱστορίαν ἡ Πέτρου καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κεκρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐθοτι κοιμητηρίων πρόσρησις. *Hic omnium divini Numinis hostium princeps & antesignanus in ipsos etiam Apostolos sæviit. Ac Paulus quidem Romæ capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus fuisse eodem regnante traduntur. Quam quidem narrationem abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta, quæ in urbis Romæ cæmeteriis etiamnum visuntur.* Sic, inquam, Eusebius, Caji mox & Dionysii Corinthii testimoniis hæc confirmans. Sulpitius porro Severus libro II, de Neronis agens temporibus, *Tum*, ait, *Paulus ac Petrus capitis damnati. Quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est.* Orosius lib. VII, cap. VII: *Ipsum nomen* Christianorum *extirpare conatus* Nero, *beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.*

XIX. Et quidem quod ad Petri crucifixionem spectat, multi ex veteribus testantur, illum capite deorsum verso pedibusque in sublime elevatis cruci fuisse affixum. Origines puta, scriptor antiquissimus, apud Eusebium Histor. Eccl. lib. III, cap. I, Πέτρον, ait, ὅπη τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενον, ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, ἔτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. *Petrus ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est capite deorsum demisso: sic enim ut in cruce collocaretur oraverat.* Firmatque id præterea suo testimonio Eusebius ipsemet Demonstr. Evangel. lib. III, cap. VII. Sed & Chrysostomus Panegyr. in Apost. Petrum ac Paulum, χαίροις, inquit, πέτρε, ὁ ξύλα καὶ σανίδα ἀπο-

Petrus verso deorsum capite suspensus.

ἀπολαύσας, καὶ καθ' ὁμοιότητα τοῦ διδασκάλου σταυρωθῆναι μὴ θελήσας ἐν ὀρθῷ τῷ σχήματι, καθὼς ὁ δεσπότης ἡμῶν· ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὶ κεφαλὴν, ὡς εἰς οὐρανὸν τὴν πορείαν ἀπὶ γῆς ποιούμενος. *Gaudeas, Petre, qui ligno Crucis fruitus es, & ad Magistri similitudinem, recta quidem figura, sicut Dominus noster, crucifigi noluisti, sed magis inverso capite, veluti in terra ad cœlum iter parans.* Confer ejusdem homil. LXVI in Genesin, & homil. V in II ad Timotheum. Eodem spectant Maximi illa, serm. I in Natal. Apostolorum: *Hic est Petrus, qui dum ad crucem, tanquam Christi discipulus, duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non timuit, sed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit: ut ostenderet universis, admiranda se Humilitatis virtutem novique mysterii disciplinam, & inter tormenta servasse.*

Quare hunc passionis modum elegerit.

XIX. Ubi simul causa indicatur, quamobrem hunc passionis modum Apostolus elegerit. Quam itidem Hieronymus innuit sub initium libri de Scriptoribus Ecclesiasticis, dum Apostolum ita mori voluisse ait, quod judicaverit *se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus.* Gemina habet Eutychius, de Origin. Ecclesiæ Alexandrinæ, *Prehensum*, inquiens, *Petrum Nero Cæsar cruci affigit, corpore scilicet inverso: atque ita morte eum affecit. Nam & dixerat ei Petrus: si vis ut ego cruci affigar, corpore me inverso affige cruci, ne mors mihi inflicta similis sit ei quæ infligebatur Domino meo* Christo, *qui cruci affixus est corpore erecto.* Eodem respicit Prudentius hymn. VI, II, περὶ στεφάνων, ita canens:

Prima Petrum rapuit sententia, legibus Neronis
pendere jussum præminente ligno.

Ille

Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
ambire tanti gloriam Magistri,
exigit, ut pedibus mersum caput inprimant supinis,
quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen,
hoc mente major, quo minor figura.

Sed & Theodoritus, oratione de Charitate, quæ habetur in Appendice operum ejus, edit. Paris. de Petro loqvens, ἐπειδὴν, inquit, ὑπὸ Νέρωνος τὴν διὰ σταυροῦ ὑπὲρ Χριστοῦ σταυρωθέντος κατεδικάσθη σφαγὴν, παρεκάλει τοὺς δημίους, μὴ τῷ δεσπότῃ παραπλησίως, τῷ ἰδίῳ προσπαλωθῆναι δεῖσας ὡς εἰκὸς, μὴ ἡ τῶν παθῶν ταυτότης ἴσον αὐτῷ φθόνον τῶν ἀνοήτων εἰσενέγκοι τοῖς γέρασι. Διὰ τοῦτο κάτω προσπαλωθῆναι τὰς χεῖρας, καὶ ἄνω τοὺς πόδας ἱκέτευε. *Cum a Nerone Crucis supplicio propter Crucifixum damnatus esset, lictores orabat, ne eodem quo Dominus modo crucifigeretur, sed contra atque ille suspenderetur, metuens videlicet, ne similitudo passionis æqualem sibi apud ignaros honorem afferret: propterea manus deorsum, pedes sursum affigi rogavit.* Augustinus vero ita, serm. XXIIX de Sanctis, qui est in fest. Apostolorum Petri & Pauli IV: *Petrus pro* CHRISTO *capite deorsum verso in ligno suspenditur. — Ille propriis gressibus proficiscebatur ad christum, oculisque superiora respiciens, beatum spiritum deducebat ad cælum.* Adde quæ habent Haimo Histor. Eccl. lib. II, cap. XXIIX, Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum lib. I, cap. XXIIX, Nicephorus loco num. XII notato.

Crucifixionis modi varii.

XX. Scilicet non uno eodemque modo omnes crucifigebantur, sed alio atque alio schemate, ut culpa delinquentis poscebat, vel severitas judicis imperabat. Unde

Seneca libro de Consolatione ad Marciam, cap. xx: *Video isthic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite conversos in terram suspendere; alii per obscœna stipitem egerunt; alii brachia patibulo explicuerunt.* Et quod speciatim ad suspensionem inversam attinet, ita constat obiisse Calliopium, *qui sub Maximo Præfecto post alia tormenta verso in terram capite cruci affixus, nobili corona martyrii decoratus est,* ut loquitur Martyrol. Romanum ad diem VII Aprilis. Quodipsum quoque Martyrologium, de passis in Ægypto Christianis agens d. IV Octobr. *Quidam,* inquit, *capite deorsum verso, & pedibus in sublime sublatis, beatissimam martyrii coronam meruerunt.* uti de iisdem Eusebius Histor. Eccl. lib. IIX, cap. IIX scribit: ἄλλοι ἀνασκολοπισθέντες· οἱ μὲν κατὰ τὸ σύνηθες τοῖς κακούργοις, οἱ δὲ καὶ χειρόνως ἀνάπαλιν κατωκάρα προσηλωθέντες. *Alii in crucem acti: pars eo modo quo malefici vulgo suffigi solent, pars atrocius, capite deorsum verso clavis confixi.*

An Petrus & Paulus eodem tempore martyrium consummarint.

XXI. Atque ita Dæmonis *instinctu primus Nero, matre perempta, sanguinem Apostolicum bibit, ac sestrage piorum polluit;* - - - canente sic Prudentio in Symmachum lib. II, 668. cum quo confer ejusdem περὶ στεφάνων hymn. III, 470. seqq. An vero eodem plane tempore Petrus & Paulus occubuerint, non adeo liquet. Equidem Nicephorum heic si audimus, *eodem tempore, eodemque die,* Nero illos interemit. Testimonium supra habes num. XII. Alii interim, licet eodem die, non tamen eodem anno, utriusque martyrium contigisse affirmant. Quos inter Prudentium

dentium esse, constat ex supra laudato ipsius hymno VI, 5. ubi ait:

Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
vidit superba morte laureatum.

crediditque idem Augustinus; si sermones de Petro & Paulo, qui vulgo ei tribuuntur, revera ipsius sunt. Etenim quod non eodem anno martyrium ambo consummaverint Apostoli, docet sermone IV: *Currunt*, ajens, *uterque ad palmam martyrii, & uterque perveniunt ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni vertentis occursu.* Quod vero eodem die obierint, affirmat sermone præcedenti III, his verbis: *Non sine causa putemus factum, quod una die, uno in loco, tyranni unius toleravere sententiam. Una die passi sunt, ut ad* CHRISTUM *pariter pervenirent: uno in loco, ne alteri Roma deesset: sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret.* Confer serm. CVII & CIIX de diversis Tom. I, ac serm. de Natali SS. Petri & Pauli Tom. II Supplem. Augustini Parisens. nec non lib. I de Consensu Evangelistarum cap. X, & junge Hieronymum de Scriptor. Eccles. cap. XV, in Paulo, Gregoriumque Nyssenum serm. in eos qui ægre ferunt reprehensiones.

XXII. Speciatim ad tempus quod attinet Paulini martyrii, notari possunt quæ ex summæ antiquitatis membranis publicavit, suoque N. T. subjunxit, Clariss. Bœclerus, & post eum Curcellæus: ὅτι Νέρωνος τοῦ καίσαρος Ῥωμαίων, ἐμαρτύρησεν αὐτόθι Παῦλος ὁ Ἀπόστολος, ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, ἐν τῷ τριακοστῷ καὶ ἕκτῳ ἔτει τῆς σωτηρίου πάθους, τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνισάμενος ἐν Ῥώμῃ, πέμπτῃ ἡμέρᾳ Παυέμου μηνὸς, ἥτις λέγοιτο ἂν παρὰ Ῥωμαίοις

οἷς ἡ περὶ τριῶν καλανδῶν ἰουλίων, καθ' ἣν ἐτελειώθη ὁ ἅγιος Ἀπόστολος τῷ κατ' αὐτὸν μαρτυρίῳ ἑξηκοστῷ καὶ ἐνάτῳ ἔτει τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ παρουσίας. *Sub Nerone, Cæsare Romano, martyrium ibi subiit Paulus Apostolus, gladio truncatus anno* XXXVI *a passione Salvatoris, præclaro certamine decertato Romæ die quinto mensis Panemi, qui Romanis est* III *Kal. Iul. quando martyrium consummavit sanctus Apostolus anno* LXIX *ab adventu Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quæ annotata esse imperantibus Arcadio & Honorio, indicium mox auctor facit.

Iacobi Iusti martyrium.

XXIII. Neronis porro tempore (ut id extra ordinem, quasi addamus) sed Ierosolymis, & procuratore Anano Pontifice, homine sæviſſimo, sectæque Judaicæ addictissimo, martyrii coronam reportavit Jacobus, cognomento Justus, primus Jerosolymorum Episcopus, &, si credimus, præter antiquos nonnullos, M. A. de Dominis, lib. II de Republ. Eccles. cap. II, aliisque recentioribus, diversus a Jacobo Alphæi, sive minore, Apostolo: tametsi opinionem hanc impugnat Baronius ad annum XLIV, 36. seq. severe eo nomine castigatus a M. Antonio, loco memorato) De cujus morte sic Josephus, lib. XX Antiquit. Judaic. cap. VIII: ὁ νεώτερος Ἄνανος, ὃν τὴν ἀρχιερωσύνην ἔφαμεν παρειληφέναι, θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὴς διαφερόντως, αἵρεσιν δ' μετῆει τὴν Σαδδουκαίων, εἶπερ εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους, καθὼς ἤδη δεδηλώκαμεν. ἅτε δὴ ὢν τοιοῦτος ὢν ὁ Ἄνανος, νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον, διὰ τὸ τεθνάναι μὲν Φῆστον, Ἀλβῖνον δὲ ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν, καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0052
DFG

χρείαν παυσάμενος, παρέδωκε λευθησομένους. ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι, καὶ περὶ τὰς νόμους ἀκριβεῖς, βαρέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ, καὶ πέμπουσιν πρὸς τὸν βασιλέα κρύφα παρακαλοῦντες αὐτὸν ἐπιστεῖλαι τῷ Ἀνάνῳ, μηκέτι τοιαῦτα πράσσειν. μηδὲ γὰρ τὸ πρῶτον ὀρθῶς αὐτὸν πεποιηκέναι. τινὲς δ' αὐτῶν καὶ τὸν Ἀλβῖνον ὑπαντιάζουσιν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ὁδοιπορῶντα, καὶ διδάσκουσιν ὡς οὐκ ἐξὸν ἦν Ἀνάνῳ χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσαι συνέδριον. Ἀλβῖνος δὲ πεισθεὶς τοῖς λεγομένοις γράφει μετ' ὀργῆς τῷ Ἀνάνῳ, λήψεσθαι παρ' αὐτοῦ δίκας ἀπειλῶν καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας διὰ τοῦτο τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφελόμενος αὐτὸν ἄρξαντα μῆνας τρεῖς Ἰησοῦν τὸν τοῦ Δαμνέως κατέστησεν. *Ananus, is, quem nunc summum Pontificatum accepisse diximus, audax erat & ferox ingenio, secta Sadducaus: quod hominum genus apud Judaos in judicando est severissimum, ut ante docuimus. Talis igitur cum esset, tempus oportunum se nactum ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, Concilium Judicum advocat, statutumque coram eo fratrem Jesu Christi, Jacobum nomine, & una quosdam alios reos impietatis peractos, lapidandos tradidit. Quod factum omnibus in ea civitate bonis & legum studiosis vehementer displicuit; missisque ad Regem clam nunciis, rogaverunt, mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret: nam ne nunc quidem recte egisse. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandria, docuerunt eum, non licuisse Anano sine ipsius consensu advocare Concilium. Horum verbis ille persuasus, iracunde scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: & Agrippa Rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo Pontificatum Jesu Damnei filio concessit.* Ita Josephus: ad quem etiam heic provocat Origenes,

in Matthæum Tomo xi, ad cap. xiii, 55. & contra Celsum lib. i; Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. ii, nec non Eusebius lib. ii Histor. Eccl. cap. xxiii. Qui paulo ante, postquam de singulari Jacobi sanctitate, ejusque munere, vivendi ratione, & intrepida Salvatoris confessione, multa ex Egesippo attulisset, mox ex eodem auctore (adjecto insuper Clementis Alexandrini testimonio) memorat, eum a Scribis quibusdam, Pharisæis, aliisque Judæis, in pinna templi statutum esse, ut inde verba ad universum populum faciens, eidem persuaderet, ne in Jesum crederet. Cum vero tantum abesset, ut morem iis Jacobus gereret, ut potius, Jesum, filium hominis, sedere in cœlo a dextris magnæ potentiæ, venturumque hinc in nubibus, clara voce profiteretur, mox Pharisæos & Scribas illos ascendisse εἰς τὸ πτερύγιον, eumque inde præcipitem dedisse, &, quia sic nondum exspiraverat, lapidibus impetiisse, donec tandem fullo quidam, instrumento quo vestimenta excutiunt ac purgant, illum occideret. Hæc, ut dixi, prolixe ex Egesippo ita refert Eusebius, & ex parte Hieronymus; Epiphanius item hæres. lxxiix, ac Nicephorus lib. ii, cap. xxxiix. At Josephus Scaliger, Animadvers. in Eusebii Chronologica num. mmlxxvii, eorum, quæ tum de vita, tum morte Jacobi ex Egesippo afferuntur, accuratum examen instituens, narrationem istam non pauca continere ἀσύστατα, & partim cum ipsis sacris literis, partim cum aliis fide dignis Historicis pugnantia, multis demonstrare satagit, idque, more suo, eruditissime. An vero & quousque argumentis ipsius satisfecerint Petavius, in Animadversionibus ad Epiphanii hæres. lxxiix, & Halloixius in Nota-

Notationibus ad vitam Hegesippi cap. III, lectoris prudentiæ judicandum relinquimus.

XXIV. Atque hactenus de prima persecutione, quæ Romæ cœpit, & postea per omnes provincias grassata est, ut habet Orosius. Certe, ad ipsos usque Hispanos eam perrupisse, fidem facit vetus inscriptio, in Hispania, loco Pisvergæ vocato, extans; quæ hæc est: NERONI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. PONT. MAX. OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET. HIS. QUI. NOVAM. GENERI. HUMANO. SUPERSTITIONEM. INCULCARANT. PURGATAM. Videatur Adolphus Occo Inscript. Hispan. pag. 26. num. 8. Janus Gruterus in Thesauro pag. 238. num. 9. Jos. Scaliger de Emendatione Temporum libro V, Card. Baronius ad ann. LXIX, 46. *Tropæum Neroni persecutori positum.*

XXV. Nimirum *Imperatores & Reges seculi putaverunt, se persequendo tollere posse de terra nomen* CHRISTI, *& nomen Christianorum: jusserunt, ut, quisquis se confiteretur Christianum, ferirerur:* quæ Augustini sunt verba, expos. partis I Ps. XC. Inde similia de extinctis Christianis tropæa etiam Diocletianeæ persecutionis tempore fuerunt erecta. Vide infra cap. X, 71. Pertinentque huc solemnes populi acclamationes: *Christiani tollantur! Christiani non sint! Tolle Atheos!* Legantur Acta Sabini apud Baronium ad ann. CCCI, 18. Eusebius lib. IV Histor. Eccl. cap. XV. spectatque eodem lex: *Non licet esse vos!* apud Tertullianum Apolog. cap. IV. *Vana Gentilium persuasio, persecutionibus extinctum iri Christianismum.*

XXVI. Coronidis loco adjicimus quæ de Neroniæ impietatis & sævitiæ pœna Lactantius habet, libro de Mortibus Persecutorum cap. II. *Respexit*, inquit, *Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperii,* *Neroniana tyrannidis pœna.*

ac devolutus a summo Tyrannus impotens, nusquam repente comparuit, ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret. Unde illum quidam deliri credunt esse translatum, ac vivum reservatum.

CAPUT II.

DE

PERSECUTIONE SECUNDA, SUB DOMITIANO.

CONSPECTUS.

I. *Domitiani vita.*
II. *Domitianus alter Nero.*
III. *Iohannes Evangelista in Patmum relegatus.*
IV. *Relegatio & Exilium non unius generis apud Romanos.*
V. *Relegatio & Deportatio differunt.*
VI. *Iohannem in metalla damnatum esse tradunt Haymo & pseudo-Victorinus.*
VII. *Iohannes a ferventi oleo illæsus manſit.*
IIX. *Iohannem pro Christo mortuum esse tandem, Chrysostomus putat: forte etiam Theophylactus.*
IX, X. *Clementis Cos. & Flaviæ Domitillæ martyrium.*
XI. *Dionis & Eusebii in de Domitilla narratione discrepantia, & qui conciliare illam conetur Baronius.*
XII. *Domitianus Davidis genus extirpare satagit.*
XIII. *Egesippi ea de re narrationem impugnat Scaliger.*
XIV. *Scaligerum huic refellit Valesius.*
XV. *Dionysii Areopag. passio.*
XVI. *Domitianum pacem Ecclesiæ reddi-*

reddidisse, per σφάλμα μνημονικὸν scribit Tertullianus. Id enim non ipse, sed Nerva fecit.

XVII. *Epiphanii lapsus. Huetii, eum reprehendentis, ἀβλεψία.*

XIIX. *Restitutio in integrum.*

I.

SECUNDUS supplicia adversus populum Christianum decrevit T. FLAVIUS DOMITIANUS, fratris sui, Titi Vespasiani, circa annum Christi LXXXI successor. Qui, dicente Suetonio, circa administrationem imperii aliquamdiu se varium præstitit, mistura quoque æquabili vitiorum ac virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit. Scilicet non tantum jus diligenter & industrie dixit, scripta famosa, quibus primores viri ac feminæ notabantur, abolevit, in impudicos severissime animadvertit, falsas delationes & calumnias, magna delatorum pœna, repressit, Cupiditatis atque Avaritiæ vix suspicionem ullam, magnas vero Abstinentiæ & Liberalitatis experimenta dedit: sed etiam sub imperii initia adeo ab omni cæde abhorruit, ut edicere stinaverit, ne boves immolarentur: quemadmodum narrat Suetonius. Paulatim vero ad ingentia vitia progressus, Libidinis, Iracundiæ, Crudelitatis, Avaritiæ, tantum in se odium concitavit, ut merita & patris & fratris aboleret; ceu loquitur Eutropius. Nempe, qui inter initia principatus, remotis procul omnibus, muscarum agmina persequebatur, quod ait Aurelius Victor; sive, ut Suetonius habet, quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quidquam amplius quam muscas captare, ac stylo præacuto configere; mox crudelitatem

ſuam in homines vertit, & leviſſima quosque de cauſa occidere cœpit. Ecce enim, Metium Pompuſianum interfecit, quod depictum orbem terræ in membranas circumferret, ut eſt apud Suetonium; vel, ut Dio refert, quod haberet orbem terræ pictum in parietibus cubiculi; quod conciones Regum & ceterorum Principum, quæ ſunt apud Livium ſcriptæ, excerpſiſſet, ac recitaret; quodque ſervis nomina Magonis & Annibalis indidiſſet: Salluſtium Lucullum occidit, quod lanceas novæ formæ appellari *luculleas* paſſus eſſet; Ruſticum Arulenum, pluresque alios, quod Philoſophiæ operam darent; Maternum Sophiſtam, quod exercendi ſui cauſa in Tyrannos dixiſſet; Herennium Senecionem, quod, cum vixiſſet diutiſſime poſt quæſturam, nullum magiſtratum petiviſſet, quodque Helvidii Priſci vitam conſcripſiſſet; Paridis pantomimi diſcipulum, impuberem adhuc, & tum maxime ægrum, quod arte formaque non abſimilis magiſtro (quem jam ante tyrannus necaverat) videbatur. Hermogenem Tarſenſem propter quasdam in hiſtoria figuras interemit, librariis etiam, qui eam deſcripſerant, crucifixis; Patremfamilias, quod Threcem mirmillioni parem, munerario imparem, dixerat, detractum e ſpectaculis in arenam canibus objecit. Occidit & Ælium Lamiam, quod poſt abductam uxorem laudanti vocem ſuam, *heu taceo*, dixerat; quodque Tito, hortanti ſe ad alterum matrimonium, reſponderat: μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; Salvium Coccejanum, quod Othonis Imperatoris, patrui ſui, diem natalem celebraverat; Helvidium filium, quod quaſi ſcenico exodio, ſub perſona Paridis & Oenones, divortium ſuum cum uxo-

re

re taxaſſet; Flavium Sabinum, alterum e patruelibus, quod eum comitiorum Conſularium die deſtinatum, perperam præco, non *Conſulem*, ad populum, ſed *Imperatorem*, pronunciaſſet. Mulier quædam, quod ſemet exuerat ante ſtatuam Domitiani, damnata & interfecta eſt. Complures etiam Senatores, inque his aliquot Conſulares, a Domitiano ſunt interempti. Solebat inſuper tyrannus dies & horas indagare, quibus viri principes nati eſſent, & eo nomine multos tollebat, qui numquam de principatu adipiſcendo cogitarant. Imo, quot homines interfici juſſerit, dici non poteſt, ait Dio Caſſius. Quia vero non tantum homo audax erat & iracundus, ſed inſidiator etiam & vafer, teſte eodem Dione, vel, ut Suetonius loquitur, non ſolum magnæ, ſed & callidæ inopinatæque ſævitiæ; hinc, quo contemptius abuteretur patientia hominum, numquam triſtiorem ſententiam ſine præfatione clementiæ pronunciavit: ut non aliud jam certius atrocis exitus ſignum eſſet, quam principii lenitas; uti memoratus Suetonius ibidem pergit; &, ut Dio ſcribit, neminem umquam & vere & ex animo dilexit, præter paucas mulieres; eum autem ſe diligere ſimulabat ſemper, quem maxime interfectum cupiebat. Ipſo Nerone ſæviorem fuiſſe, ſub finem Agricolæ teſtatur Tacitus; dum hic ſubtraxerit oculos, juſſeritque ſcelera, non ſpectaverit; ſub Domitiano autem præcipua miſeriarum pars fuerit, videri & aſpici, cum ſuſpiria hominum ſubſcriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus & rubor, quo ſe contra pudorem muniverit. Tandem in tantam ſuperbiam prolapſus eſt, ut Dominum ſeſe ac Deum vocari,

cari, ſcribi, colique juſſerit; veluti teſtantur (ex quibus etiam ſuperiora deprompſimus) Suetonius, Dio Caſſius, Aurelius Victor, Eutropius, Oroſius, Euſebius, Suidas, Cuſpinianus, inque vita Apollonii Philoſtratus.

Domitianus alter Nero.

II. Atque hic DOMITIANUS, quem, ob crudelitatem, Tertullianus, Auſonius, Juvenalis, Petilianus apud Auguſtinum, *Neronem Calvum, Neronem Domitianum, portionem Neronis de crudelitate, Neronis maximam partem, Sub-Neronem* (ita enim legendum videtur apud Tertullianum de Pallio cap. IV) Euſebius autem *Neronianæ impietatis heredem* vocat; quique, ut Amm. Marcellinus lib. XIIX ait, *memoriam nominis ſui inexpiabili deteſtatione perfudit*; ſecundus Chriſtianorum perſecutor extitit. Ita namque tradit Euſebius in Chronico, οὗτος, inquiens, μετὰ Νέρωνα δεύτερος χριστιανοὺς ἐδίωξεν. *Secundus poſt Neronem Domitianus Chriſtianos perſequitur.* uti lib. III Hiſtor. Eccl. cap. XVII, de eodem tyranno verba faciens, Δεύτερος, ſcribit, τὸν καθ' ἡμῶν ἀνεκίκει διωγμὸν· καίπερ οὗ πατρὸς αὐτοῦ Οὐεσπασιάνου μηδὲν καθ' ἡμῶν ἄτοπον ἐπινοήσαντος. *Hic ſecundus perſecutionem in nos concitavit, quamvis pater ipſius Veſpaſianus nullam umquam injuriam nobis inferre tentaſſet.* Eodem modo Oroſius ait, lib. VII, cap. X: *Domitianus, efferatus ſuperbia, qua ſe Deum coli vellet, perſecutionem in Chriſtianos agi ſecundus a Nerone imperavit.* & Lactantius, de Mortibus Perſecutorum cap. III, ubi de Neronis egiſſet perſecutione, *Poſt hunc*, ſubjungit, *interjectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus eſt: qui cum exerceret inviſam dominationem, ſubjectorum tamen cervicibus incubavit quam diutiſſime, tutusque regnavit, donec impias*

manus

manus adversus Dominum tenderet. Postquam vero ad persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas. Adde quæ habet Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccl. cap. IX, in Johanne; ubi initia hujus persecutionis in XIV Domitiani annum refert; perinde ut Eusebius in Chronicis. Sed & spectant huc Theodoriti illa, Therapevt. lib. IX: Δομιτιανὸς πολλοῖς κατ' αὐτῶν καὶ παντοδαπῆς χρησάμενος μηχανήμασι, πολλοὺς δὴ τότε ἀναζομένους τῷ θεσπίσματι παρέπεμψε, παντοδαπῆς κολάσεως ἰδέαις χρησάμενος. *Domitianus multis variis machinationibus eas* (de legibus loquitur Evangelicis, sive doctrina CHRISTI) *oppugnando, multos, qui se legibus istis addixerant, de medio sustulit, omne tormentorum genus in eos intendens.*

III. Hac tempestate Evangelistam & Apostolum JOHANNEM in Parmum insulam (unam ex sporadibus maris Ægei, quæ in circuitu habet passuum triginta millia, teste Plinio Nat. Histor. lib. IV, cap. XII, Strabone lib. X) relegatum esse, iidem quos modo laudabamus, cumque his alii insuper tradunt scriptores. Eusebius nempe in Chronico ait: Ἰωάννην τὸν Θεολόγον Ἀπόστολον ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ ὠκείωσεν, ἔνθα τὴν ἀποκάλυψιν ἑώρακεν, ὡς ὁ ἅγιος Εἰρηναῖός φησι. Quæ Hieronymus vertit: *Sub eo* (Domitiano) *Apostolus Iohannes in Patmum insulam relegatus, Apocalypsim vidit, quam Irenæus interpretatur.* & lib. III Histor. Eccles. cap. XIIX: ἐν τούτῳ κατέχει λόγος τὸν Ἀπόστολον ἅμα καὶ Εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην ἔτι τῷ βίῳ διατρίβοντα, τῆς εἰς τὸν θεῖον λόγον ἕνεκεν μαρτυρίας, Πάτμον οἰκεῖν καταδικασθῆναι τὴν νῆσον. *In hac persecutione Ioannes Apostolus idem & Evangelista, qui etiam tum in vivis superat*

Iohan. Æg. angelista in Patmum relegatus.

erat, ob testimonium quod divino verbo perhibebat, in insulam Patmum traditur esse relegatus. Sulpitius Severus lib. II: *Domitianus, Vespasiani filius, persecutus est Christianos: quo tempore Iohannem Apostolum atque Evangelistam in Pathmum insulam relegavit; ubi ille arcanis sibi mysteriis revelatis librum sacræ Apocalypsis conscriptum edidit.* Idem confirmant Orosius & Hieronymus locis ante memoratis. Sed & Origenes in Matthæum Tom. XVI, ad cap. XX, 22. ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς, scribit, ὡς ἡ παράδοσις διδάσκει, καταδίκασε τὸν Ἰωάννην μαρτυρῆσαι διὰ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον εἰς Πάτμον τὴν νῆσον. *Romanorum Imperator, quemadmodum perhibet traditio, Iohannem veritatis verbum testimonio suo comprobantem in Patmon insulam relegavit.* moxque ad locum provocat Apocal. I, 9. seqq. ubi ipse Apostolus diserte tradit, se *propter sermonem Dei & testimonium Iesu Christi* in insula Patmo agentem Apocalypsin suam vidisse ac conscripsisse.

Relegatio Exilium omnis generis apud Romanos.

IV. Erant autem apud Romanos duo Relegatorum genera. Quidam in insulam relegabantur: quibusdam vero simpliciter, vel urbe & Italia, vel provinciis interdicebatur, non etiam insula assignabatur; l. VII D. de Interdictis & relegatis. sicut & exilium triplex fuisse dicitur l. V D. eod. scilicet, aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium locorum interdiceretur præter certum locum; aut insulæ vinculum; id est, in insulam relegatio. Illis qui in insulam erant relegati, egredi ea non licebat, l. IV D. eod. Quæ pœna etiam post mortem manebat, ita ut, si quis in insula, quo relegatus erat, obiret, non liceret ejus corpus inde transferre aliubi, & sepelire, inconsulto Principe, l. II D. de Cadav.

Cadav. punitorum. Quod si in insulam relegatus locis interdictis non abstineret, deportationis pœna ipsi irrogabatur, l. IV D. de Pœnis.

V. Scilicet Jureconsultis *deportandi* verbum gravius est quam *relegandi*; licet alii auctores vocabulis istis promiscue interdum utantur: quos tamen Juris interpretibus imitandos non esse, Jac. Cujacius monet comm. ad l. XII D. de Excusationibus. *Deportatio* proprie exilium erat; *Relegatio* autem exilio contradistinguitur l. II D. de publ. judiciis. Unde Ovidius, edicti verba expendens quo ab Augusto relegatus erat, Tristium II, 135. ait: *Relegatio & Deportatio differunt.*

Adde, quod edictum, quamvis immite minaxque,
attamen in pœnæ nomine lene fuit.
Quippe Relegatus, *non* Exul, *dicor in illo.*

& lib. V, eleg. XII, 21.

Ipse Relegati, *non* Exulis, *utitur in me*
nomine.

item elegia III, 13.

— — *nec* Exul
edicti verbis nocuinor ipse tui.

Ita Naso. qui tamen ipse *Exulem* se vocat, tum alibi, tum sub initium Tristium, quando sic librum alloquitur:

Vade, sed incultus, qualem decet Exulis esse.

Ceterum de Relegationis ac Deportationis differentia plura qui vult, videat l. VII, §. II, seqq. D. de Interdictis & relegatis, inque eam Cujacium aliosque interpretes, item Jo. Strauchii JCti dissertationem de centum lapidibus suburbicariis pag. 28. seqq.

VI. Haymo Halberstadiensis, ubi in commentarium suum in Apocalypsin præfatur, ita in Patmum S. Johan- *Iohannem in metalla damnatum*

esse tradunt Haymo & Pseudo-Victorinus.

hannem relegatum esse memorat, ut simul in metalla fuerit damnatus; *Legimus*, ajens, *in Ecclesiastica historia, beatum Johannem a Domitiano impiissimo Cæsare in Pathmos insulam relegatum, exilio deportatum, metallo damnatum, ob insuperabilem Evangelii prædicationem; ut ibi forsitan secreta marmorum vel terram foderet, aut his similibus præceptis deserviret Imperialibus: sicut legimus factum in passionibus sanctorum martyrum.* Ubi vellem nominasset Haymo illos Ecclesiasticæ historiæ scriptores, quorum auctoritate hæc de S. Johannis in metalla damnatione relatio nititur. Certe tacet heic tota antiquitas: nisi quod in commentario Apocalyptico, qui sub Victorini nomine extat, sequentia habentur: *Quando hoc vidit Johannes, erat in insula Pathmos, in metallum damnatus a Domiciano Cæsare. Ibi ergo vidit Apocalypsin. Et cum senior jam putaret, se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano omnia judicia ejus soluta sunt, & Johannes de metallo dimissus.* Quod quidem vetustum satis esset testimonium, si commentarius iste genuinum haberet parentem, cujus nomen præfert, Victorinum Petabionensem (perperam Pictaviensem vulgo creditum, ut peculiari libello ostendit Joannes Launoius, Doctor Parisiensis) utpote seculi tertii auctorem. At spurium hunc esse fœtum, inde dudum monstrarunt viri docti, quod Hieronymus, tum epistola de commentario isto ad Anatolium, tum libro de Scriptoribus Eccles. in Papia, testis est, Victorinum in opere suo nativo opinionem sequutum esse Chiliastarum; cum qui hodie sub ejus nomine extat libellus non solum errorem isthunc non habeat, sed & contra illum pugnet.

VII. An-

VII. Antequam in Patmum detruderetur, in ferventis olei labrum demersum esse S. Iohannem, sed integrum inde & incolumem evasisse, Tertullianus refert lib. de Præscriptionibus adversus Hæreticos, cap. XXXVI. Verba sunt: *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident; apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxime est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque autoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Johannis* Baptistæ *exitu coronatur; ubi Apostolus Johannes, postea quam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.* Hæc Tertullianus. ad quem provocans Hieronymus lib. 1 adversus Jovinianum cap. XIV, *Refert Tertullianus*, inquit, *quod Romæ missus in ferventis olei dolium* Johannes, *purior & vegetior exiverit quam intraverit.* Ita nimirum legi heic debet; non vero, ut quædam habent editiones: Johannem *a Nerone missum* esse *in ferventis olei dolium.* Quod nec apud Tertullianum dicitur, nec alias historiæ consonat. Mendo igitur laborant illa exemplaria; ni forte lapsum memoriæ tribuere velimus Hieronymo, qualem in Areta Cæsariensi, ipsam relegationem Johannis, ubi in hujus Apocalypsin commentatur, Neroni tribuente, observare licet. Recitato Hieronymi loco junge alium,

Iohannes a ferventi oleo illæsus mansit.

ex ejusdem comment. in Matthæi cap. xx, 23. ubi Salvatoris verba, (quibus ad filios Zebedæi, sessionem a dextris & sinistris sibi deposcentes, utitur) *Calicem meum bibetis*, expendens, *Quæritur*, ait, *quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet & Joannes, biberint, cum Scriptura narret, Jacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum; Joannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod & ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus, martyrio animum non defuisse, & bibisse Joannem calicem confessionis, quam & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.* Hæc rursum Hieronymus.

Johannem pro Christo mortuum esse tandem, Chrysostomus putat.

IIX. Chrysostomus, ipsam tandem pro Christo mortem subiisse Johannem, indicium facit homil. in Matthæum LXV; dum verba Domini, cap. XX, 23. τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε, quibus Jacobum & Johannem allocutus est, ita exponit: μαρτυρίᾳ καταξιωθήσεσθε (καὶ ταῦτα πείσεσθε) ἅπερ ἐγὼ, βιαίῳ θανάτῳ τὴν ζωὴν καταλύσετε, καὶ ἐμοὶ κοινωνήσετε. *Martyrii corona potiemini, & violenta morte, sicut & ego, a vita decedetis, & in his mihi communicabitis.* ac paulo post: ἀποθανεῖσθε μὲν δι' ἐμὲ, καὶ σφαγήσεσθε τοῦ κηρύγματος ἕνεκεν, καὶ κοινωνήσετέ μοι τοῦ πάθους. *Propter me & prædicationis meæ gratia moriemini, ac meæ passionis participes eritis.* Videturque Theophylactus, qui ubique Chrysostomi legit vestigia, Trajano Imperatori, quod Johannem sustulerit, tribuere. Expendens

forte etiam Theophylactus.

pendens enim supra recitata Matthæi verba, &, quomodo eventus iis responderit, indicaturus, Ἰάκωβον μὲν, inquit, Ἡρῴδης ἀπέκτεινεν, Ἰωάννην δὲ Τραϊανὸς κατεδίκασε μαρτυρῆσαι τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας. *Iacobum Herodes occidit; Iohannem autem Trajanus condemnavit.* Nisi enim de consummato ipsius mortis interventu martyrio intellecta hæc vult auctor, sed de relegatione, aut ferventi oleo, ingentem committens metachronismum, ad Trajanum refert quæ Domitiani acciderunt ætate. At quocumque tandem modo accipiatur, a vero ipsum aberrare certum est, ut aberrat quoque Chrysostomus. Revocatum enim ex Patmo S. Iohannem naturali tandem morte obiisse, scriptores Ecclesiastici Chrysostomo & Theophylacto antiquiores unanimi consensu testantur. Sed pergamus in Domitiani narranda tyrannide.

IX. Is adeo in omne CHRISTI nomen professos desæviit, ut ne propinquis quidem suis CHRISTI fidem professis pepercerit. Dione enim Cassio auctore, libro LXVII, τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα, κατέσφαξεν. ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ τῶν γε ὄντων ἐστερήθησαν, ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Παντατέριαν, *FABIUM CLEMENTEM Consulem, etsi patruelis ejus erat, ac FLAVIAM DOMITILLAM, & ipsam Domitiani cognatam, uxorem habebat, morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Quo crimine plures etiam alii, Judaicos ad ritus exorbitantes*, (quos inter Acilius Glabrio, qui cum Trajano Consulatum gesserat) *damnati sunt: quorum* *Clementis Cos. & Flavia Domitilla martyrium.*

Titi Flavii Clementis, Viri consularis et martyris, tumulus illustratus autore P. de Vitry. Disquis. in dissert. Sanc. 1727 S. n. J. 1730. p. 84.

rum pars occisa est, pars spoliata facultatibus: Domitilla tantummodo in Pandateriam relegata est. Ubi ἀθεότης & ἰουδαίων ἦθη Christianismum notant: quem sic a profanis Gentilibus appellari consveviſſe, Tract. de Calumniis Paganorum in veteres Christianos sparsis libro II, cap. I, & libro I, cap. III, variis adductis antiquorum testimoniis ostendimus. Confer infra num. XII, & Prælimin. num. III. Dionis testimonio junge illud Suetonii in vita Domitiani cap. XV: *Flavium Clementem, patruelem suum, contemptissimæ inertiæ, cujus filios etiamnum parvulos successores palam destinaverat, &, abolito priore nomine, alterum Vespasianum appellari jusserat, alterum Domitianum, repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso ejus Consulatu interemit.* Ubi dum Clementem *contemptissimæ inertiæ* hominem vocat, eo ipso, quod Christianus fuerit, significat. Frequens nimirum hæc erat Ethnicorum in Christianos solita jactari contumelia, quod essent inertes. Vide jamjam memorati de Calumniis Paganorum operis lib. III, cap. XII.

X. Ad FL. DOMITILLAM quod spectat, eam ob Christiani nominis professionem relegatam esse, testis quoque est Eusebius in Chronico. cujus verba: Πολλοὶ χριστιανῶν ἐμαρτύρησαν ἐπὶ Δομετιανοῦ, ὡς ὁ Βρέτλιος ἱστορεῖ, ἐν οἷς καὶ Φλαβία Δομετίλλα, ἐξαδελφὴ κλήμεντος Φλαβίου ὑπατικοῦ, ὡς χριστιανὴ εἰς νῆσον Ποντίαν φυγαδεύεται. Quæ Hieronymus vertit: *Scribit Brutius* (*Erutius*, aut *Prutianus*, legendum censet Baronius ad annum XCVIII, II. quod tamen haud probatur Scaligero ad Eusebium num. MMCXII.) *plurimos Christianorum sub Domitiano feciſſe martyrium: inter quos & Flaviam Domitillam, Flavii Clementis*

mentis Consulis ex sorore neptem, in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam testata sit. Idem Eusebius Histor. Eccl. lib. III, cap. XIIX, ἐν ἔτει, inquit, πεντεκαιδεκάτῳ Δομετιανοῦ μετὰ πλείστων ἑτέρων καὶ Φλαβίαν Δομετίλλαν ἱστορήσαντες, ἐξ ἀδελφῆς γεγωνυῖαν Φλαβίου Κλήμεντος, ἑνὸς τῶν τηνικάδε ἐπὶ Ῥώμης ὑπάτων, τῆς εἰς χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν εἰς νῆσον Ποντίαν κατὰ τιμωρίαν δεδόσθαι. *Scribunt, anno Principatus Domitiani quintodecimo Flaviam Domitillam, Flavii Clementis ejus, qui tunc temporis Romæ Consul fuit, ex sorore neptem, una cum aliis plurimis ob confessionem* CHRISTI *in insulam Pontiam fuisse deportatam.*

XI. Apparet autem, in duobus discrepare Eusebium a Dione. Iste nimirum Domitillam Clementis uxorem; ille ejusdem ex sorore neptem fuisse memorat. Iste eam in Pandateriam; ille in Pontiam insulam relegatam scribit. Et quidem locum, quo relegata est Domitilla, etiam Hieronymus *Pontiam* vocat, quando de Paula, Roma Jerosolymam navigante, in Epitaphio ejus ad Eustochium virginem, sive epist. XXVII, *Delata*, inquit, *ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam fœminarum sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christiani, Flaviæ Domitillæ, nobilitavit exilium, videnscque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, Hierosolymam & sancta loca videre cupiebat.* Martyrologium vero Romanum, ad diem VII Maji, non tantum insulæ Pontiæ meminit, sed & Domitillam *Virginem* vocat, *quæ, cum esset Flavii Clementis Consulis sororis filia, & a sancto Clemente sacro velamine consecrata, in persecutione Domitiani, ob testimonium Christi, cum aliis plurimis in insulam Pontiam exilio deportata, longum ibi mar-*

Dionis & Eusebii in de Domitilla narratione [illegible]tia.

tyrium duxit. Gemina habet ad eundem diem Martyrologium Adonis Viennensis, vel, ut alii malunt, Trevirensis, nisi quod Fl. Domitillam expresse Virginem non appellat, sed *beatissimam atque illustrissimam Dei famulam.* Card. Baronius in suis ad laudatum Martyrologii Romani locum Notationibus, itemque in Annalibus Ecclesiasticis ad ann. xcviii, 5 existimat, nisi in Dione errorem admittere velimus, dicendum esse, duas fuisse Flavias Domitillas, ambasque tum genere, tum etiam fide Christiana, præstantes: quarū altera uxor fuerit Flavii Clementis Consulis, Domitiani Imperatoris neptis, quam ille in Pandatariam insulam Christianæ religionis causa relegaverit; altera autem Virgo, ejusdemque Flavii Clementis Consulis ex sorore neptis, quæ in insulam Pontiam relegata fuerit. Baronio assentit Antonius Gallonius, lib. de Cruciatibus Martyrum, cap. ix, p. m. 339. Ceterum de insula Pontia & Pandataria videatur Plinius lib. iii Hist. Nat. cap. vi.

Baronii consiliatio.

Domitianus Davidis genus extirpare satagit.

xii. Iis, quæ de Domitilla in Historia sua Ecclesiastica Eusebium commemorare supra dicebamus, mox ab eodem ex Egesippo subjungitur, quomodo Domitianus accurate conquiri jusserit, si qui e Regia Davidis stirpe superstites essent, ut scilicet & hos interficeret. Quam historiam etiam Orosius tangens lib. vii, cap. x, *Inter Judæos quoque*, ait, *acerbitate tormentorum & cruentissimæ quæstionis exquiri genus David atque interfici præceptum est; dum Prophetis sanctis & invidetur, & creditur, quasi adhuc futurus esset ex semine David qui regnum posset adipisci.* Egesippi vero verba, quæ dicto loco cap. xx affert Eusebius, ita habent: ἔτι φεύγουσι οἱ ἀπὸ

ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου υἱωνοὶ Ἰούδα, τοῦ κατὰ σάρκα λεγομένου αὐτοῦ ἀδελφοῦ, οὓς ἐδηλατόρευσαν, ὡς ἐκ γένους ὄντας Δαβίδ. τούτους δ' ὁ Ἰουόκατος ἤγαγε πρὸς Δομετιανὸν καίσαρα· ἐφοβεῖτο γὰρ τὴν παρουσίαν τοῦ χριστοῦ, ὡς καὶ Ἡρώδης. καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς, εἰ ἐκ Δαβίδ εἰσὶ· καὶ ὡμολόγησαν. τότε ἠρώτησεν αὐτοὺς, πόσας κτήσεις ἔχουσιν, ἢ πόσων χρημάτων κυριεύουσιν· οἱ δὲ εἶπον ἀμφότεροι, ἐννακισχίλια δηνάρια ὑπάρχειν αὐτοῖς μόνα, ἑκάστῳ αὐτῶν ἀνήκοντος τοῦ ἡμίσεως· καὶ ταῦτα οὐκ ἐν ἀργυρίοις ἔφασκον ἔχειν, ἀλλ' ἐν διατιμήσει γῆς πλέθρων τριάκοντα ἐννέα μόνων. ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν, καὶ αὐτοὺς αὐτουργοῦντας διατρέφεσθαι. εἶτα δὲ καὶ τὰς χεῖρας τὰς ἑαυτῶν ἐπιδεικνύναι· μαρτύριον τῆς αὐτουργίας τὴν τοῦ σώματος σκληρίαν, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἐργασίας ἐναποτυπωθέντας ἐπὶ τῶν ἰδίων χειρῶν τύλους παριστάντας. ἐρωτεθέντας δὲ περὶ τοῦ χριστοῦ, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὁποία τὶς εἴη, καὶ πότε καὶ ποῖ φανησομένη, λόγον δοῦναι, ὡς οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει, ἐπὶ συνθελίᾳ τοῦ αἰῶνος γενησομένη, ὁπηνίκα ἐλθὼν ἐν δόξῃ κρινεῖ ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. ἐφ' οἷς μηδὲν αὐτῶν κατεγνωκότα τὸν Δομετιανὸν, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, ἐλεοθέρους μὲν αὐτοὺς ἀνεῖναι. *His temporibus adhuc supererant quidam ex cognatione Domini, nepotes Judæ illius qui secundum carnem frater ipsius vocabatur. Hos a nonnullis delatos, quod ex Regia Davidis stirpe prognati essent, Evocatus ad Domitianum Cæsarem perduxit: quippe de adventu Christi perinde hic ac Herodes sibi metuebat. Intereogati igitur ab illo, utrum ex stirpe Davidis essent oriundi; id verissimum esse confessi sunt. Deinde sciscitatus est ex illis, quantas possessiones quantumve pecuniæ haberent; illi vero, novem tantummodo denariorum millia sibi*

ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars singulis competeret: eas vero facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum, novem scilicet ac triginta soli jugerum: ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent. Simulque manus ostendere cœperunt, duritiem cutis, impressumque alte manibus callum ex laboris assiduitate, in testimonium operis sui proferentes. Postremo interrogati de Christo, *& de regno illius, cujusmodi id esset, & quando quibusve in locis appariturum; responderunt, non hujus mundi nec terrarum imperium illud esse, sed Angelicum & cœleste; quod in fine seculorum futurum esset, tunc cum ipse adveniens cum gloria, vivos simul & mortuos judicabit, & unicuique operum suorum mercedem tribuet. His auditis Domitianus nihil adversus illos asperius decrevit, sed vilitatem hominum aspernatus, liberos abire jussit.*

Egesippi ea de re narrationem impugnat Scaliger.

XIII. Hæc Eggesippus. Cujus narrationem illam operose examinat, falsique convincere conatur, Joseph. Scaliger ad Chronicon Eusebianum num. MMCXII. Inter cetera, *Mirum*, ait, *istius Judæ, fratris Domini, Evangelistas nuspiam meminisse. Sed omnem admirationem superat, posteritatem Davidis eo tempore ad duos tantum redactam fuisse, &, quod cum omni historia pugnat, nullam posteritatem Davidis sub Domitiano fuisse, nisi eos, qui a Juda, fratre Domini, siquidem ullus fuit, propagati erant. Nam numerosissima semper fuit posteritas David; ex qua alii Aechmalotarchæ, alii Principes erant: Aechmalotarchæ, qui a masculino sexu, Principes, qui a fœminino posterorum David*

David prosati erant. — Ex masculini generis posteritate semper Aechmalotarchæ creati sunt Babylone, quandiu illa urbs stetit, usque ad annum Christi DCC. *a Salathiel usque. deinceps a* DCC. *anno Christi ad hanc usque diem in urbe Bagded, sive Seleucia, creantur. — Veri igitur posteri David non a Juda, fratre Domini, quem Hegesippus somniavit, sed a Salathiel genus deducebant; quorum numerosissimæ supersunt reliquiæ in urbe Bagded. Neque vero metuendum unquam fuit, ut illud genus deficeret, quum Judæi orientales nunquam unica uxore contenti vixerint, aut vivant hodie.*

XIV. Ceterum non probatur crisis ista Henrico Valesio. Qui mirari se scribit, Annotat. in supra recitatum Eusebii locum, tam Eusebium quam Hegesippum a Scaligero heic reprehendi. *Nam*, ait, *neque Hegesippus posteritatem Davidis ad duos tantum homines tunc esse redactam dixit, ut falso ei objicit Scaliger; sed posteritatem Iuda, qui erat frater Domini. Nec Eusebius Hegesippi verba aliter accepit. Certe Hegesippus diserte testatur, Symeonem Clopæ filium, qui tunc erat Episcopus Hierosolymorum, ortum fuisse ex gente Davidica. Verba ejus habes infra cap. 32. Itaque nec Hegesippus erravit, nec Eusebius. Ipse potius Scaliger reprehendendus est, qui adversus auctoritatem Hegesippi, vetustissimi scriptoris, & Apostolicis temporibus proximi, obstinate contendit, nullum umquam Iudam fratrem Domini exstitisse. Sed contra est Epiphanius in hæresi 78. qui Josephum ex priore conjugio quatuor ait suscepisse liberos: Iacobum, Symeonem, Iosetem, & Iudam. Cui consentit Hippolytus Portuensis Episcopus, apud Nicephorum in libro 2. cap. 3. nisi quod pro Symeone*

Scaligerum heic refellit Valesius.

Simonem dicit, rectius, ut supra notavi, & filias aliter nominat. His accedit Hieronymus in libro adversus Helvidium. Dicet fortasse aliquis, id quod a Scaligero dictum est, nullam in Evangelio mentionem ejus Judæ fieri. Imo vero Matthæus in cap. 13. de illo sic loquitur: Nonne mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus, Jacobus, Joseph, Simon, & Judas? Idem legitur in Marci cap. 6. Vides ut Scaliger, nimio reprehendendi studio abreptus, merito ipse in reprehensionem incurrit. Confer Eusebium lib. III, cap. XXXII.

Dionysii Areopag. passio.

XV. Ad Domitiani ætatem, & quidem ad tempora ipsius ultima, Dionysii etiam Areopagitæ martyrium vetustior refert traditio. Tametsi enim non desunt, qui vel sub Trajano vel Hadriano passum eundem esse contendant, illorum tamen sententiam ex instituto refellit, & contra alteram istam multis confirmat, Johannes Dallæus in opere de scriptis Dionysii suppositiis lib. I, cap. XI, seqq. cum quo idem heic sentiunt actuentur Jac. Sirmondus dissert. de duobus Dionysiis cap. IIX, & Joh. Launoy in vita Dionysii Areopag. cap. II. ad quos auctores lectorem remittere malumus, quam idem argumentum operose hoc loco persequi.

Domitianum pacem Ecclesiæ reddidisse per σφάλμα μνημονικὸν scribit Tertullianus

XVI. Atque hactenus de iis, quæ sub Domitiano in Ecclesia contigerunt. Equidem Tertullianus scribit, sævissimum tyrannum, mutato consilio, eos quos relegaverat, revocasse. Postquam enim de prima persecutione, quam sub Nerone sustinuit Ecclesia, egerat cap. V Apologetici, mox subjungit: *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate: sed qua & homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.* At sine dubio σφάλμα hoc est Tertulliani μνημονικὸν, cum non

dirissi-

dirissimus ille Domitianus, sed lenissimus Nerva, relegatos restituerit. *Hic* nimirum *primo edicto suo cunctos exules revocavit: unde & Johannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum rediit*; ceu tradit Orosius lib. VII, cap. XI. vel, ut Dio lib. LXIIX ait, τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε - οὔτ' ἀσεβείας, οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας συνεχώρησε, *eos qui rei facti erant impietatis*, (id est, Christianos. vide supra num. VII) *absolvit, exulesque restituit: — neminem quoque impietatis aut ritus Judaici* (Christiani. vide Prælim. num. III.) *accusari permisit.* Gemina Eusebius habet lib. III Hist. Eccl. cap. XX. qui tamen ad Senatum Romanum hæc refert. Verba ejus: Μετὰ τὸν Δομετιανὸν πεντεκαίδεκα ἔτεσιν ἐπικρατήσαντα, Νερούα τὴν ἀρχὴν διαδεξαμένου, καθαιρεθῆναι μὲν τὰς Δομετιανοῦ τιμὰς, ἐπανελθεῖν δὲ ἐπὶ τὰ οἰκεῖα μετ' οὗ καὶ τὰς οὐσίας ἀπολαβεῖν τοὺς ἀδίκως ἐξεληλαμένους, ἡ Ῥωμαίων σύγκλητος βουλὴ ψηφίζεται ἱστοροῦσιν οἱ γραφῇ τὰ κατ' τοὺς χρόνους παραδόντες. τότε δὴ οὖν καὶ τὸν Ἀπόστολον Ἰωάννην ἀπὸ τοὺς κατ' τὴν νῆσον φυγῆς τὴν ἐπὶ τῆς Ἐφέσου διατριβὴν ἀπελειφέναι, ὁ τῶν παρ' ἡμῖν ἀρχαίων παραδίδωσι λόγος. *Post obitum Domitiani, qui per annos quindecim imperium tenuit, cum Nerva in ejus locum successisset, Domitiano quidem omnes honorum titulos abrogari Senatus decrevit, iis vero qui injuste ab illo deportati fuerant, reditum in patriam, & sui cuique bona restitui: quemadmodum refertur ab iis qui rerum tunc temporis gestarum historiam condiderunt. Tunc igitur & Joannem Apostolum, insulari exilio liberatum, suum in urbe Epheso domicilium postliminio recepisse, vetustiorum nobis tradidit fides.* Idem in Chronico ad ann. I Nervæ, ex versione Hieronymi,

Id enim non ipse, sed Nerva fecit,

ronymi, *Senatus decrevit*, inquit, *ut omnia quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur. Itaque multi, quos injuste ejecerat, de exilio reversi: nonnulli bona propria receperunt. Ajunt & Apostolum Johannem hoc tempore exilio solutum Ephesum secessisse, in qua urbe & hospitiolum, & amicos amantissimos sui habebat.* Quemadmodum ipse etiam Hieronymus, libro de Scriptor. Eccles. cap. IX, de Johanne agens, *Interfecto*, ait, *Domitiano, & actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, sub Nerva Principe redit Ephesum.* Ita nimirum probatiores habent codices. Legit quoque sic Erasmi anno superioris seculi LIII Basiliæ publicata editio, quemadmodum & versio Græca Sophronii, textui Latino in dicta Erasmi editione e regione apposita: cum quædam exemplaria, laudati modo Roterodami, corrupta Sophronii editione decepti, auspiciis vulgata, pro *Nerva* habeant *Pertinacem.* Quod πρόχειρον quandoquidem ipse postea auctor in scholiis suis correxit, non erat, cur tantopere illi insultaret Marianus Victorius, Erasmi in omnibus censor adeo iniquus, ut ipse suorum censuram ideo incurrerit: siquidem Jo. Molanus, Censor Apostolicus & Regius, in censura scholiorum ejus in Hieronymum, expresse scribit, *dissicuisse permultis pietate & doctrina claris, quod passim* in illis Notis *Erasmus vocaretur Batavus interpres, Hollandus somniator, aliquando etiam Hæreticus, hæreticorum omnium pessimus, aliaque in eum præter Christianam modestiam scriberentur.* Sed hæc obiter.

Mariani in Erasmum iniquitas.

Epiphanii lapsus.

XVII. Porro lapsus etiam est Epiphanius, Johannem sub Claudio e Patmo reversum esse tradens hær. LI, 12. Quem locum notans Huetius Observat. in Origenem

pag.

pag. 72. *Quod Claudio*, inquit, *Cæsari id tribuit Epiphanius, cum nonagenario tamen majorem tunc Johannem fuisse dicat, mirum quantum fugerit eum ratio. Nam cum sexto & quinquagesimo ab ortu Christi anno excesserit Claudius, triginta, ut minimum, ac quatuor annis Christo majorem fuisse Johannem, juxta ipsius rationem necesse est; proindeque septimum supra sexagesimum egisse annum, quum sanguinem suum Dominus noster profudit: quod omnem superat fidem.* Quæ licet cetera recte se habeant, ipse tamen Huetius reprehensum heic a se Epiphanium non satis attente inspexit: dum, quæ de reverso ex Patmo Johanne hic tradit, ille de eodem relegato, (ut ex Notarum contextu patet) accepit. *Huetii error.*

XLIX. Antequam hinc abimus, occasione restituti S. Johannis non possumus quin de Restitutione in integrum apud Romanos usitata nonnihil notemus. Sic igitur de ea habetur l. 1 Cod. de sententiam passis & restitutis: *Imp. Antoninus A. cum salutatus esset ab Ecdeciano Advento, & Opilio Macrino, Præfectis Prætorio clarissimis viris, item Magistris & Principalibus officiorum, & utriusque ordinis viris, & processisset, oblatus est ei Julianus Licianus, ab Ælio Ulpiano, tunc Legato, in insulam deportatus. Tunc Antonius Augustus dixit: Restituo te in integrum provinciæ tuæ; & adjecit: Ut autem scias, quid sit in integrum restituere; honoribus, & ordini tuo, & omnibus ceteris te restituo.* uti quidem textum hunc emendat Cujacius, lib. XV Observ. cap. III. Notanter vero in Chronico Eusebiano Hieronymus ait, *nonnullos* ex restitutis *bona propria recepisse.* Nimirum, qui in insulam deportabatur, ejus bona publicabantur, l. IIX, 1. seq. *Restitutio in integrum.*

D. qui Testamenta facere possunt. Relegatis quidem neque bona, neque partem bonorum, adimi debere, rescriptis quibusdam cavebatur. Unde Ulpianus l. VII, 4. D. de Interdictis & relegatis, eorum reprehensas fuisse sententias memorat, qui ad tempus relegatis bona, vel partem bonorum, ademissent: sic tamen, ut non infirmarentur sententiæ, quæ ita essent prolatæ. In perpetuum autem exilium datis & relegatis potuisse quem sententia bonorum partem adimere, Marcianus tradit l. IV D. eod. Et ita quidam adempta bonorum parte dimidia relegatus proponitur in l. XI, 3. D. ad Legem Falcidiam. Sic & qui abortionis aut amatorium poculum dant, in insulam, amissa parte bonorum, relegari; & Procuratorem, qui instrumentum prodidit, adempta parte bonorum dimidia in perpetuum relegari, scribit Paulus l. XXXIIX, 5. & 8 D. de Pœnis. Ovidius vero, salvis bonis se relegatum ait, quando Augustum ita affatur, Tristium lib. II, 12.

Insuper accedunt, te non adimente, paternæ,
tamquam vita parum muneris esset, opes.

et lib. V, eleg. III, II.

Ira quidem moderata tua est: vitamque dedisti.
Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest:
nec mea concessa est aliis fortuna.

item eleg. XII, 15.

Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
quæ merui vitio perdere cuncta meo.

Quando proinde in integrum restituebatur damnatus, cui bona fuerant adempta, interdum id ita fiebat, ut dignitatem dumtaxat, non etiam bona, indulgentia Prin-

Principali reciperet: interdum vero bona cum dignitatis restitutione ei concedabantur, l. II & III D. de sententiam passis. Unde in ejus, qui ademptis bonis in insulam deportatus erat, restitutione, specialiter exprimi necesse erat, ita gratiam sententiæ ei fieri, ut statum pristinum cum bonis omnibus recuperaret, l. IV C. eod. Atque ex his nullo nunc negotio intelliguntur quæ de exulum Christianorum restitutione supra ex Dione, Eusebio, Hieronymo, attulimus.

CAPUT III.

DE PERSECUTIONE TERTIA, SUB TRAJANO.

CONSPECTUS.

I. *Trajani vita.*
II. *Ejus, cetera optimi Principis, vitia quædam, inq; Christianos iniquitas.*
III. *Populi furor in Christianos.*
IV. *Quoto Trajani anno persecutio tertia mota. Clementis Rom. martyrium.*
V. Καταπονλισμός.
VI. *Plinii Iunioris ad Trajanum de Christianis epistola.*
VII. *Trajani rescriptum.*
IIX. *Quam variarum earumq; maxime memorabilium rerum epistolæ illæ nos commonefaciant.*
IX. *An Trajanus, Plinianamotus epistola, Christianos persequi prohibuerit.*
X. *Simon Cleopæ crucifixus.*
XI. *Ignatius bestiis objectus.*
XII. *Christiani frequenter bestiis objici soliti.*

XIII. *Causa hujus rei.*
XIV. *Ignatii martyrium jam subituri pro ecclesiis Dei solicitudo.*
XV. *Ejus huc spectantia loca illustria ex epistola ad Rom.*
XVI. *Cur Ignatius Antiochia Romam sit ad supplicium perductus.*
XVII. *Chrysostomi ea de re locus.*
XIIX. *Ignatii reliquiæ Roma Antiochiam reductæ.*
XIX. *Milites Christiani* 11000. *a Traiano relegati & occisi.*
XX. *De militum in Christi fide constantia singulari testimonia eximia.*
XXI. *Martyrium Romuli, Rufi, Zosimi, Onesimi, Anacleti.*
XXII. *Nicephori de 5. a Trojano combustis Virginibus narratio.*
XXIII. *Trajanus, utut cetera longe lateque victor, Christianismum delere tamen non potuit.*
XXIV. *Fabulæ de Trajani ex inferno liberata anima.*

I.

Trajani Vita

Tertius sanguine Christianorum maduit M. Ulpius Trajanus, Hispanus, Nervæ, a quo adoptatus erat, circa finem primi seculi successor. In quo cuncta præstantissima fuisse scribit Dio, adeo ut a Senatu Optimi cognomen ei datum sit; quo, referente eodem, multo magis quam ceteris omnibus, gloriari visus est, quodque peculiare hujus & proprium arrogantia priorum Principum fecit, ut in Panegyrico eidem dicto ait Plinius. Quin tanti ipsius virtutes æstimatæ sunt, ut Eutropius testis sit, usque ad suam ætatem non aliter in Senatu Principibus acclamatum esse, nisi: Felicior Augusto! Melior Trajano! Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel assentantibus, vel vere laudantibus, occasionem magnificentissimi præstet exempli, & nihil non venerationis meruerit, & vivus & mortuus,

tuus; ceu loqvitur rursum Eutropius. Scilicet, ut Imperator factus est, scripsit ad Senatum, se nullum umquam virum bonum interfecturum, aut notaturum ignominia; idque non tunc solum, sed etiam postea, jurejurando confirmavit, sicut memorat Dio. Et sane, si Eutropio credimus, omni ejus ætate unus tantum Senator damnatus est, at is tamen per Senatum, ignorante Trajano. Nulli invidit, nec Magistratu quemquam dejecit; sed optimos quosque honoribus ornavit, & dignitatibus auxit. Unde factum, ut neque timuerit eorum quemquam, nec odio prosecutus sit, fidem quoque calumniatoribus non habuerit. Sic quando Licinius Sura apud eum ab invidis & inimicis per calumniam accusatus erat, nihilominus domum ejus, ad cœnam invitatus, ingressus est, totoque satellitio suo dmisso, primo Suræ Medicum ad se vocavit, ac per eum oculorum supercilia; deinde tonsorem, ac per eum barbam, rasit, secundum veterem civium ac Principum Romanorum consvetudinem. Postero die Suræ calumniatoribus dixit: Si me Sura interficere voluisset, heri certe interfeciset. Iræ nulli mancipatus fuit: ab aliena pecunia non minus quam ab iniquis cædibus abstinuit: amari a civibus maluit quam honore affici. Cum populo humaniter, cum Senatu honorifice versatus est. Amabilis omnibus, nemini, nisi hosti, formidolosus fuit. Sæpe in civium ædes venit, interdum nulla munitus custodia, ibique hilaritati se dedit, ceu loquitur Dio, sive, ut habet Eutropius, amicos salutandi causa frequentavit, vel ægrotantes, vel cum festos dies habuissent; convivia cum iisdem indiscretum vicissim habuit, sæpe in vehiculis eo-

rum sedit. Cumque amici culpassent, quod nimis circa omnos comis esset, respondit: *talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Dum Præfecto cuidam prima vice gladium, quo cingendus is erat, præbebat, eo nudato, sursumque porrecto, *Accipe gladium hunc*, ait, *ut eo, si recte imperem, pro me; sin nequiter, contra me utaris*: quemadmodum narrant Dio Cassius & Aurelius Victor. Postquam Romam venit, multa fecit ad emendandum corrigendumque statum reipublicæ, atq; in gratiam bonorum, quorum curam inprimis gessit, dicente iterum Dione. Verbo: Rempublicam ita administravit, ut, judice Eutropio, omnibus Principibus merito præferatur.

Ejus, cetera optimi Principis, vitia quadam, in quæ Christianos iniquitas.

II. Sed enim, quemadmodum (ut in panegyrico paulo ante laudato ait Plinius) *adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur*: ita & hujus Imperatoris, communi omnium antiquorum calculo optimi existimati, duo vitia notata sunt, vinolentia scilicet, & puerorum amor: quamvis & hæc in eo excusare satagant Dio Cassius & Aurel. Victor. At, si vel maxime ab his etiam criminibus liber fuisset Trajanus, eo tamen solo infamaretur satis, quod adversus innocentes Christianos tantopere desæviit. Testis nimirum est Orosius libr. VII, cap. XII, ipsum *in persequendis Christianis errore deceptum, tertium a Nerone passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, ac detrectantes interfici, præcepisse.* Idem Sulpitius tradit Severus lib. II Hist. sacræ. Catalogus item scriptorum Eccles. Hieronymianus, in Simone Cananæo, *persecutionem gravem* a Trajano motam affirmat. Eusebius vero Histor. Eccl. lib. III, cap. XXXII, Ms & Νέρω-

Νέρωνα, ait, καὶ Δομετιανόν, κ' τοῦτον ὃ νῦν τοὺς χρόνους ἐξετάζομεν, μερικῶς καὶ κ' πόλεις ἐξ ἐπαναστάσεως δήμων, τὸν καθ' ἡμῶν κατέχει λόγος ἀνακινηθῆναι διωγμόν. *Post Neronis ac Domitiani persecutionem, sub hoc, cujus nunc tempora commemoramus* (Trajano) *particularem quandam, per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse persecutionem accepimus.*

III. Ubi notetur, quod Eusebius scribit, persecutionem tempore Trajani excitatam esse *populari motu*. Nempe non erat insolens iis temporibus, ut suopte motu, sine Principum mandatis, vulgus in Christianos sæviret. Qua de iniquitate conquestus Tertullianus, Apolog. cap. XXXVII, sic Romani imperii Antistites affatur: *Quoties, prætoritis vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis!* uti supra dixerat, cap. XXXV, quod *nulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus.* Sic de exortis sub Decio turbis Alexandrinis Dionysius, ejus urbis Episcopus, apud Eusebium lib. VI, cap. XLI, οὐκ, inquit, ἀπὸ τοῦ βασιλικοῦ προστάγματος ὁ διωγμὸς παρ' ἡμῖν ἤρξατο, ἀλλὰ πολὺ ὅλον ἐνιαυτὸν προῦλαβε. καὶ Φάσους ὁ κακῶν τῇ πόλει τούτῃ μάντις καὶ ποιητὴς ὅστις ἐκεῖνος ἦν, ἐνίκησε καὶ παρώρμησε καθ' ἡμῶν τὸ πλῆθος τῶν ἐθνῶν, εἰς τὴν ὑπερχώριον αὐτοὺς δεισιδαιμονίαν ἀναρριπίσας. οἱ δ' ἐρεθισθέντες ὑπ' αὐτοῦ, καὶ πάσης ἐξουσίας εἰς ἀνοσιουργίαν λαβόμενοι, μόνην εὐσέβειαν τὴν θηκείαν τῶν δαιμόνων ταύτην ὑπέλαβον, τὸ καθ' ἡμῶν φονᾶν. *Nequaquam ex Imperatoris edicto persecutio cœpta est, quippe quæ integro anno anteverterat. Etenim infaustus quidam Vates ac Poëta, quisquis ille fuit, commoverat jam antea atque incitaverat adversus nos Gentilium turbas, ad innatam genti superstiti-*

Populi furor in Christianos.

perſtitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine ſtimulati, omnemque ad patranda ſcelera licentiam nacti, hanc ſolam pietatem cultumque dæmonum ſuorum exiſtimabant, ſi cædibus adverſus noſtros ſævirent. Similiter Euſebius ipſemet ſub initium libri v Hiſtoriæ ſuæ memorat, quod M. Antonino imperante violentatamodmodum perſecutio in Chriſtianam excitata fuerit Eccleſiam ἐξ ὁπιθέσεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δήμων, *ex incurſione popularium.* moxque, ex Chriſtinianorum Lugdunenſium & Viennenſium epiſtola, Martyrum eadem illa ætate in Gallia paſſorum hiſtoriam recitat, ubi itidem de inſani populi furore non ſemel querimonia habetur. Primo enim de fortiſſimis illis Christi militibus generatim ita ſcribunt Galli: τὰ ἀπὸ τοῦ ὄχλου πανδημεὶ σωρηδὸν ἐπιφερόμενα, γενναίως ὑπέμενον· ἐπιβοήσεις, καὶ πληγὰς, καὶ συρμὸς, καὶ διαρπαγὰς, καὶ λίθων βολὰς, καὶ συγκλείσεις, καὶ πάνθ' ὅσα ἠγερωχῶν πλήθει ὡς πρὸς ἐχθροὺς καὶ πολεμίους φιλεῖ γίνεσθαι *Quæcunque a populo univerſo acervatim ingerebantur, conſtantiſſime tolerarunt: acclamationes ſcilicet, plagas, raptationes, ſpoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres, cuncta denique quæ vulgus furore & rabie concitatum adverſus hoſtes & inimicos comminiſci ſolet.* Paulo poſt autem de Pothino ſpeciatim Epiſcopo referunt, quod ad tribunal pertractus ſit, παντὸς δὲ πλήθους ἐπιβοήσεις παντοίας πεισμένων, *univerſa plebe variis eum acclamationibus impetente, verberibusq; & aliis atrociſſimis injuriis excipiente:* narrant item de Maturo & Sancto, quod perpeſſi fuerint πάνθ' ὅσα μαινόμενος ὁ δῆμος ἄλλοι ἀλλαχόθεν ἐπεβόων καὶ ἐπεκελεύοντο, *quæcumque vulgus inſanum pro ſua quisque arbitrio variis*

riis acclamationibus imperabat. narrant de Alexandro, quod populus adversus ipsum conclamaverit; & de Pontico ac Blandina, quod adeo in eos plebs inarserit, ὡς μήτε ἡλικίαν τοῦ παιδὸς οἰκτεῖραι, μήτε τὸ γύναιον αἰδεσθῆναι. *ut nec ætatem pueri miserarentur, nec mulieris sexum ulla prosequerentur reverentia.* Queritur amplius de vulgi furore Melito Sardianus, Christianos δημώσει λεηλασίᾳ *publico latrocinio* vexari dicens, apud Eusebium lib. IV, cap. XXVI. Porro & Cyprianus *ferocientis populi impetus* meminit epist. LXXXI, seque *clamore popularium ad leonem postulatum in circo*, scribit epist. LV. atque Chrysostomus, homil. XL in Juventium & Maximum, Δῆμοι, inquit, διηνεκῶς ἐπανέστησαν. *Populi perpetuo in nos insurrexerunt.* Denique insanam furiosæ plebis rabiem accurate nobis in sua de Polycarpi passione epistola encyclica Smyrnensis depingit ecclesia, apud Eusebtum lib. IV, cap. XV. Nempe secundum ejus narrationem, ubi Asiæ Procunsul ter proclamari jusserat, quod Polycarpus Christianum se esset professus, πᾶν τὸ πλῆθος ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων τῶν τὴν Σμύρναν κατοικούντων, ἀκαταχέτῳ θυμῷ καὶ μεγάλῃ φωνῇ ἐβόᾳ· οὗτός ἐστιν ὁ τῆς Ἀσίας διδάσκαλος. *Universa multitudo Gentilium ac Judæorum qui Smyrnam incolebant, incredibili furore & ingenti strepitu acclamavit: Hic est doctor Asiæ*; quæque porro ibi sequuntur. & mox: ἐπεβόων καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. *Clamabant, rogabantque Philippum Asiarcham, ut leonem adversus Polycarpum emitteret.* iterum: ἔδοξεν αὐτοῖς ὁμοθυμαδὸν ἐπιβοῆσαι, ὥς τε ζῶντα τὸν Πολύκαρπον κατακαῦσαι. *Omnes uno consensu acclamarunt, ut Polycarpus vivus combureretur.* Et notetur, quod in eadem illa epi-

ſtola legimus, cum Polycarpus Iudici fidei ſuæ rationem reddere vellet, repoſuiſſe hunc: πεῖσον τὸν δῆμον, *Perſuade populo*, quaſi ſuo ipſe judicio parum fideret, ni etiam populo factum eſſet ſatis. Ac certe, cum aliquando Diocletianus Imperator nonnemine abſolveret, circumſtans populus, eum morte dignum eſſe, tumultuando clamabat. Quamquam Imperator fortiter atque conſtanter alteram hanc ſententiam tunc ediderit: *Vanæ voces populi non ſunt audiendæ. Nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant*, l. xi C. de Pœnis. Eadem Hadriano mens fuit, uti ex reſcripto ejus patet ſub finem Apologiæ ii Juſtini recitato, ad quod etiam Euſebius provocat Hiſtoriæ Eccleſ. lib. iv, cap. iix, & in Chronico ad ann. Hadr. x. Idem Septimius ſenſit Severus: quem populo adverſus Chriſtianos furenti palam reſtitiſſe Tertullianus ad Scapulam ſcribit cap. iv. At Juliano Apoſtatæ Gregorius Naz. Invect. i exprobrat, quod vim ac tyrannidem populari turbæ & civitatibus in noſtros permiſerit, earumque impetum ac audaciam minime repreſſerit. Verum e diverticulo in viam redeamus.

Quoto Trajani anno perſecutio tertia mota.

iv. Quoto anno tertia hæc perſecutio excitari cœperit, admodum obſcurum eſt. Euſebius in Chronico ad decimum Trajani annum eam refert. Sed perperam id fieri, inde inter alia oſtendit Baronius, ad ann. c, 6. quod Plinius ſuam de Chriſtianis epiſtolam (de qua paulo poſt) ad Trajanum dederit anno imperii ejus quinto, adeoq; hoc ipſo ſignificet, longe ante ab Euſebio expreſſum tempus perſecutionem eſſe inchoatam. Ipſe Baronius ſtatim circa initia imperii Trajani eam cœptam eſſe exiſti-

stimat. Idem censent Magdæburgenses Cent. II, cap. III. Et sane, si vera sunt, quæ de CLEMENTE, Episcopo Romano, a Trajano in Chersonesum relegato, ibique, exacto biennio, alligata ad collum ejus anchora, in mare præcipitato, tradunt acta passionis illius a Metaphraste edita, Martyrologiumq; Romanum & Adonis Viennensis ad diem XXIII Novembr. Gregorius item Turonensis de gloria Martyrum cap. XXXV, seq. ac Nicephorus lib. III, cap. XVIII, nullum potest esse dubium de veritate sententiæ quam fovent Centuriatores & Baronius; cum ex Eusebii lib. III Hist. Eccl. cap. XXXIV, ac Hieronymi libro de Script. Eccl. cap. XV, constet, Clementem tertio Trajani anno obiisse; ad quod tempus etiam FL. DOMITILLÆ (quam a Domitiano relegatam fuisse diximus cap. II, 7.) ejusque Eunuchorum ac domesticorum, Nerei, Achillei, Eutychis, Victorini, & Maronis, Euphrosynæ item & Theodoræ, martyria refert, Actorum Nerei & Achillei fide inprimis nixus, Card. Baronius. *Clementis Rom. martyrium.*

V. De supplicii genere, quo Clemens periisse dicitur, quoque & alias non raro in CHRISTI servos animadversum est (vide Lactantium de Mortibus Persecutorum cap. XV, Eusebium Histor. Eccl. lib. IIX Append. cap. IV, seqq. Prudentium in Quirino, sive hymno περὶ στεφ. XI, Chrysostomum homil. XL, in Juventinum & Maximum, Hilarium lib. adversus Constantium, & Martyrologia passim) observari potest, ejus mentionem in ipsis sacris literis haberi, Matthæi puta XIIX, 6. ubi Salvator, ὡς δ' ἄν, inquit, σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, συμφέρει αὐτῷ ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσ-

ους. *Quisquis offenderit unum parvulorum istorum qui credunt in me, ei præstiterit, si suspendatur mola asinaria in collo ejus, ipseque demergatur in profundo maris.* Ad quæ ita in suis Animadversionibus Erasmus Schmidius: *Hoc loco ὁ μύλος est lapis molæ superior, qui circumactus super inferiori immobili, qui ὄνος dicitur, frumenta comminuit,* Mühlstein. *Sic & Luc. 17. 2, μύλος ὀνικός. Marci autem 9. 42. λίθος μυλικὸς, qui aliis dicitur χόνδρος, ut notat Scholiastes Palatinus D. ad v. Lycophronis 233. 435. 981. Ὀνικὸς autem dicitur hic μύλος, partim propter ὄνον, seu lapidem illum grandem in mola immobilem, τῷ μύλῳ superiori substratum; partim ad differentiam lapidum talium minorum in molis trusatilibus, quæ manu motitantur; ut ita notetur lapis maximæ molis maximique ponderis, quales quantique in molis asinariis esse solent; partim, quia molæ ejusmodi grandiores ὄνοις sive asinis, aut eorum loco mancipiis τοῖς ὄνοις æquiparatis, olim agitabantur, sicut apud nos equis aut bobus.* Hieronymus, verba hæc in suo commentario expendens, *Secundum ritum,* ait, *provinciæ loquitur* Christus, *quo majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur.* Quæ tamen non sic accipienda, quasi apud solos Judæos in more positum fuerit, hac ratione sontes punire. Nam nec aliis gentibus inusitatum id fuisse, ex Diodoro Siculo constat, lib. xvi Bibliothecæ historicæ narrrante, quod Onomarchus, Phocensium in bello sacro dux, postquam a Philippo Macedone victus erat, suspensus, alii autem ejus assecl., ut sacrilegi, mari fuerint submersi. ὁ Φίλιππος, inquit, τὸν μὲν Ὀνόμαρχον ἐκρέμασε, τοὺς δὲ ἄλλους, ὡς ἱεροσύλους, κατεπόντισε.

Vul-

Vulcatius quoque Gallicanus de Avidio Cassio scribit cap. IV: *Denos catenatos in profluentem mergi jubebat, vel in mare.* & Suetonius de Augusto, in vita ipsius cap. LXVII: *Pædagogum ministrosque Caji filii, per occasionem valetudinis mortisque ejus, superbe avareque in provincia grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen.* deque Tiberio, itidem in hujus vita cap. LXIII: *Damnatos, post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare jubebat.* Quin, si Hugonem Grotium audimus, tantum abest, ut καταπελτισμὸς apud solos Judæos in usu fuerit, ut ne quidem notum isti genti fuerit hoc supplicium. Verba ejus ad Matth. XIIX, 6. *Morem καταπονησμῷ saxo ad collum appenso, usitatum Judæis fuisse vix crediderim, cum nulla ejus in lege extet mentio, imo sola quatuor supplicia apud eos nota fuisse, ex omni historia & interpretum consensu appareat; ignem, lapidationem, gladium, strangulationem.* Confer Ioannem Seldenum lib. II de Synedriis veterum Ebræorum cap. XIII.

Plinii Iunioris ad Trajanum de Christianis epistola.

VI. Flagrante persecutione, de qua nunc agimus, anno, ut videtur, nono Trajani, C. Plinius Cæcilius Secundus, Plinii, Naturalis Historiæ scriptoris, ex sorore nepos (quem Juniorem vulgo appellant) tunc temporis a Trajano legatus pro Prætore, sed Consulari potestate, in Pontum & Bithyniam missus, (non autem Proconsul Bithyniæ, quod vult Baronius ad ann. CIV, 1. prolixe refutatus a Petito, diatr. de jure, Principum edictis Ecclesiæ quæsito, cap. IV) immensa Christianorum, quos in provincia invenerat, multitudine permotus, & tot hominum carnificinam exhorrescens, præsertim cum præter nudam nominis Christiani professionem nihil in

iis reperiret quod jure damnaret, in re tanti momenti non pro lubitu agere voluit, sed, quid facto opus esset, Trajanum per epistolam consuluit: quam, ut lectu dignissimam, integram heic dabimus. Est autem inter Plinianas epistolas, quæad Trajanum datæ extant, & decimo libro comprehenduntur, numero XCVII, ac ita habet: C. Plinius Trajano Imp. S. *Solenne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio, quid & quatenus aut puniri soleat, aut quari. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant: deturne pœnitentiæ venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini, puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani? confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur, pervicaciam certe & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ: quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine autore, multorum nomina continens; qui negarent, se esse Christianos, alii fuisse; quum, præeunte me, Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo: quorum*

rum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera Christiani; ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt; & mox negaverunt: alii, fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quoque: omnes & imaginem tuam Deorumque simulacra venerati sunt; ii & Christo maledixerunt. Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetarias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ Ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam & immodicam. Ideoque, dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim, omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros, superstitionis istius contagio pervagata est. quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solennia diu intermissa repeti: passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur;

batur. ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

Trajani rescriptum.

VII. Ad hanc Plinii consultationem ita rescripsit Imperator: Trajanus Plinio S. *Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt; si deferantur, & arguantur, puniendi sunt: ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine autore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est.*

Quam variarum earumque maxime memorabilium rerum epistola illa nos commonefaciant.

VIII. Sic habent duæ illæ memorabiles inque tota antiquitate Ecclesiastica celeberrimæ epistolæ. Quæ quidem variarum ad illustrandam istorum temporum historiam sacram maxime facientium rerum nos commonefaciunt, ansamque dare possent, de horrendis calumniis, quibus veteres impetiti Christiani; de perversa & iniqua ratione agendi cum iisdem in judiciis; de variis technis, quibus ad ἀποστασίαν solicitati piorum animi; de incredibili Confessorum in tolerandis pro fide cruciatibus constantia, moriendique alacritate; de Christianismi inter medios persecutionum turbines, ubi nec ætati, nec sexui, nec ulli parceretur ordini, propagatione & dilatatione miranda; de conventibus primævorum Christianorum nocturnis, & quomodo in iis Christum tamquam Deum suum coluerint, laudibusque celebraverint; de vita priscorum fidelium ex ipsorum met apostatarum con-

confessione sancta & innocenti; de veterum Agapis, Diaconissis; aliisque cognitu necessariis, utilibus, jucundis, prolixe disserendi. Ceterum quia hæc omnia, partim in peculiari, quo epistolas istas illustramus, commentario, partim in opere de Calumniis Paganorum in veteres Christianos, fuse persequimur, nolumus actum nunc agere.

IX. Id vero ex recitato Imperatoris rescripto apparet, cum grano salis accipiendum esse, quod scribit Sulpitius Severus, lib. II, Trajanum, *cum tormentis & quæstionibus nihil in Christianis morte aut pœna dignum reperisset, sæviri in eos ultra vetuisse.* Etenim quomodo sæviri in Christianos vetuerit, qui eos, si delati fuerint, & tales esse comperiantur, puniri jubet apertis verbis? Nisi forsan dicere velimus, Trajanum prius a Plinio, Bithyniæ Proprætore, consultum fuisse, ac tum rescripsisse, puniri oportere; postea iterum consultum a Tiberiano, Præside Palæstinæ; ac tum respondisse, non esse puniendos nisi facinorosos. Quam in rem Vossius in suo ad epistolam Trajani commentario locum quendam e Svida affert. Quidquid de eo; id certum, post Trajani rescriptum hoc non cessasse persecutionem. Utut enim inquisitio nonnihil prohibita fuerit, quia tamen accusationi aut delationi locus mansit, mirum non est, parum eo sublevatos esse Christianos, cum, ut fieri solet, delatores numquam defuerint. Unde Eusebius lib. III Hist. Eccles. cap. XXXIII, postquam de rescripto Trajani dixerat, οὗ γενομένου, subjungit, ποσῶς μὲν οὖν διωγμοῦ σβεσθῆναι τὴν ἀπειλὴν σφοδρότατα ἐγκειμένου· οὐ χείρονάς γε μὴν τοῖς κακουργεῖν περὶ ἡμᾶς ἐθέλουσι λείπεσθαι προφάσεις· ἔσθ' ὅπη καὶ τῶν κατὰ χώρας ἀρχόντων, τὰς καθ' ἡμῶν συσκευα-

An Trajanus, Pliniana motus epistola, Christianos persequi prohibuerit.

ζομένων ἐπιβουλάς· ὡς καὶ ἄνευ προφανῶν διωγμῶν, μερικοὺς κατ' ἐπαρχίαν ἐξάπτεσθαι, γωνίζεσθαι μαρτυρίοις. *Hoc facto persecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat, restinctum quidem aliqua ex parte videbatur; iis tamen qui nos maligne & fraudulenter aggredi vellent, non minor oportunitas suppetebat: interdum populo, interdum Præsidibus provinciarum adversus nostros insidias comparantibus; adeo ut, si non palam & publice, locales tamen in aliquot provinciis persecutiones exardescerent, & plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subirent.*

Simon Cleopæ crucifixus

X. Nimirum, interfectus est eo tempore inter alios quamplurimos SIMON Cleopæ, Mariæ Cleopæ, cujus Scriptura meminit Joh. XIX, 15. filius; Jacobi Justi, (de quo supra cap. I, 22.) in Episcopatu Jerosolymitano successor. Refert ita Eusebius in Chronico, ad annum Trajani X. Τραϊανοῦ, scribens, κατὰ χριστιανῶν διωγμὸν κινήσαντος, Σίμων ὁ τοῦ Κλεόπα τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, ἐμαρτύρησεν, γενόμενος ἐτῶν ρκ. Quod Hieronymus latine sic expressit: *Trajano adversus Christianos persecutionem movente, simon, filius Cleopæ, qui in Ierosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur.* Tametsi in Græco Eusebii textu crucifixionis nulla fiat mentio. De Chronicis loquor Eusebianis, unde verba modo recitavimus. Nam in Historia Ecclesiastica, lib. III, cap. XXXIII, expresse, agens de Symeone hoc (sic enim ibi eum vocat) τῷ τοῦ Κυρίου πάθει, inquit, παραπλήσιον τέλος ἀπηνέγκατο. *Eodem supplicii genere quod Dominus pertulit, vitam clausit.* Idque Egesippi mox confirmat testimonio: uti ejusdem porro fide nixus tradit, delatum Symeonem a quibusdam hæreticis, quod Christianus foret, & ex stirpe Davidis oriundus (vide supra cap. II, 10.) cum annos centum & viginti

viginti natus esset, martyrium subiisse: tandemq; singularem hujus constantiam ita Egesippi verbis describit: ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας αἰκιζόμενος, ἐμαρτύρησεν· ὡς πάντας ὑπερθαυμάζειν, καὶ τὸ ὑπαλικὸν, πῶς ἑκατὸν εἴκοσι τυγχάνων ἐτῶν, ὑπέμεινε· καὶ ἐκελεύθη σαυρωθῆναι. *Per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus, fidem* CHRISTI *professus est: adeo ut & Consularis ipse, & omnes qui aderant, magnopere mirarentur, qua ratione vir centum ac viginti annos natus tot tormenta perferre potuisset.* Adde Catalogum scriptorum Eccles. Hieronymianum cap. IX, & Martyrologium Rom. ad diem XIIX Febr.

XI. Absorpsit præterea persecutio hæc IGNATIUM, sanctum illum celeberrimique nominis Episcopum Antiochenum. Testis Eusebius, tum in Chronico ad ann. X Trajani, tum in Historia Eccles. lib. III, cap. XXXVI. Ibi verba ejus: Ἰγνάτιος, δεύτερος Ἀντιοχείας ἐπίσκοπος, συλληφθεὶς εἰς Ῥώμην ἐπέμφθη δέσμιος, ἔνθα θηρίοις ῥιφθεὶς, διήνυσε τὸ μαρτύριον. *Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, Romam perductus bestiis traditur.* Heic vero: ὧδε πλείστοις εἰσέτι νῦν διαβόητος Ἰγνάτιος, τῆς κατ' Ἀντιόχειαν Πέτρου διαδοχῆς, δεύτερος τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος. λόγος δ' ἔχει, τὸν ἀπὸ Συρίας ἐπὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἀναπεμφθέντα, θηρίων γενέσθαι βορὰν τῆς εἰς χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν. *Ignatius multorum sermonibus nostra etiam ætate celebratus, secundus post Petrum Antiochensem ecclesiam sortitus est. Hic ob fidem* CHRISTI *e Syria ad urbem Romam perductus, bestiis objectus esse dicitur.* Idem Hieronymus confirmat, libro de Scriptor. Eccles. cap. XVI, *Ignatius*, inquiens, *Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commovente persecutionem* *Ignatius bestiis objectus*

Trajano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Sed & Johannes Chrysostomus, homil. XLII, in S. Ignatium, ita habet: οὐδὲ ἐν γωνίᾳ τινὶ τὴν καταδικάζουσαν ἐδέξατο ψῆφον, ἀλλ' ἐν μέσῳ τῷ θεάτρῳ τῆς πόλεως ἄνω καθεζομένης ἁπάσης τὸ τοῦ μαρτυρίου τρόπον ὑπόμεινε θηρίων ἐπ' αὐτὸν ἀφεθέντων· ἵν' ὑπὸ ταῖς ἁπάντων ὄψεσι τὸ τρόπαιον στήσας κατὰ τοῦ διαβόλου τοὺς θεατὰς ἅπαντας ζηλωτὰς ποιήσῃ τῶν ἀγωνισμάτων τῶν ἑαυτοῦ οὐκ ἀποθνήσκων μόνον οὕτω γενναίως, ἀλλὰ καὶ μεθ' ἡδονῆς ἀποθνήσκων. οὐ γὰρ ὡς ζωῆς ἀπορρήγνυσθαι μέλλων, ἀλλ' ὡς ἐπὶ ζωὴν καλούμενος βελτίω καὶ πνευματικωτέραν οὕτως ἀσμένως ἑώρα τὰ θηρία. πόθεν τοῦτο δῆλον; ἀπὸ τῶν ῥημάτων, ὧν ἀποθνήσκειν μέλλων ἐφθέγξατο. ἀκούσας γὰρ ὅτι οὗτος αὐτὸν τῆς τιμωρίας ὁ τρόπος μένει, ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὠναίμην, ἔλεγεν. *Neque ut extra muros in barathro, aut in carcere, aut in angulo aliquo occideretur, damnatus est; sed in medio theatro, universa civitate sursum considente, & spectante, bestiis in ipsum immissis & concitatis, martyrium pertulit: ut sub omnium oculis adversus Diabolum tropæum erigeret, cunctosque spectatores suorum certaminum imitatores efficeret; cum non modo fortiter, sed etiam cum lætitia, mortem oppeteret, ferasque cum voluptate spectaret; non quasi raperetur e vita, sed tamquam ad vitam meliorem ac præstantiorem vocaretur. Unde hoc fit perspicuum? Ex verbis, quæ moriturus loquebatur. Cum enim id genus supplicii sibi esse subeundum intellexisset, Ego, inquit, feras illas adjuvarem.*

Christiani frequenter bestiis objici soliti.

XII. Ceterum quod bestiis objectum Ignatium memorant supra laudati auctores, id quidem nihil novi aut inusitati habet. Notum illud Tertulliani, Apologetici cap. XL: *Si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra*

terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. Confer cap. XLVI, nec non Exhortat. ad Castit. cap. XII. ubi Gentiles exclamare consveviſſe Septimius indicat: *Christiani ad bestias!* Sic Cyprianus epist. LVI, se *toties ad leonem petitum in circo*, scribit; & mox, se *clamore populari-um ad leonem denuo postulatum in circo.* Uti etiam in agone Polycarpi, apud Eusebium lib. IV, cap. XV, legimus, Proconsulem hac comminatione terrorem voluisse sancto martyri incutere: Θηρία ἔχω· τούτοις σε ῥιφβαλῶ, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς. *Præsto sunt bestiæ, quibus te objecturus sum, nisi sententiam mutaveris;* populumque rogasse Philippum Asiarcham, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα, *ut leonem adversus Polycarpum emitteret.* Adde quæ habet Hieronymus commentar. in Esaiam lib. VII, cap. XVII, 12.

XIII. Causa vero, quamobrem ad bestias tam frequenter damnati Christiani, præcipua fuisse videtur, quod talis pœna vilioribus inprimis personis a legibus irrogaretut (ut l. III, §. penult. D. ad leg. Corn. de Sicar.) cujusmodi Christianos a Gentilibus fuisse habitos, ostendimus lib. III de Calumniis Paganorum cap. XIII. Deinde Magi quoque bestiis objici solebant & Sacrilegi. De illis Paulus Jctus, Recept. sentent. lib. V, tit. XXIII: *Magicæ artis conscios summo supplicio affici placuit, id est, bestiis objici, aut cruci suffigi.* De istis Ulpianus, l. VI D. ad leg. Iul. pecul. *Scio, multos ad bestias damnasse sacrilegos.* Quia proinde & magiæ & sacrilegii crimen Christianis a Gentilibus impingebatur (vide paulo ante memoratum de Calumniis lib. I, cap. IV, Tertullianum Apolog. cap. X, Arnobium contra Gentes lib. V) forsan hoc etiam nomi-

Causa hujus rei.

ne in eos summum istud supplicium fuit usurpatum.

Ignatii martyrium jam subituri pro ecclesiis Dei solicitudo.

XIV. Cum autem per Asiam ductaretur Ignatius, tametsi accuratissima esset custodia munitus, nihilominus ταῖς κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίαις, διὰ λόγων ὁμιλίας τε καὶ προτροπαῖς ὑπερρώννυς, ἐν πρώτοις μάλιστα προεφυλάττεθαι τὰς αἱρέσεις ἅρπ πὸτε πρῶτον ἀναφυείσας καὶ ὑπιπολαζούσας παρήνει· προὔτρεπέ τε ἀπολέξ ἔχεθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγεάφως ἤδη μαρτυρόμενος διατυπῶθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο, *singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, ecclesias sermonibus & cohortationibus suis confirmans, monebat inprimis, ut sibi a pravis hæreticorum opinionibus caverent, quæ, tunc primum in lucem emergere cum cœpissent, copiosius pullulabant: hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent: quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit:* verba sunt Eusebii Histor. Eccles. lib. III, cap. XXVI.

Ejus huc spectantia loca illustria ex epistola ad Rom.

XV. Idem mox ex Ignatii ad Romanos epistola affert, quæ maxime huc pertinent, sequentia ejus verba: Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, νυκτὸς καὶ ἡμέρας, ἐνδεδεμένος δέκα λεοπάρδοις, ὅ ἐστι στρατιωτικὸν τάγμα· οἳ καὶ εὐεργετούμενοι, χείρες γίνονται. ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μᾶλλον μαθητεύομαι· ἀλλ' οὐ δεδικαίωμαι. Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἑτοίμων· ἃ καὶ εὔχομαι συντόμως μοι εὑρεθῆναι. ἃ καὶ κολακεύσω συντόμως με καταφαγεῖν, ἐχ ὥσπερ τινῶν δειλαινόμενα ἐχ ἥψαντο· κἂν αὐτὰ δὲ ἄκοντα μὴ θέλῃ, ἐγὼ βιάσομαι. Συγγνώμην μοι ἔχετε. τί μοι συμφέρει, ἐγὼ γινώσκω. νῦν ἄρχομαι μαθητὴς εἶναι, μηδέν με ζηλῶσαι τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων, ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. πῦρ, καὶ σταυρὸς, θηρίων τε συφά-

συρράσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπαὶ μελῶν, ἄλεσμοὶ ὅλου τοῦ σώματος, κολάσεις τοῦ διαβόλου, εἰς ἐμὲ ἐρχέσθωσαν, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. *A Syria Romam usque cum bestiis depugno, terra marique, noctu & interdiu, colligatus decem leopardis, hoc est, manipulo militum: qui beneficiis a me affecti, sæviores fiunt. Verum ego injuriis quidem illorum erudior: non idcirco tamen justificatus sum. Utinam fruar bestiis illis quæ mihi paratæ sunt. Quas equidem opto ut quam primum inveniam. Palpaturus sum eas, ut me celeriter devorent, nec metu absterritæ mihi parcant, quemadmodum aliquibus pepercerunt. Quod si forte recusabunt, ego eas vi adigam. Veniam mihi date. Novi quidnam mihi conducat. Nunc tandem incipio esse* CHRISTI *discipulus. Nulla res, tam earum quæ aspectabiles sunt, quam earum quæ sub oculos non cadunt, animum meum capiat, ut* JESU CHRITTO *possim potiri. Ignis, crux, bestiarum impetus, ossium distractio, confractio membrorum, ac totius corporis contusio, diaboli denique supplicia in me unum incurrent, dummodo* CHRISTO *frui mihi liceat.* Provocat paulo post ad Irenæi testimonium Eusebius, qui & ipse ex Ignatianis epistolis hæc producat: Σῖτός εἰμὶ Θεοῦ, καὶ διὰ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ. Irenæi verba, libro v adversus Hæreses cap. XXIIX, sic habent: *Quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias: Quoniam frumentum sum* CHRISTI, *& per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.* Repetit eadem, uti & superiorem ab Eusebio memoratum locum, Hieronymus in catalogo Scriptor.

Conf. Euseb. l. 4. c. 15. l. 5. c. 1. l. 8. c. 7. & Append. c. 6. 11.

ptor. Eccles. cap. xvi; *Cum jam*, inquiens, *damnatus esset ad bestias* Ignatius, *& ardore patiendi rugientes audiret leones, ait: Frumentum* CHRISTI *sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Quæ sic accipi posset, quasi Romæ a sancto martyre bestiis jamjam objiciendo verba hæc prolata essent. quod falsum foret; siquidem ex Ignatiana ad Romanos epistola hæc non minus, quam quæ supra inde dedimus, sunt petita. Verum haud dubie id solum vult Hieronymus, tanto arsisse martyrii amore, ubi ista scriberet, Ignatium, ut jam tum sævo leonum rugitu ipsius, tametsi adhuc absentis, aures quasi personuerint.

Cur Ignatius Antiochia Romam sit ad supplicium perductus

xvi. Offert autem heic se non contemnenda difficultas, quare videlicet martyrium consummaturus Ignatius, Antiochia Romam fuerit perductus: cum utique de Christianis simul & Gentilibus cognitio ejus esset qui provinciam regebat, & in ipsa provincia secundum Jurisdictionem suam supplicium de iis sumebat. Equidem excipiebantur heic & peculiari gaudebant privilegio cives Romani; de quorum capite non licebat judicare provinciarum Præsidibus (vide quæ notamus in epistolam Plinii de Christianis, ad verba: *Quia cives Romani erant*) ut proinde, si civis Romanus fuit Ignatius, Romam oportuerit ipsum perduci. At vero, civem Romanum bestiis objicere adeo non sinebant leges, ut Asinius Pollio Balbum Quæstorem portentum vocet, quod *bestiis civeis Romanos objecerit*, apud Ciceronem Famil. lib. x, epist. xxxii. Unde etiam in Lugdunensium epistola, apud Eusebium lib. v, cap. i, legimus, Præsidem, cum ceteros Christianos bestiis objecisset, eos, qui Romanæ civitatis jus habebant, capitis supplicio affeciisse.

Hoc

Hoc dubium aliis excutiendum relinquimus. Ego ingenue fateor inscitiam meam, ait Josephus Scaliger ad Eusebium, num. MMCXXIII. Baronius ad ann. CIX, 5 ita hanc in rem scribit: *Quod Ignatius Romam ad dicendam causam & ad supplicium mittitur, inde accidisse putamus, quod non eos tantum, qui inter Christianos nobiliores essent, ut qui fuissent Romana civitate donati, provinciarum Præsides Romã mittere consueverant, sed eos etiam, qui inter delinquentes præ ceteris infamati, factiosorum viderentur autores; ut Josephus pluribus declarat exemplis, & alii rerum Romanarum scriptores; cujus certe æstimationis apud Gentiles erat Ignatius.* Alii ideo Romæ moriendum fuisse Ignatio conjectant, quod Antiochiæ metu seditionis difficulter trucidari potuerit.

XVII. Chrysostomus eam in rem ita disserit, homil. XLII, in Ignatium: οὐκ ἐν ταῖς πόλεσιν, ὧν προεισήκεισαν, ἠφίει σφάττεσθαι τοὺς ἐπισκόπους (ὁ διάβολος) ἀλλ' εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἄγων ἀνήρει. ἐποίει δὲ τοῦτο, ὁμοῦ μὲν ἐρήμους τῶν ἐπιτηδείων λαβεῖν σπεύδων, ὁμοῦ δὲ ἀσθενεστέρους ἐργάζεσθαι τῷ μόχθῳ τῆς ὁδοιπορίας ἐλπίζων. ὁ δὴ καὶ ἐπὶ τοῦ μακαρίου τούτου πεποίκεν ἀπὸ γὰρ τῆς ἡμετέρας πόλεως εἰς τὴν Ῥώμην αὐτὸν ἐκάλεσεν μακροτέρους αὐτῷ τιθεὶς τοὺς διαύλους τοῦ δρόμου, καὶ τῷ μήκει τῆς ὁδοῦ, καὶ τῷ πλήθει τῶν ἡμερῶν τὸ φρόνημα καταβάλλειν αὐτοῦ προσδοκῶν· οὐκ εἰδὼς ὅτι συνέμπορον ἔχων Ἰησοῦν, καὶ συναπόδημον τῆς τοσαύτης ὁδοιπορίαν ἰσχυρότερος μᾶλλον ἐγίνετο, καὶ τῆς μετ' αὐτοῦ δυνάμεως οὔσης πλείονα παρεῖχε τὴν ἀπόδειξιν, καὶ τὰς ἐκκλησίας συνεκρότει μειζόνως. *Non in urbibus, quibus præerant, trucidari Episcopos sinebat* diabolus; *sed operam dabat, ut in externas civitates abstracti e medio tollerentur. Id autem agebat, simul ut neces-*

Chrysostomi ea de re locus.

sariis rebus spoliarentur, simul ut itineris labore confecti redderentur imbecilliores. Quod in hoc etiam beato viro perfecit. Ex nostra enim civitate Romam abducendum curavit, longiora ipsi cursus spatia proponens, ut & itineris & temporis longitudine viri constantiam labefactaret; ignarus, quod tum longæ viæ Jesum comitem haberet, quodque fortior evaderet, & virtutis, quæ secum esset, majus argumentum præberet, & Ecclesias vehementius confirmaret. Puta, dum civitates, quas in itinere illo transibat, *consolationem non vulgarem ex ipso percipiebant, cernentes Martyrem tanta cum alacritate ad mortem currere, utpote qui ad regna cœlorum proficisceretur*; ceu loquitur porro Chrysostomus: qui & alias ibi causas mox affert, cur Romæ quam Antiochiæ martyrii coronam Ignatium reportare Deus maluerit.

Ignatii reliquiæ Romæ Antiochiam reductæ.

XIIX. Reliquias interim sancti hujus viri sive ejus *corpus ab urbe Roma Antiochiam delatum, extra portam Daphniticam in cœmeterio ecclesiæ positum esse: in qua celebritate S. Iohannes Chrysostomus concionem ad populum habuerit*, Martyrologium nos docet Romanum ad diem XVII Dec. & Hieronymus lib. de Scriptor. Eccles. cap. XVI. Inde vero post, Theodosii Junioris ætate, intra ipsam civitatem Antiochiam portata esse Ignatii ossa, inque templo, quod Fortunæ dicebatur, reposita, Evagrius ex Johanne Rhetore tradit lib. I Historiæ Eccl. cap. XVI. Verba ejus: Τότε Ιγνάτιος ὁ θεσπέσιος, ἐπειδήγε, ὡς ἐβούλετο, τάφων τὰς τῶν θηρίων ἐσχηκὼς γαστέρας ἐν τῷ Ῥώμης ἀμφιθεάτρῳ, καὶ διὰ τῶν ὑπολειφθέντων ἁδροτέρων ὀστῶν, ἃ πρὸς τὴν Ἀντιόχου ἀπεκομίσθη, ἐν τῷ καλουμένῳ κοιμητηρίῳ μετατίθεται πολλοῖς ὕστερον χρόνοις, ὑποθεμένου τοῦ παναγάθου θεοῦ Θεοδοσίῳ

δοσίῳ, τὸν θεοφόρον μείζοσι τιμῆσαι τιμαῖς ἱερόν τε πάλαι τοῖς δαίμοσιν ἀνειμένον, Τυχαῖον τοῖς ἐπιχωρίοις ὠνόμαστο, τῷ ἀθλοφόρῳ καὶ μάρτυρι ἀναθεῖναι· καὶ σηκὸς εὐαγὴς, καὶ τέμενος ἅγιον τῷ Ἰγνατίῳ τὸ πάλαι τυχαῖον γέγονε, τῶν ἱερῶν αὐτοῦ λειψάνων μετὰ πομπῆς ἱερᾶς ἀνὰ τὴν πόλιν ἐπ' ὀχήματος ἐνεχθέντων, καὶ κατὰ τὸ τέμενος τεθέντων. ὅθεν καὶ δημοτελὴς ἑορτὴ καὶ πάνδημος εὐφροσύνη μέχρις ἡμῶν τελεῖται, πρὸς τὸ μεγαλοπρεπέστερον τοῦ ἱεράρχου Γρηγορίου ταύτην ἐξάραντος. *Eo tẽpore divinus Ignatius, qui, sicut optaverat, ferarum ventres in amphitheatro urbis Romæ pro tumulo habuit, cum robustiora ejus ossa, quæ superfuerant, Antiochiam deportata, & in coemeterio collocata fuissent, multis post annis translatus est: cum Deus Opt. Max. Theodosio id suggessisset, ut Deiferum martyrem majori honore afficeret, utque templum jampridem Dæmoniis consecratum, quod incolæ Tychæum nominabant, fortissimo victori ac martyri dedicaret. Itaq; quod olim fuerat delubrum Genii publici, factum est templum & sacra ædes beati Ignatii, cum sacræ ejus reliquiæ ingenti pompa curru in urbem invectæ, & in templo depositæ essent. Quam ob causam publica festivitas quotannis ad nostra usque tempora communi totius populi lætitia celebratur; quam Gregorius, ejusdem loci Episcopus, longe adhuc magnificentiorem reddidit.* Nicephorus Callistus rem paulo aliter narrat. Scribit enim, Theodosii tempore reliquias Ignatii delatas esse, primo Roma Constantinopolin, inde autem porro Antiochiam. Vide ipsum lib. XIV Historiæ Eccl. cap. XLIV. Et tantum de Ignatio.

XIX. Porro Trajanus, majorum more exercitum lustrans, inventos in eo undecies mille Christianos, qui sacra

Milites Christiani 11000. à Trajano relegati & occisi.

sacra Diis facere recusassent, a ceteris segregatos in Armeniam relegavit, ea nimirum spe, ut hac notati ignominia, Christianæ religioni nuncium mitterent. Ubi vero illi in fidei confessione perstarent immoti, mortis supplicio omnes subjecit. Ita ad ann. CIIX, II. ex Græcorum Menologio narrat Baronius, conjectatque ibi, hos milites esse decies mille martyres illos, qui in sylvis montis Ararat in Armenia cruci fixi dicuntur. Vide laudatum jam Baronium in Notationibus ad Martyrologium Romanum d. XXII Junii.

De Militum in fide Christi constantia singulari testimonia eximia.

XX. Observa autem heic illustre exemplum Christianæ fidei & pietatis in illis, de quibus dici alias solet:

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

Et suggerit sane plura ejusmodi militaris constantiæ specimina Ecclesiæ historia passim. Vide Eusebium lib. VI, cap. XLI, lib. VII, cap. XV, Basilium M. orat. de Gordio, & de XL Martyribus, Chrysostomum homil. in Juventinum & Maximum, Martyrologia passim, quæque de legione Thebea afferimus infra cap. X, 65. Imo milites interdum nutantes in fide lapsumque minantes Christianos singulari animi præsentia & fortitudine ab imminenti ruina retraxisse, Eusebius docet Histor. Eccl. lib. VI, cap. XLI. ubi nempe de Ammone, Zenone, Ptolemæo, Ingenuo, Theophilo, militibus Christianis, ex Dionysio Alexandrino ita scribit: κεινομένῳ δή τινι ὡς χριστιανῷ καὶ πρὸς ἀρνησιν ἤδη ῥέποντι, ἐπίοντο ὅτι παρεσκεύαστο, καὶ τοῖς τε προσώποις ἐνένευον, καὶ τὰς χεῖρας ἀντεῖχον, καὶ συνεχηματίζοντο τοῖς σώμασιν. ὑπεροφὴς δὲ πάντων πρὸς αὐτὸς γενομένης, πρὶν τινας αὐτῶν ἄλλως λαβέσθαι, φθάσαντες ὅτι τὸ βάτρον ἀνέδραμον, εἶναι χριστιανοὶ λέγοντες. *Cum quidam, ob Christianam*

nam religionem in judicium inductus, jamjamque negaturus CHRISTUM *videretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu innuere, manus extendere, ac totius simul corporis motus gestusque edere cœperunt. Cumque omnium in se oculos convertissent, priusquam ab aliquo comprehenderentur, ipsi ad subsellium accurrentes, Christianos se esse professi sunt.* Primum quoque impetum, excitato persecutionis æstu, in milites nonnunquam fuisse factum, ex Eusebii Histor. Eccl. lib. IIX, cap. I, lib. X, cap. IIX, & de vita Constantini lib. I, cap. LIV, liquet. Estque hanc in rem præcipue memoratu dignus laudati Eusebii locus lib. IIX Histor. Eccl. cap. IV, ubi ait, Satanam, cum Ecclesiæ persecutionem moliretur, initio eos qui in exercitu militabant fuisse adortum; quod crederet, καὶ τὰς λοιπὰς ἁλῶναι ῥαδίως, εἰ πρότερον ἐκείνων καταγωνισάμενος εἰσγένοιτο, *reliquos nullo negotio se expugnaturum, si hos primum in certamine superasset.* Subjungit mox: πλείστας τῶν ἐν στρατείαις ὁρᾶν ἀσμενέστατα τὸν ἰδιωτικὸν μεσταζομένους βίον, ὡς ἂν μὴ ἔξαρνοι γένοιντο τῆς εἰς τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν εὐσεβείας. ὡς γὰρ ὁ στρατοπεδάρχης ὅς τις ποτε ἦν ἐκεῖνος, ἅρπ πρῶτον ἐνεχείρει τῷ κατ' αὐτῶν διωγμῷ, αἱρεσίν τε δίδως, ἢ πειθαρχοῦσιν ἧς μετὴν αὐτοῖς ἀπολαύειν τιμῆς, ἢ τοὐναντίον στέρεσθαι ταύτης, εἰ ἀντιτάττοιντο τοῖς προστάγμασι, πλεῖστοι ὅσοι τῆς κρείττονος βασιλείας στρατῶται, τὴν εἰς αὐτὸν ὁμολογίαν, μὴ μελλήσαντες, τῆς δοκούσης δόξης καὶ εὐπαγείας ἧς εἶχον, ἀναμφιλόγως προὐτίμησαν. *Cernere erat quamplurimos, qui, abjecta militia, privatam vitam amplecti maluerunt, quam supremi omnium rerum opificis cultum abnegare. Postquam enim Dux Romani exercitus nescio quis, Christianos milites persequi aggressus, eos qui in exercitu merebant*

rebant lustrare cœpisset ac recensere, & Christianis liberam eligendi potestatem fecisset, ut vel Imperatorum iussis obtemperantes honoris sui gradum retinerent, vel, si parere nollent, honore militiæ nudarentur; complures regni Christi *milites nominis illius confessionem seculari gloriæ ac felicitati qua fruebantur sine ulla cunctatione prætulerunt.* Denique refer huc, quod Gregorius Nazianzenus Invect. 1 in Julianum, & Socrates Historiæ Eccles. lib. III, cap. XVI, XVII, memorant, cum, Juliani fraude ac donativo inducti milites quidam sacrificio se idololatrico contaminassent, & vero postea, quod eo ipso Christus ab iis fuerit abnegatus, admoniti agnoverint, pœnitentia ductos ipsos libere fidem professos esse, seque ad martyrium obtulisse. Vide Commentar. in epistolam Plinii de Christianis, ad verba: *Thure ac vino supplicarent.*

Martyrium Romuli,

XXI. Verum ad superiora ut redeamus, cum Trajani in Christianos sævitiam detestaretur Romulus, aulæ Trajani Præfectus, & ipse cæsus virgis capiteque truncatus est, teste Martyrologio Rom. ad d. V Septembr. Interfecti sunt amplius eo tempore Rufus ac Zosimus: quorum mentionem facit Polycarpus epistola ad Philippenses, & ex illa Eusebius Histor. Eccles. lib. III, cap. XXXVI.

Rufi, Zosimi,

Onesimi,

Onesimus porro, Pauli discipulus (quem sub Domitiano passum Nicephorus scribit lib. III, cap. XI, refutatus a Baronio in Annalibus ad ann. CX, 10. inque Notationibus ad Martyrologium Rom. d. XVI Febr.) Romæ tunc lapidatus est, ut loco jamjam expresso Romanum habet Martyrologium. Quod ipsum quoque Anacletum tempestate ea sublatum fuisse memorat d. XIII Julii.

Anacleti.

XXII.

XXII. Denique, si fides Nicephoro habenda, scriptori alias parum probato, quique μύθων καὶ λήρων ῥαψωδὸς non immerito audit, etiam huc spectant quinque Virgines, ob intrepidam fidei confessionem igni absumptæ, quarum cineres post earum obitum miracula ediderunt. Audiamus Nicephorum ipsum. Sic ille, lib. III Historiæ Eccles. cap. XXIII, de Trajano agens: Πολλοὺς τῶν χριστιανῶν ἀνῄρει. ἐν οἷς καὶ πέντε παρθένους τὴν πίστιν τρανῶς διακηρυττούσας, πυρὶ παραδέδωκε, τὰ δ' ὀστᾶ τούτων σφοδρῶς κατακαύσας, καὶ τὴν ἐκ τούτων σποδιὰν τῷ χαλκῷ συμμίξας, τήγανά τε καὶ ἄλλα σκεύη τῷ συμμίκτῳ ἐκείνῳ χαλκῷ, τῷ δημοσίῳ ἀνετίθει λουτρῷ, ὃ αὐτὸς μεγαλοπρεπῶς ᾠκοδόμει. καὶ τοίνυν ὅσοι περ εἰσήεσαν λούσασθαι, ἅμα τῷ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἅψασθαι, σκότου καὶ δίνης πλήρεις γινόμενοι, φοράδην ἐξήγοντο καταπίπτοντες. γνοὺς δὲ τὸ αἴτιον ὁ Τραϊανὸς, ἕτερα τῷ λουτρῷ σκεύη ἠυτρέπιζε· τὰ δ' αὖ πρότερα χωνείᾳ παραδιδοὺς εἰς στήλας διεμόρφωσε πέντε, καὶ πρὸ τοῦ βασιλείου ἄνιστα, εἰς τὸ τῶν ὑπ' αὐτοῦ κεκαυμένων σχῆμα τύπων. *Multos Christianos interimit. In quibus & quinque Virgines, fidem palam profitentes, comburit, & ossibus earum ad summum combustis, cineribusque æri commistis, ahena quædam & alia vasa fieri curat, eaque publico lavacro, quod ipse magnificentissime construxerat, dicat. Verumenimvero quicunque eo lavatum ingrediebantur, quamprimum calidas attigissent aquas, caligine simul & vertigine correpti, cum impetu inde procurrebant, & concidebant. Causa vero ejus mali cognita, Trajanus, ut alia ex ære puro vasa balneo parentur, mandat: priora autem illa in fornacibus conflata, in quinque transformat statuas, easq; Virginum combustarum forma & habitu pro balneo collocat.*

Nicephori de 5. a Trajano combustis Virginibus narratio.

XXIII.

Trajanus, utut cetera longe lateque victor, Christianismum tamen delere non potuit. Act. 18, 3.

xxiii. Atque hæc de Trajani adversus Ecclesiam tyrannide. In cujus mentionem incidens Theodoritus Θεραπευτ. lib. ix, τῶν μὲν Περσῶν, scribit, ὁ Τραϊανὸς δυναστείαν κατέλυσε, καὶ Ἀρμενίους τῶν Ῥωμαίων ὑπέταξε χαλινῷ, καὶ μέντοι καὶ τὰ Σκυθικὰ ἔθνη τοῖς σκήπτροις ὑπεκύπτειν ἠνάγκασε, τὴν δὲ τῶν ἁλιέων καὶ σκυτοτόμων (ita frequenter Paulum vocat Apostolum, qui & σκηνοῤῥάφος eodem hoc libro ipsi audit) καταλῦσαι νομοθεσίαν οὐκ ἴσχυσε. *Trajanus Persarum quidem imperium subvertit, Armeniosque Romanorum freno subjecit, & Scythicas nationes sceptris suis parere compulit; piscatorum tamen & sutoris leges abolere non potuit.*

Fabula de Trajani ex inferno liberata anima.

xxiv. Ceterum cum ita erga Christi ecclesiam se gesserit Trajanus, mirum esset, si, quingentis fere post obitum ejus annis, precibus suis orco animam ipsius eripuisset Gregorius. Cujus tamen fabulæ patrocinium suscepit, peculiari pro ea libro avorum memoria edito, Alfonsus Ciaconus, Dominicanus: quemadmodum eidem tuendæ & stabiliendæ totam disputationem xxvii Tomi xiv impendit Alfonsus Salmeron Iesuita; alios ut nunc mittamus disquis. anti-Baron. ii, 19. magno numero citatos auctores. Puduit interim commenti hujus Cardd. Bellarminum & Baronium: quorum ille lib. ii de Purgatorio cap. iix, iste in Annalibus ad ann. DCIV, 30. seqq. operose id impugnat.

CAPUT

CAPUT IV.

DE PERSECUTIONE QUARTA, SUB HADRIANO.

CONSPECTUS.

I. *Hadriani vita.*
II. *Num quartam Ecclesia persecutionem sub eo sit experta.*
III. *Hadrianus Christianos omnino est persecutus. Quadrati & Aristidis pro Christianis Apologiæ. Marius martyr.*
IV. *Persecutionem quartam mitigarunt Quadrati Apologia & Ser. Granii epistola ad Hadrianum.*
V. *Graniana illa epistola a Iustino & Eusebio exhibita.*
VI. *Ser. Gran. nomen non eodem modo ab omnibus exprimitur.*
VII. *Quodnam ejus fuerit munus.*
IIX. *Melitonis de Hadriani pro Christianis rescripto testimonium.*
IX. *Hadrianum Christo templum exstruere voluisse, tradit Lampridius.*
X. *Cujus narratio suspecta Casaubono,*
XI. *Defenditur contra eum ab Huetio.*
XII. *Martyrium Evaristi, Alexandri, Eventii, Theoduli.*
XIII. *Equuleus quale tormentum. Fidiculæ quid.*
XIV. *Minutis ictibus interfectus Alexander.*
XV. *Eustachius martyr, cum uxore & filiis.*
XVI. *Phalaridis Taurus æneus.*
XVII. *Status Ecclesiæ sub Antonino Pio.*
XIIX. *Antonini edictum pro Christianis.*
XIX. *Christianismo omnia mala & calamitates publicæ a Gentilibus imputabantur. Quam calum-*

calumniam ut refellerent, Arnobius libros suos contra Gentes, & Augustinus suum de Civitate Dei opus scripsit.
XX. *Antonini Pii laudes.*
XXI. *Hadriano imperante etiam Judæi Ecclesiam persecuti sunt.*
XXII *Judæorum inexpiabile in Christianos odium & summa iniquitas.*

I.

Hadriani vita.

QVARTUS Ecclesiæ bellum movit ÆLIUS HADRIANUS, Trajani circa annum Domini CXVII successor; homo, dicente Spartiano, semper in omnibus varius; in quo quod laudes occurrit, occurrit & quod jure vituperes. Ingenio fuit felicissimo, ita ut uno tempore scripserit, dictaverit, audiverit, & cum amicis fabulatus sit; memoriæ adeo tenacis, ut, quidquid legisset, prompte redderet; nomina, quæ semel audivisset, etiam absentium, sine nomenclatore expedite recenseret; quin nomenclatores errantes non raro corrigeret; uti tradit Spartianus. Omnium artium fuit peritissimus, ita ut sæpe cum Philosophis, libris vel carminibus editis, certare non dubitarit. Inprimis Græcis literis erat imbutus, sic ut a nonnullis *Græculus* diceretur, annotante iterum Spartiano. Eodem teste, & in concione, & in Senatu, sæpe dixit, ita se rempublicam gesturum, ut sciret, populi rem esse, non propriam. Ac sane rempublicam justissimis legibus ordinavit, scribente Orosio. Non modo bellum nullum movit, sed etiam mota composuit, tenendæque per orbem terrarum paci operam intendit; ut habent Dio Cassius & Spartianus. Res magni momenti non gessit nisi interposita Senatus auctoritate. Consules tanto affecit honore in ludis Circensibus

bus, ut ipsos domum reduceret; memorante Dione: & Senatores ad convivium venientes stans excepit, scribente Spartiano. Familiares suos graviter ægrotantes invisere, quumque dies festos celebrarent, ipse interesse, eorumque prædiis ac domibus libenter uti consuevit, ut ait Dio: vel, ut Spartianus, conviviis amicorum interfuit, ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos, visitavit, solatiis refovit, consiliis sublevavit, conviviis suis semper adhibuit, omnia denique ad privati hominis modum fecit. Multa privatis hominibus, multa etiam Senatoribus & Equitibus largitus est: nec exspectavit quousque rogaretur, sed egit omnia ut cujusque necessitas postulabat, ceu narrat Dio. Cui consonans Spartianus, Amicos ditavit, inquit, & quidem non petentes. ac postea: Eos quos pauperes & innocentes vidit, sponte ditavit. item: Omnes Reges muneribus vicit. Cum ei aliquando mulier preces offerret, quamquam primo, esse sibi otium, negavit, tamen, ubi mulier exclamare cœpit: itaque regnare noli, mox conversus libenter eam audivit, ut annotat Dio. Licet autem ex his omnibus laudem reportaverit favoremque sibi conciliaverit Hadrianus, odium tamen incurrit ob nefarias & indignas cædes, quas initio & sub finem Principatus fecit: imo parum abfuit, quin eam ob causam ne in heroum quidem numerum referretur, ut scribit Dio Cassius, & ex eo Xiphilinus. Multos nimirum clarissimos viros occidit, quamvis postea, dum indigne id ferri intelligeret, negaverit, etiam interposito jurejurando, eos jussu suo fuisse interfectos. Cum enim esset gloriæ & honoris cupidissimus, ac

nemini ulla in arte vel scientia cedere vellet, non paucos propterea, quod in aliqua arte excellerent, sustulit; uti prolixe narrat Dio Cassius. cum quo, si plura de hoc Imperatore cognoscere cupis, confer, præter sæpius memoratum Ælium Spartianum, Aurelium etiam Victorem, Eutropium, Svidam, Cuspinianum.

Num quartam Ecclesia persecutionem sub Hadriano sit experta.

II. Atque hic Hadrianus, qui, ut Eutropius scribit, & ex dictis insuper manifestum est, *non magnam Clementiæ gloriam habuit*; sed, velut ex Mario Maximo refert Spartianus, *natura crudelis fuit, & idcirco multa pie fecit, quod timeret, ne sibi idem, quod Domitiano accidit, eveniret*; Hadrianus, inquam, hic quartus Ecclesiæ persecutor nobis numeratur. In quo tamen non omnium calculos ferimus. Nec enim desunt, qui decem istarum celebrium persecutionum numerum ita ineunt, ut quartam sub Antonino Pio collocent. Soletque illa sententia etiam tribui Augustino, lib. XIIX de Civitate Dei cap. LII. Sed cum ibi Augustinus nihil aliud dicat, quam quod persecutio quarta ab Antonino mota sit, incertum esse videtur, quemnam intellectum velit Antoninum: an Antoninum Pium; num vero hujus successorem, Marcum Antoninum Philosophum. Sane posteriorem innui, censent Ludovicus Vives & Leonhardus Coqueus in suis ad dictum Augustini locum commentariis. ac Baronius in Notis ad Martyrologium Rom. d. 1 Januarii, ubi Augustinum, Orosium, Sulpitium Severum, laudasset, *Ab illo Antonino*, subdit, *qui, dictus cognomento Philosophus, ab Antonino Pio adoptatus, in imperium illi successit, persecutionem excitatam esse, omnes prædicti auctores affirmant.* Assentit Jo. Drusius in Notis ad Sulpitium Severum, ubi ait:

ait: *Huius* quartæ persecutionis *meminerunt quidem Augustinus & Orosius, sed eam sub Marco Antonino factam asserunt.* Georgius quoque Hornius ad eundem Sulpitium notat, quod quarta persecutio sub Aurelio, Antonini Pii filio, agitata dicatur Augustino, Orosio, & Eusebio. Ubi de Orosio quidem res certa est, ut qui expresse, Marci Antonini historiam texens lib. VII, cap. XV, *Persecutiones*, inquit, *Christianorum quarta jam post Neronem vice in Asia & in Gallia graves præcepto ejus extiterunt, multiq; sanctorum martyrio coronati sunt.* Nec de Eusebio dubium movemus. Quin addi potest Hieronymus, quartam, quæ post Neronem mota est, persecutionem, regnante M. Antonino & L. Aurelio Commodo contigisse dicens, libro de Script. Eccl. cap. XVII, ubi de Polycarpo agit. At Augustinum tradere, quod quarta persecutio sub Marco Antonino mota sit, unde probabitur? cum nullam *Marci Antonini* mentionem dicto loco is injiciat, sed simpliciter *Antoninum* nominet. Verum hæc sunto. A nostris partibus stat Sulpitius Severus, qui lib. II Hist. Sacræ, *Quarta*, inquit, *sub Adriano persecutio numeratur: quam tamen post exerceri prohibuit, injustum esse pronuncians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur.*

III. Et certe sub Hadriano etiam (licet nullo peculiari ejus edicto, ut innuit Tertullianus Apolog. cap. V) persecutionem in Christianos fuisse concitatam, perspicue docet Theodoritus Therapevt. lib. IX, quando, Ecclesiæ hostes publicos ordine recensens, etiam hunc ibi diserte nominat, Ἀδριανὸς, inquiens, τῶν μὲν τὴν Ἰησοῦν ἐσταυρωκότων ἄρδην τὴν πόλιν κατέλυσε, τὰς δὲ τούτῳ πεπιστευκότας ἀφεῖναι τὴν ἐκείνης ὀλέθρου οὐκ ἔπεισε. *Hadrianus urbem*

Hadrianus Christianos omnino est persecutus.

urbem eorum qui JESUM crucifixerunt, funditus evertit; sed eos qui in illum crediderunt, abducere ab ejus servitute non potuit. Idem & hinc colligitur, quod Arrius Antoninus (qui postea Antoninus Pius dictus est, & Hadriano in imperio successit) cum Asiæ Proconsul ab Hadriano esset constitutus, de Christianis quæstiones habuit, & in quadam illius provinciæ civitate, quæ CHRISTI religionem fuerat amplexata, quotquot ibi erant credentes pro tribunali comparuerunt, Christianos se esse, mortemq; pro fide sua libenter oppetituros, palam professi. Quo facto Antoninus, rei magnitudine & novitate perterritus, paucis ex illis damnatis, in reliquos, ut præcipitia atque suspendia, si perire omnino cuperent, sibi sponte deligerent, exclamavit. Narrat hæc Tertullianus; cujus verba, sub finem libri ad Scapulam, Africæ Præsidem: *Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus se manu facta obtulerunt; cum ille, paucis duci jussis, reliquis ait:* ὦ δειλοὶ, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε, hoc est: *O miseri, si vultis mori, præcipitia aut restes habetis.* Eidem rei fidem conciliant Apologiæ, quas pro Christianorum causa ediderunt, & Hadriano exhibuerunt, Quadratus & Aristides. De quibus Eusebius in Chronico, ad ann. Hadriani x: Κουαδρᾶτος, ὁ ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων ἀκουστὴς, Αἰλίῳ Ἀδριανῷ τῷ αὐτοκράτορι λόγους ἀπολογίας ὑπὲρ χριστιανῶν, καὶ Ἀριστείδης Ἀθηναῖος ὁ φιλόσοφος, ἐπέδωκαν. *Quadratus* (versionem damus Hieronymi) *discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis noster Philosophus, libros pro Christiana religione Hadriano dedere compositos.* uti quoque lib. IV Historiæ Eccl. cap. III, de Hadriano loquens, τούτῳ, inquit, Κοδράτος λόγον προσφωνήσας ἀναδίδωσιν,

Antoninus, Asiæ Proc. Christianis αὐτοχειρίαν suadet.

confer. Justin. M. Apolog. 1. p. 43. c.

Quadrati & Aristidis pro Christianis Apologia.

δίδωσιν, ἀπολογίαν συνταξας ὑπὲρ τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσεβείας· ὅτι δή τινες πονηροὶ ἄνδρες τοὺς ἡμετέρους ἐνοχλεῖν ἐπειρῶντο. *Huic Quadratus obtulit orationem, quam pro defensione religionis nostræ idcirco conscripserat, quod quidam malevoli homines vexare nostros atque incessere conabantur.* De eodem Quadrato Hieronymus, catalog. Scriptor. Eccles. cap. XXIX, hæc habet: *Quadratus, Apostolorum discipulus, Publio, Athenarum Episcopo, ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur, & Ecclesiam, grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregat. Cumque Hadrianus Athenis exegisset hyemem, invisens Eleusinam, & omnibus pene Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem iis, qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare credentes: porrexit ei librum, pro religione nostra compositum, valde utilem, plenumque rationis & fidei, & Apostolica doctrina dignum: in quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait, plurimos a se visos, qui sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus sanati fuerant, & qui a mortuis resurrexerant.* ac epistola XCIV, ad Magnum, Oratorem Romanum, ita: *Quadratus, Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ, nonne Adriano Principi, Eleusina sacra invisenti, librum pro nostra religione tradidit?* De Aristide vero Eusebius, loco proxime expresso, ait: Ἀριστείδης, πιστὸς ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς ὁρμώμενος εὐσεβείας, τῷ Κοδράτῳ παραπλησίως ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν συνταξάμενος, καταλέλοιπε. *Aristides, vir fidelis ex religionis nostræ sectatoribus, Apologeticum pro fide nostra, perinde ac Quadratus, Hadriano Cæsari nuncupatum reliquit.* & Hieronymus memorato de Script. Eccl. libro, cap. XX: *Aristides, Athe-*

Athenienſis Philoſophus eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti, volumen, noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore quo & Quadratus, Hadriano Principi dedit, id eſt, Apologeticum pro Chriſtianis; quod usque hodie perſeverans, apud Philologos ingenii ejus indicium eſt. ac epiſtola laudata: *Ariſtides Philoſophus, vir eloquentiſſimus, eidem Principi* (Hadriano) *Apologeticum pro Chriſtianis obtulit, contextum Philoſophorum ſententiis.* Confer Oroſium lib. VII, cap. XIII, Nicephorum lib. III, cap. XXI, Martyrologium Romanum & Adonis ad diem XXXI Auguſti. Tandem, Hadriani tempore in Chriſtianos ſævitum eſſe, clare quoque evincit Marius martyr, cujus meminit inſcriptio reperta in quadam crypta Romana ab Abbate Creſcentio. Legitur illa in Roma ſubterranea, prout opera Pauli Aringhi illa edita, lib. III, cap. XXII, pag. 525. atque ſic habet: Tempore Adriani Imperatoris Marius Adolescens Dux Militum Qui Satis Vixit Dum Vitam Pro Cho Cum Sangvine Consunsit In Pace Tandem Quievit Benemerentes Cum Lacrimis Et Metu Posuerunt Id. VI.

Marius martyr.

IV. Ex his nullo negotio apparet, etiam ſub Hadriano perſecutionem extitiſſe. Id quod conceptis quoq; verbis affirmat Hieronymus, de Quadrato ſcribens, ſupra laudata epiſtola: *Tantæ admirationis omnibus fuit, ut perſecutionem graviſſimam illius excellens ſedarit ingenium.* E quibus Hieronymi verbis diſcimus; tum quod perſecutio ſub Hadriano fuerit *graviſſima*; tum quod Quadratus illam ſedarit: intellige Apologia iſta, quam pro Chriſtianis Hadriano cum obtuliſſe paulo ante dixerat ſanctus Pater

Perſecutionem mitigarunt Quadrati Apologia & Ser. Granii epiſtola ad Hadrianum.

Pater. Ad quam tamen persecutionis mitigationem non parum etiam momenti attulisse Sereni Granii, Asiæ Procos. ad Hadrianum epistolam, Eusebius in Chronico tradit. Ubi enim de Quadrati & Aristidis Apologiis commemorasset quæ supra dedimus, subdit e vestigio: ἅπερ δεξάμενος ὁ Καῖσαρ σὺν τοῖς παρὰ Σερενίου Γρανιανοῦ, λαμπροτάτου ἡγουμένου, ὡς ἄδικον εἴη γραψαμένου χριστιανοὺς ἀκρίτως ἐπὶ μηδενὶ τῶν ἐγκλημάτων κτείνειν, γράφει Μινουκίῳ Φουνδανῷ, ἀνθυπάτῳ τῆς Ἀσίας, μηδένα κτείνειν ἄνευ ἐγκλημάτων καὶ κατηγορίας. Quæ Hieronymus reddit: *Serenus Grannius Legatus, vir apprime nobilis, literas ad Imperatorem misit; iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, Minutio Fundano, Proconsuli Asiæ, scribit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos. Cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum.*

Graniana illa epistola e Justino & Eusebio exhibita.

v. Nempe sistit illud, sub finem Apologiæ ad Antoninum, Justinus Martyr. Et olim quidem idiomate, quo primitus scripta erat, Latino apud Justinum lectam fuisse hanc epistolam, bis testatur Eusebius Histor. Eccles. lib. IV, cap. IIX. At in hodiernis Justini editionibus non nisi Græce ea habetur, & ita quidem ut a se ex Latino translatam esse ibidem ait Eusebius; hoc videlicet modo: Μινουκίῳ Φουνδανῷ. Ἐπιστολὴν ἐδεξάμην γραφεῖσάν μοι ἀπὸ Σερηνίου (Euseb. Σερεννίου) Γρανιανοῦ, λαμπροτάτου ἀνδρὸς, ὅν τινα σὺ διεδέξω. οὐ δοκεῖ οὖν μοι (Euseb. μοι οὖν) τὸ πρᾶγμα ἀζήτητον καταλιπεῖν, ἵνα μήτε οἱ ἄνθρωποι ταράττωνται, καὶ τοῖς συκοφάνταις χορηγία κακουργίας παρασχεθῇ. ἂν (Euseb. εἰ) οὖν σαφῶς εἰς ταύτην τὴν ἀξίωσιν οἱ ἐπαρχεῶται δυνῶνται (Euseb.

ἐπαρχιῶται δύνανται) διισχυρίζεσθαι κατὰ τῶν χριστιανῶν, ὡς καὶ πρὸ βήματος ἀποκρίνεσθαι, ἐπὶ τοῦτο μόνον τροπῶσιν, ἀλλ' οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς. πολλῷ γὰρ μᾶλλον προσῆκεν, εἴ τις κατηγορεῖν βούλοιτο τοῦτό σε διαγινώσκειν. εἴ τις οὖν κατηγορεῖ, καὶ δείκνυσί τι παρὰ τοὺς νόμους πράττοντας, οὕτως διόριζε (Euseb. ὅριζε) κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἁμαρτήματος· ὡς μὰ τὸν Ἡρακλέα, εἴ τις συκοφαντίας χάριν τοῦτο προτείνοι, διαλάμβανε ὑπὲρ τῆς δεινότητος, καὶ φρόντιζε ὅπως ἂν ἐκδικήσειας. Quæ sic Latine vertit Eusebii Interpres Henr. Valesius: *Ælius Hadrianus Aug. Minucio Fundano Procos. salutem. Accepi literas ad me scriptas a Serenio Graniano V. Cl. decessore tuo. Nec sane mihi videtur res ista absque diligenti inquisitione prætereunda, ne forte & Christiani homines turbentur, & delatoribus calumniandi occasio præbeatur. Igitur si provinciales palam adesse possunt petitionibus suis adversus Christianos, ita ut pro tribunali respondeant, in id unum incumbant, nec petitionibus solisque clamoribus utantur. Etenim multo justius fuerit cognoscere te, si quis accusare voluerit. Quod si quis eos detulerit, probaveritque contra leges quicquam agere, tu pro gravitate delicti in eos statue: sin mehercule calumniæ causa istud intenderit, operam dabis ut pro gravitate criminis in illum animadvertas.*

Ser. Gran. nomen non eodem modo ab omnibus exprimitur.

VI. Obiter heic monemus, non eodem modo Procos. nomen ubique & ab omnibus exprimi qui literas ad Hadrianum dedit. Hi enim *Serenus* scribunt; illi *Serenius*; alii *Serennius*: & rursum nonnulli *Granius*; quidam *Grannius*; alii *Granianus*. Verum interim viri nomen fuisse videtur *Serenus Granius*. Nota quippe gens *Grania* Romanorum; cujus passim mentio apud auctores veteres, & in antiquis saxis: notum quoque, *Serenus* inter

inter cognomenta hujus gentis fuisse. Maxime autem huc facit inscriptio Romana apud Gruterum pag. DXXXIII, 6. ubi legitur M. GRANIUS. SERENUS. MIL. COH. V. PR.

VII. Granium hunc, quem λαμπρότατον ἡγεμόνα Eusebius vocat, *Legatum* Hieronymo in Chronico Eusebiano, eumque sequenti Orosio, perperam dici, in Annotationibus ad Eusebii Historiam pag. 64. monet Valesius, seque mirari ait, errorem hunc a Scaligero non esse observatum. *Nam*, inquit, *cum ex epistola ipsius Hadriani, quæ infra subjicitur, constet, Serennium Granianum decessorem fuisse Minucii Fundani; ipsum vero Minucium Proconsulem Asiæ fuisse, diserte testetur Justinus; necessario conficitur, Granianum Proconsulem Asiæ exstitisse.* Verum enimvero, ut ut hoc ex Hadriani epistola manifestum sit, Ser. Granianum decessorem fuisse Minucii Fundani; alterum tamen illud, Minucium Asiæ fuisse Proconsulem, Justinus diserte non dicit: etiamsi ipsum ita citet, in Historia sua, Eusebius, atque apud eundem Eusebium, lib. IV, cap. XXVI, de Fundani Proconsulatu testetur Melito. *Quodnam ejus fuerit munus.*

IIX. Nempe Melitonis hæc ibi ex Apologia ejus ad M. Antoninum Imper. recitantur verba: Μόνοι πάντων, ἀναπειθέντες ὑποπτῶν βασκάνων ἀνθρώπων, ἢ καθ' ἡμᾶς ἐν διαβολῇ καταιῆσαι λόγον ἠθέλησαν Νέρων καὶ Δομετιανός. ἀφ' ὧν καὶ τὸ τῆς συκοφαντίας ἀλόγῳ συνηθείᾳ τοῖς τοιούτοις ῥυῆναι συμβέβηκε ψεῦδος. ἀλλὰ τὴν ἐκείνων ἄγνοιαν οἱ σοὶ εὐσεβεῖς πατέρες ἐπηνωρθώσαντο, πολλάκις πολλοῖς ὑπερπλήξαντες ἐγγράφως, ὅσοι τοῖς τῶν νεωτερίσαι ἐπόλμησαν. ἐν οἷς ὁ μὲν πάππος σὸς Ἀδριανὸς, πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ τῷ αἰγυπάτῳ ἡγεμόνι τῆς Ἀσίας γράφων *Melitonis de Hadriani pro Christianis rescripto testimonium*

χρόνων φαίνεται. *Soli ex omnibus Nero ac Domitianus, malevolorum quorundam consiliis inducti, religionem nostram criminari studuerunt. A quibus deinceps falsa illa adversum nos calumnia manavit ad posteros, ut mos est vulgi, sine ullo judicio hujusmodi rumoribus fidem habere. Verum imperitiam illorum correxerunt piissimi parentes tui, frequentibus rescriptis objurgantes eos qui adversus religionis nostræ homines novi aliquid moliti essent. Inter quos avus tuus Hadrianus, cum aliis pluribus, tum Fundano,* *Fundanus quis.* *Asiæ Proconsuli, literas dedit.* E quibus simul apparet, non ad unum Fundanum (qui Baronio, ad ann. cxxiix, §. is esse creditur, ad quem scribit Plinius lib. iv, epist. xv, & lib. vi, cap. vi; quique in Plutarchi de Ira cohibenda dialogo ut vir optimus interloquitur: quem & in libro de Tranquillitate animi idem laudat) sed & alios provinciarum Præsides pro Christianis rescripta ad Hadrianum misisse.

Hadrianum Christo Templum exstruere voluisse, tradit Lampridius. IX. Inde igitur de Hadriani erga Christianos æquitate judicari potest. Quem & adeo tandem benigne de Christo sensisse Ælius tradit Lampridius, ut (ad exemplum Tiberii, de quo in Prælimin. num. v) in Deorum numerum referre ipsum voluerit, variaque eo fine templa sine simulacris excitarit. Verba illius in Alexandro Severo, cap. xliii: *Christo Templum facere voluit* Alexander, *eumque inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est abiis, qui, consulentes sacra,*

set,

repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda.

x. Equidem non ignoramus, suspectam esse hanc narrationem summo viro Isaaco Casaubono; qui Lampridium insimulat, quasi, vanis vulgi opinionibus obsecutus, Templa CHRISTO destinata fuisse tradiderit, quæ ipse sibi Hadrianus in omnibus civitatibus condere cœperat, suoque nomini consecrare proposuerat. *Jusserat*, inquit, *Hadrianus Templa fieri in omnibus civitatibus, suo nomini sine dubio consecranda: quod & Spartianus in vita illius testatur. Sed mortuo Hadriano priusquam hæc templa absolverentur, mansere pleraque illorum imperfecta, neque umquam dedicata sunt. Talia ædificia in plerisq; civitatibus adhuc Lampridii ætate extabant, inchoata solum, non perfecta, non dedicata, ac proinde, ut ait ipse, sine numine & simulacro ullo. Eo factum, ut in animum inducerent multi, quibus assentitur hic Lampridius, non sibi Hadrianum illa templa exstruxisse, verum CHRISTO.* Causam, cur sic statueret, hanc affert, quod prisci Ecclesiæ Patres ea de re sileant; *Mirum profecto*, scribens, *tam nobilem historiam tot fidei Christianæ propugnatores acerrimos, viros undecunque doctissimos, & quorum intererat hoc scire, potuisse fugere. Sed videtur hæc de Hadriano suspicio multo post ejus seculum hominum mentes insedisse; cum neque Justinus Martyr, neque Athenagoras, neque Tertullianus, neque Cyprianus, aut omnino quisquam ex illa veterum Patrum manu, vel tenuissimam ejus rei suspicionem fando umquam accepisset.*

Cujus narratio suspecta Casaubono.

xi. Verumenimvero inique Casaubono pœnas heic dare Lampridium, ostendit in sua Demonstratione Evangeli-

defenditur contra eum ab Huetio.

angelica, propos. III, 23. celeberrimus Huetius, verbis quæ subjicimus. *Lampridii mentem*, inquit, *parum videtur introspexisse vir solers ceteroquin & eruditus. Non enim scripsit Historicus, Templa illa, quæ exstruere cœperat Hadrianus, mansisse sine numinibus; sed, Hadrianum* Templa in omnibus civitatibus sine simulacris jussisse fieri. *quo significatur, certum destinatumque fuisse Hadriani consilium, ut Templa Christo exstruerentur nullis omnino vel exornata vel exornanda idolis; cum ea, quæ sibi suoque nomini ipse condebat, simulacris insignita essent. Hujusmodi fuit illud, quod Iovi Olympio, ipsique Hadriano Athenis dicatum, aram habuisse, quam ipse sibi Hadrianus* Spart. Hadr. c. 13. *erexerat, refert Spartianus. Inerant præterea & plurima ejus simulacra, ut testatur Pausanias in Atticis. Pergit Lampridius loqui de Templis Christo Jesu ab Hadriano excitatis.* Quæ hodie, *inquit*, quia non habent numina, dicuntur Hadriani. *A quibus ita dicuntur? Utique ab Ethnicis; qui cum Templis nomina tribuere soleant, a Diis petita quorum honori consecrata sunt, appellare illa maluerunt de conditoris, quam de famoso inter eos & invidioso Christi nomine.* Addit Lampridius: Quæ ille ad hoc parasse dicebatur. *ab Ethnicis nimirum dicebatur: nam quis putet, Lampridium, hominem itidem Ethnicum, ea de re Christianos consuluisse, fidemve illis tribuisse ullam? Ergo ab Ethnicis acceperat, Hadrianum ad hoc parasse Templa, ut in iis Christus coleretur; verum a Sacerdotibus prohibitum, veritis, ne, si invalesceret Christiana religio, Ethnica concideret, ab incepto destitisse: quod adversariis nostris attestantibus credendum est. Fallitur præterea Casaubonus, cum scribit, jussisse Hadrianum Templa fieri in omnibus civitatibus,*

vitatibus, suo nomini sine dubio consecranda, testemque citat Spartianum. Narrat enim Spartianus, Hadrianum Templa sui nominis consecrasse, non consecranda solum destinasse. Quæ ergo Templa sibi exstruere cœperat Hadrianus, eadem absolverat, & instruxerat simulacris, & suo demum nomini consecraverat. Quæ vero Christo ædificari mandaverat, iis simulacra vetuerat inferri, & monitu Sacerdotum imperfecta reliquit. Cujus generis fuit Tiberiadense, & aliud Alexandrinum: quæ a Judæis in profanos usus conversa fuisse refert Epiphanius. Verum hoc a Josepho Comite, illud ab Athanasio, repurgata ac perfecta sunt, & Christo non tam tributa, quam restituta. Minime vero jactandum id & tollendum censuerunt Christiani scriptores, quod Ethnicis parata esset responsio, Templa quidem Hadrianum Christo exstruere cœpisse, verum pœnituisse postea propositi, & mandatum revocasse, proindeque Christo destinata quidem fuisse Templa hæc, non dedicata. Sic ille. Cui cur non heic subscribamus, nullam nos idoneam causam videre profitemur.

Epiph. Ebion. hær. 30. c. 12. & Arrian. hær. 69. c. 2.

XII. Sed ad ipsam persecutionem Hadrianeam ut redeamus, sustulit ea inter alios Euaristum, Episcopum Romanum, si credimus Martyrologio Romano ad diem XXVI Octobris: sustulit & Alexandrum, itidem Romanum Episcopum, una cum sociis Eventio ac Theodulo Presbyteris. E quibus ALEXANDER *post vincula, carceres, equuleum, ungulas, & ignes, punctis creberrimis per tota membra confossus ac peremptus est*; EVENTIUS *vero &* THEODULUS *post longos carceres ignibus examinati, ad ultimum decollati sunt*; uti dictum habet Martyrologium ad

Martyrium Evaristi, Alexandri, Eventii, Theoduli.

ad diem III Maji. Quamquam alii aliter referant. Magdæburgenses enim Cent. II, cap. III. scribunt, Alexandrum cum Hermete, Præfecto urbis, ejus uxore, liberis, totaque familia, numero MCCL, in carcerem conjectum, & tandem in furno ardenti crematum fuisse, idemque supplicium Theodulum esse perpessum.

Equleum quale tormentum.

XIII. Quod ad Equuleum attinet, quem Alexander expertus dicitur, constat fuisse id tormenti genus, quo ad extorquendum de reis veritatem usi sunt antiqui. Quam in rem Cicero oratione pro Milone: *Facti in equuleo quæstio est, juris in judicio.* & pro Dejotaro: *Cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat; in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito: exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.* Similiter Amm. Marcellinus lib. XXIIX, de Amantio Aruspiceloquens, *Inductus in judicium*, ait, *quamquam incurvus sub equuleo staret, pertinaci negabat instantia.* & Valerius Maximus, lib. III, cap. III, externorum V, scribit: *In Theodoro, viro gravissimo, Hieronymus tyrannus frustra tortorum manus fatigavit. Rupit enim verbera, fidiculas laxavit, solvit eculeum, laminas extinxit prius, quam efficere potuit, ut tyrannicidii conscios indicaret.* Quænam vero genuina Equulei forma fuerit, perquam obscurum est, variasque de eo variorum scriptorum opiniones memorant & excutiunt, Hieron. Magius, in peculiari de argumento hoc libello, ac Anton. Gallonius, libro de Martyrum cruciatibus cap. III. Et Magius quidem, suam propositurus sententiam cap. XII, *Equuleum*, ait, *existimamus fuisse ligneum scamnum, sive ligneam arcam, pedibus qua-*

quatuor ligneis consistentem, fundoque carentem, quæ utrinque capiebat tympana & funes, quibus manus pedesque sontium & torquendorum obligarentur & protraherentur, non sine magno, ut conjectura locus est, dolore totius corporis. Gallonius vero scribit: *Equuleus apud veteres machina fuit lignea ad veri equi similitudinem fabricata, cum duabus striatis rotulis in extremis excavatisque eius partibus inditis, quæ, cum erat aliquis in ea torquendus, per axiculos ductoriis funiculis trajectis versabantur: quocirca fiebat, ut illis alligatus varie excruciaretur atque distenderetur.* Adde his quæ habent Franc. Hotomannus Antiquit. lib. IV, cap. III, lib. XV, cap. XVI, alii. Card. vero Baronius in Notis ad Martyrologium Roman. d. XXII Januarii, *Quænam esset equulei forma*, inquit, *haud facile describi posse videtur: & cum multi in his laboraverint, neminem adhuc eam assecutum fuisse cognovi; at nec ego id mihi arrogo.* Nos locum ex Hieronymo, cujus tempore Equuleus adhuc usitatus erat, adjiciemus, unde sibi hujus tormenti formam pro lubitu effingere quisque poterit. Itaque Pater doctissimus epistola XLIX, de muliere septies icta, sive de uxore adulterii falso a marito delata, sermonem faciens, *Mulier*, ait, *sexu fortior suo, cum eculeus corpus extenderet, & sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cœlum.* & post pauca: *Crines ligantur ad stipitem, & toto corpore ad eculeum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur; utrumque latus carnifex fodit, nec papillis dantur inducia.* E quibus Hieronymi verbis primo discimus, *stipitem* quendam in equuleo fuisse. Id quod confir-

mat Prudentius; qui totam illam machinam *noxialem stipitem* appellat, in Romano, sive hymno περὶ στεφ. XIV, 114. ubi de Asclepiade Præfecto scribit:

Jubet amoveri noxialem stipitem,
plebeja clarum pœna ne damnet virum.

Deinde & *corpus extendisse* eqvuleum nos docet Hieronymus: plane ut Cyprianus epist. II, ad Donatum, lib. de Lapsis, & de laude Martyrii, Augustinus, epist. CLIX, & Prudentius, in Vincentio, sive hymno II, 109. ubi Judex:

Vinctum retortis brachiis
sursum ac deorsum extendite,
compago donec ossium
divisa membratim crepet.

Intendi nimirum poterant eqvulei, ut diserte scribit Amm. Marcellinus lib. XIV, & XXIX. idque dum fiebat, corpora simul extendi erat necesse. Unde & qui hoc tormento excarnificatus erat, *eqvuleo longior factus* dicitur apud Senecam epist. LXVII. Porro ex Hieronymo intelligere licet, eorum, qui in eqvuleo cruciabantur, *manus post tergum vincula cohibuisse.* Id quod etiam indicat Prudentius, quando proxime citato loco scribit, tyrannum tortoribus imperasse, ut Vincentium extenderent *vinctum retortis brachiis*; item, quando hymn. XIV, 491. Romanum martyrem ita ex eqvuleo loquentem inducit:

Miserum putatis, quod retortis pendeo
extensus ulnis.

Amplius ex eodem loco patet, ita reos in eqvuleo fuisse constitutos, ut *oculis suspexerint ad cœlum.* Videntur nimirum in eo toto corpore prostrati jacuisse. idque confirmat Seneca, epist. LXVI, dum scribit: *Scio, quid mihi hoc loco*

co responderi possit. Hoc nobis persuadere conaris, nihil interesse, utrum aliquis in gaudio sit, an in equleo jaceat, & tortorem suum lasset. Quamquam M. Anton. Muretus, sed sine exemplarium suffragio, pro *jaceat* heic legit *taceat*, & reum in eculeo tacere dicit, quando *non indicat conscios, nihil eorum prodit propter quæ torquetur.* Tandem nec hoc prætermittendum, quod, memorante iterum Hieronymo, toto corpore ad eculeum fortius alligato, *vicinus pedibus ignis appositus fuerit, utrumque latus carnifex foderit.* Liquet nimirum inde, reos, præterquam quod in eqvuleo extenderentur, aliis quoque vexatos fuisse cruciatibus, igne videlicet & ungula cruenta, quæ, ut paulo ante idem Hieronymus loquitur, *lividas carnes pulsaret, sulcatis lateribus.* Ita sane ex aliorum etiam auctorum testimoniis constat. Nam Alexander, de quo paulo ante, præter equuleum, ungulas & ignes toleraſſe dicitur. & Alexander alius, sub Antonino passus, *eculeum, lampades ardentes, ungularum laniationem, superasse* dicitur Martyrologio Romano ad diem XXI Septembr. Cyprianus item ac Augustinus, locis supra laudatis, eqvuleo jungunt flammas torrentes, ungulas sulcantes, stridentes laminas. Augustini verba sunt, de modo quo Donatistæ puniendi, ad Marcellinum scribentis: *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extendente eculeo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti.* Confer lib. I Confess. cap. X. Cyprianus ait: *Hasta illic, & gladius, & carnifex, præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens: ad hominis corpus unum supplicia plura quam membra sunt.* Eodem per-

tinent quæ habentur apud Prudentium. Ibi enim Judex, postquam equuleo Vincentium torqueri jusserat, mox addit, vers. 113.

Posthinc hiulcis ictibus
nudate costarum abdita;
ut per lacunas vulnerum
jecur retectum palpitet.

Quibus subjungit Poëta, vers. 117.

Ridebat hæc miles Dei,
manus cruentas increpans,
quod fixa non profundius
intraret artus ungula.

& jam supra Martyr dixerat, vers. 61.

Tormenta, carcer, ungulæ,
stridensque flammis lamina,
atque ipsa, pœnarum ultima,
mors Christianis ludus est.

Similiter in Romano idem ait Prudentius, vers. 71.

Amor coronæ pone prævenit trucem
lictoris artem, sponte nudas offerens
costas bisulcis exsecandas ungulis.

& interjectis nonnullis, vers. 108.

— — Æsculapiades jusserat
eviscerandum corpus eculeo eminus
pendere, & uncis ungulisque crescere.

item vers. 446.

Statis ministri, clamitans Judex ait,
statis, manusque continetis vindices?
non rupta sulcis dissecatis viscera?
animam nec intus abditam rimamini,

erumpt

erumpit unde vox profana in Principem?
Scindunt utrumque milites teterrimi
mucrone hiulco pensilis latus viri,
sulcant per artus longa tractim vulnera,
obliqua rectis, recta transversis secant,
& jam retectis pectus albet ossibus.

pauloque inferius ita loquentem facit beatum Martyrem, vers. 484.

Non ungularum tanta vis latus fodit
mucrone, quanto dira pulsat plevresis:
nec sic iniusta laminis ardet cutis,
ut febris atro felle venas exedit.

Ita quoq; Amm. Marcellinus lib. XIV: *Intendebantur equulei, uncosque parabat carnifex & tormenta.* Seneca lib. III de Ira, cap. III, & XIX, addit *fidiculas*; sicut & Prudentius (apud quem Romanus Martyr ait, vers. 481.

Nec distat, ignis & fidiculæ sæviant,
an corpus ægrum languor asper torqueat)

ac Valerius Maximus, cujus verba dedimus supra. Quas fidiculas vincula fuisse nervea, quibus ad equuleum manus pedesque hominis ligarentur, lib. III de Judiciis cap. XIIX existimat Sigonius (cui non parum favere videtur locus Valerii M.) Valla autem lib. I Elegant. cap. V, instrumentum ex duobus & obliquatis lignis compactum fuisse censet. At utrumque falli ostendit Baronius, & ex hoc Gallonius, locis ante memoratis. Qui cum Isiodoro docent, fidiculas ipsas esse ungulas, sicque dici a *findendo*, quasi *findiculas*, quod reorum latera finderent; vel a *fodicando*, quasi *fodiculas*, quod illis reorum latera fodicarentur. Cui sententiæ subscribit per omnia Aringhus

Fidiculæ quid.

ghus in Roma subterranea lib. II, cap. IV. acceditque ei robur ex Prudentio : apud quem, hymno de Romano, quæ antea vocabantur *fidiculæ*, mox *ungulæ* appellantur. Nimirum dixerat Asclepiades, vers. 548.

— — *Vertat ictum carnifex*
in os loquentis, inque maxillas manum
sulcosque acutos & fidiculas transferat.

hoc vero ejus mandatum quomodo executus sit carnifex, ita exponit Poëta, vers. 556.

Implet jubentis dicta lictor improbus,
charaxat ambas ungulis scribentibus
genas, cruentis & secat faciem rotis:
hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
& mentum adusque vultus omnis scinditur.

Ubi vides, cum fidiculis sanctum excruciari martyrem profanus Judex imperasset, carnificem illi admovisse ungulas : quas proinde cum fidiculis easdem fuisse oportet. Adde Amm. Marcellinum lib. XXIX. qui, dum reorum quorundam latera fodicata scribit, fidiculis id factum esse haud obscure innuit, quando paulo ante, *Eculei*, ait, *expediuntur, pondera plumbea cum fidiculis & verberibus*. Facere insuper pro significatu hoc videtur l. XVI C. de Quæstionibus, dum fidiculis torqueri, *cruentam* vocat *conditionem*. Suetonio interim fidiculæ aliud tormenti genus notant, in Tiberio cap. LXII scribenti: *Excogitaverat Tiberius inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet.* E quo testimonio, idem omnino tormenti genus fidiculas fuisse

fuisse & equleum, Magius, supra citato loco, demonstrare nititur.

Minutis ictibus interfectus Alexander.

XIV. Sed plus satis de Equuleo. Ad superiora ut revertamur, narrat præterea de Alexandro Martyrologium Romanum, quod punctis creberrimis per tota membra confossus ac peremptus fuerit. De quo supplicii genere, quod a C. Caligula excogitatum sit, ut qui *non temere in quemquam nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque jam præcepto: ita fieri, ut se mori sentiat*; testatur in vita ipsius Suetonius cap. XXX. cum quo confer caput XXIIX; ubi narratur, Cajum, *cum discerpi Senatorem concupisset, subornasse qui ingredientem curiam repente hostem publicum appellantes invaderent, graphiisque confossum lacerandum ceteris traderent.* Refert quoque Diodorus Siculus, lib. I Biblioth. Histor. part. II, in Ægypto parricidas olim eo fuisse supplicio affectos, ut articulatim præacutis calamis cæderentur, deinde vivi in spinarum acervo comburerentur.

Eustachius martyr, cum uxore & filiis.

XV. Præterea hac tempestate absumptus traditur EVSTACHIUS, diuturna militia spectatissimus, & præclaris victoriis celeberrimus, cum Theophiste uxore, ac duobus filiis, Agapio & Theophisto. *Qui damnati ad bestias, sed Dei ope ab iis nil læsi, in bovem æneum ardentem inclusi martyrium consummarunt*, ut ait Martyrologium Romanum ad diem XX Septembris.

Phalaridis Taurus æneus.

XVI. Immanissimi illius cruciatus, Tauri, inquam, ænei, prima inventio omnium ore decantata est. Nempe *Perillus quidam, æris opifex, affectans tyranni*, Phalaridis Agrigentini, *amicitiam, aptum munus crudelitati illius ratus*,

tus, taurum æneum fecit, cui adfabre januam e latere compoſuit, quæ ad contrudendos damnatos receptui foret; ut, cum incluſus ibidem ſubjectis ignibus torreretur, ſonum vocis extortæ capacitas concavi æris augeret, pulſuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioque ſpectaculo mugitus pecudis, non hominis gemitus, videretur. Sed Phalaris, factum amplexus, factorem execratur, & ultioni materiam præbuit, & crudelitati: nam ipſum opificem ſua inventione punivit: verba ſunt Oroſii lib. I, cap. xx. quibus gemina heic habent ſcriptores paſſim alii. Ita Valerius Maximus lib. IX, cap. II, externorum IX: *Sævus ille æneitauri inventor, quo incluſi, ſubditis ignibus, longo & abdito cruciatu, mugitus reſonante ſpiritu edere cogebantur, ne ejulatus eorum, humanæ ſono vocis expreſſi, Phalaridis tyranni miſericordiam implorare poſſent. Quam quia calamitoſis deeſſe voluit, teterrimum artis ſuæ opus primus artifex incluſus merito auſpicatus eſt.* Plinius libr. XXXIV, cap. IIX: *Perillum nemo laudat, ſæviorem Phalaride tyranno, cui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne ſubdito, & primus eum expertus cruciatum juſtiore ſævitia.* Plutarchus in Parallelis: Φάλαρις, Ἀκραγαντίνων τύραννος ἀπότομος, τοὺς παρόντας ξένους ἐτρέβλα καὶ ἐκόλαζε. Πέριλλος δὲ τῇ τέχνῃ χαλκουργὸς, δάμαλιν κατασκευάσας χαλκῆν, ἔδωκε τῷ βασιλεῖ, ὡς αὖ τοὺς ξένους κατακαίη ζῶντας ἐν αὐτῇ. ὁ δὲ, μόνον τότε γενόμενος δίκαιος, αὐτὸν ἐνέβαλεν. ἐδόκει δὲ μυκηθμὸν ἀναδιδόναι ἡ δάμαλις. *Phalaris, Agrigentinorum tyrannus crudelis, hoſpites torquebat & excruciabat. Perillus, faber ærarius, æream buculam confecit, tyrannoque obtulit, ut in ea peregrinos vivos cremaret. Phalaris, tum duntaxat juſtus, ipſum injecit.*

Vide-

Videbatur autem mugitum edere bucula. Claudianus in Eutropium lib. I, 157.

Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
fructus consilii primis autoribus instet.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.

Ovidius de Arte amandi lib. I, 655.

—— *Phalaris tauro violenti membra Perilli*
torruit. Infelix imbuit auctor opus.
Justus — fuit. Neque enim lex æquior ulla est,
quam necis artifices arte perire sua.

Idem tormentum illud ab inventore appellat *æs Perilleum*, quando lib. V Tristium eleg. I, 53. ita canit:

Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
edere mugitus, & bovis ore queri.

ac in Ibin, 439.

Ære Perilleo veros imitere juvencos;
ad formam tauri conveniente sono.

Persius vero a Sicilia, inventionis loco, vocat *æra Siculi juvenci*, sat. III, 39. scribens:

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci?

Neque vero solus Perillus crudelitatis suæ debitas pœnas dedit; sed ipse tandem quoque Phalaris (qui *crudelissimus omnium tyrannorum* audit Ciceroni, Verrina V, & *quem*, scribente Seneca lib. II de Clementia, cap. IV, *ajunt super humanum ac probabilem modum sæviisse*) tauro suo inclusus noviissime periit. Quam in rem Ovidius loco proxime expresso:

Utque ferox Phalaris, lingua prius enſe reſecta,
more bovis, Paphio clauſus in ære, gemas.

Equidem aliud tradit Valerius Maximus, dum lib. III, cap. III, externorum II, ait: Zeno, *increpans Agrigentinis ignaviam ac timiditatem, effecit, ut, ſubito mentis impulſu concitati, Phalarim lapidibus proſternerent.* Quæ cum Ovidianis ita conciliat Gallonius, lib. de cruciatibus Martyrum cap. VII, ut dicat, Phalaridem primum quidem lapidibus appetitum, poſtmodum vero in taurum candentem fuiſſe conjectum. Sed videtur Valerius perperam ibi nominaſſe *Phalarim*; qui ſecundum Svidam, circa Olympiadem LII (& ſic longe ante Zenonem iſtum Eleaten, utpote qui, teſte Diogene Laertio, Olympiadem circiter LXX floruit) tyrannidem exercuit, & quidem, quod Euſebius addit, nonniſi XVI annos: cum potius nominandus fuiſſet *Nearchus* (Plutarcho, lib. de Stoicorum repugnantiis, *Demylus* dictus) de quo, quod Zenonem excruciaverit, Diogenes memorat lib. IX. Cicero lib. II Offic. de interitu tyranni Agrigentini hæc habet: *Phalaris, cujus eſt præter ceteros nobilitata crudelitas, — non ex inſidiis interiit, — non a paucis; — ſed in eum univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit.* Vide præterea de Phalaridis tauro Lucianum in Dialogo, qui *Phalaris primus* inſcribitur, Ciceronem orat. in Piſonem, Tuſcul. Quæſt. lib. II & V, Senecam epiſt. LXVI, Juvenalem ſat. IIX, Propertium lib. II, Pindarum Pyth. I, Auguſtinum epiſt. LII. Addi poteſt etiam ex epiſtolis, quæ Phalaridis nomine circumferuntur, a Luciano autem confictæ cenſentur, illa quæ ad Delphos ſcripta eſt.

Valerii Max. lapſus.

XVII.

XVII. Atque hæc de afflictionibus Christianorum sub Hadriano. Quo defuncto, eique successore dato Antonino Pio, pacem Ecclesiis fuisse scribit Sulpitius Severus lib. II. cui consonans Dionis Cassii breviator, Johannes Xiphilinus, ὁ Ἀντωνῖνος, inquit, ὁμολογεῖται πρὸ πάντων καλός τε καὶ ἀγαθὸς γενέσθαι, καὶ ὅτε τῶν ἄλλων ὑπηκόων λίαν βαρὺς, ὅτε χριστιανοῖς ἐπαχθὴς, ἀλλὰ πολλήν τινα τούτοις νέμων αἰδῶ, καὶ τῇ ἐς Ἁδριανὸν τιμῇ, ἣν ἐκεῖνος ἐτίμα χριστιανούς, προστιθείς. *Constat inter omnes, Antoninum virum probum & bonum fuisse. Nec enim ceteris subditis gravis, nec Christianis infensus fuit: quos vehementer observavit & coluit, ac honori, quo Hadrianus Christianos prosequebatur, accessionem fecit.* Verum enimvero, quamvis Antonini Pii temporibus nullo peculiari edicto in Ecclesiam sævitum sit (quod nec sub Hadriano factum esse supra scripsimus) non tamen omnino a Christiani sanguinis effusione temperatum fuisse, manifesto docet Theodoritus Θεραπευτ. lib. IX. Ubi enim persecutionis sub Hadriano fecisset mentionem, statim subjungit: Ἀντωνῖνος ὁ μετ' ἐκεῖνον, καὶ Βῆρος ὁ ἐξ ἐκείνου, πολλὰ μὲν καὶ λαμπρὰ κατὰ βαρβάρων τρόπαια ἐστήσατην, καὶ αὐτόνομον βίον ἀπασαμένοις τῆς δυναστείας ἐπεβηκάτην ζυγὸν, τοὺς δὲ τοῦ σωτηρίου σταυροῦ ζυγὸν φέρειν ἠγαπηκότας, οὔτε ἐπεισάτην, οὔτε ἠναγκασάτην καταλιπεῖν, ὃν ἠγάπησαν, καὶ ταῦτα πολλαῖς μὲν ἀπειλαῖς δεδιεγμένοι, παμπόλλαις δ' ἡμερείαις χρησάμενοι. *Antoninus, qui illi* (Hadriano) *successit, & Verus, ejus filius, multa & præclara devictis barbaris tropæa excitarunt, suoque jure viventibus populis jugum Romanæ ditionis imposuerunt; neque tamen eos, qui salutaris Crucis jugum adamarunt, aut vi aut*

Status Ecclesiæ sub Antonino Pio

ſvaſionibus impellere potuerunt, ut miſſum facerent quod adamaverant; quamvis illos & magnis minis terrerent, & plurimis ſuppliciis cruciarent. Idem firmatur inde, quod ſub hoc Imperatore Teleſphorus, Epiſcopus Romanus, Agathodorus & Carpus, Pergami in Aſia, Theodorus, ejusque mater Philippa, Perſæ in Pamphilia, Alexander Apameæ, Victor & Corona Damaſci, Melitina Marcianopoli, Flocellus Auguſtoduni in Gallia, Potitus in Sardinia, compluresque alii, martyrio nobilitati leguntur in Martyrologiis. conſtat denique idipſum ex Apologia etiam, quam Juſtinus, Philoſophus & Martyr, ad Antoninum Pium pro fide Chriſtiana ſcripſit, memorata Euſebio lib. IV Hiſt. Eccl. cap. XI & XIIX, Hieronymo libro de Script. Eccl. cap. XXIII, in Ignatio; & in epiſtola LXXXIV, ad Magnum, Oratorem Romanum. Unde non incommode quarta Eccleſiæ perſecutio ſub Hadriano cœpta, ſub Antonino Pio continuata dicitur, & ſic utraque pro una computatur. Vide infra cap. V, 2.

Martyres ſub Antonino Pio.

XIIX. Scribit vero Euſebius, Hiſtoriæ Eccl. lib. IV, cap. XII, XIII, cum oblatus eſſet Antonino quem diximus Juſtini Apologeticus, & ab aliis præterea per Aſiam agentibus Chriſtianis, qui omni injuriarum genere a provincialibus vexabantur, idem fuiſſet interpellatus, conſtitutionem miſiſſe ipſum ad Commune Aſiæ hujusmodi: Αὐτοκράτωρ καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος σεβαστὸς Ἀρμήνιος, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν. Ἐγὼ μὲν οἶδα, ὅτι καὶ τοῖς θεοῖς ἐπιμελές ἐστι, μὴ λανθάνειν τοὺς τοιούτους. πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκεῖνοι κολάσαιεν ἂν τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοὺς προσκυνεῖν, ἢ ὑμεῖς· οὓς εἰς ταραχὴν ἐμβάλλετε, βεβαιοῦν-

Antonini edictum pro Chriſtianis.

βεβαιῶντας τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγορῶντες. εἰη δ' ἂν κἀκείνοις αἱρετὸν, τὸ δοκεῖν κατηγορεμένοις ἀθανάτοις μᾶλλον, ἢ ζῆν, ὑπὸ δ' οἰκείων θεῶν. ὅθεν καὶ νικῶσι, προϊέμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, ἅπερ πεισόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράττειν αὐτούς. περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων καὶ γινομένων, οὐκ ἄτοπον ὑμᾶς ὑπομνῆσαι, ἀθυμοῦντας μὴ ὅτι περ ὦσι, προβαλλόντας δὲ τὰ ἡμέτερα πρὸς τὰ ἐκείνων. οἱ μὲν ἂν εὐπαρρησιαστότεροι γένονται πρὸς τὸν θεὸν· ὑμεῖς δὲ πρὸ παντὸς τὸν χρόνον καθ' ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε, τῶν τε θεῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀμελεῖτε, καὶ τῆς θρησκείας τῆς περὶ τὸ ἀθάνατον· ὃν δὴ τοὺς χριστιανοὺς θρησκεύοντας ἐλαύνετε καὶ διώκετε ἕως θανάτου. ὑπὲρ δὲ τῶν τοιούτων ἤδη καὶ πολλοὶ τῶν πρὸς τοὺς ἐπάρχους ἡγεμόνων καὶ τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν ἔγραψαν πατρί. οἷς καὶ ἀντέγραψε, μηδὲν ἐνοχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοντό τι πρὸς τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἐγχειροῦντες. καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα, κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ. εἰ δέ τις ὑπερβαίνοι τινὰ τῶν τοιούτων εἰς πράγματα φέρων ὡς δὴ τοιοῦτον, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τῆς ἐγκλήματος, καὶ ἐαυτὸν φαίνηται τοιοῦτος ὤν· ὁ δὲ καταφέρων, ἔνοχος ἔσται δίκης. πεπράχθη ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας. *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Aug. Armenicus, Pontifex Maximus, tribuniciæ potestatis XV, Consul III, Communi Asiæ S. Equidem scio, Diis ipsis curæ esse, ne hujusmodi homines lateant. Multo enim magis illis convenit, punire eos qui colere ipsos recusant, quam vobis. Qui eorum, adversus quos tumultuamini, sententiam ac propositum amplius confirmatis, dum eos accusatis tamquam impios. Illis autem longe optabilius fuerit, ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo*

ſuo, quam ut incolumes remaneant. Ita victores evadunt, animas ſuas potius projicientes, quam ut ea facere, quæ vos jubetis, in animum ſuum inducant. Ceterum de terræ motibus, qui vel facti ſunt, vel etiamnum fiunt, non abſurdum videtur vos commonere; qui & animos abjicitis quoties hujusmodi caſus contingunt, & veſtra cum illorum inſtitutis comparatis. Atqui illi quidem majorem tunc fiduciam in Deo collocant: vos vero per omne illud tempus, quo præ imperitia labi mihi videmini, Deos negligitis; & tum alias ceremonias inſuper habetis, tum cultum Immortalis illius; & Chriſtianos, qui illum venerantur, expellitis, & ad mortem usque inſeſtius perurgetis. Porro de his hominibus plurimi provinciarum Rectores divo Patri noſtro antea ſcripſerunt. Quibus ille reſcripſit, eiusmodi homines nulla moleſtia afficiendos eſſe, niſi forte contra ſtatum imperii Romani aliquid moliri viderentur. Sed & multi ad me de illis retulerunt: quibus ego Patris mei conſtitutionem ſecutus reſpondi. Quod ſi quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium faceſſere, ex eo quod Chriſtianus ſit, delatus quidem crimine abſolvatur, tametſi conſtet, eum reipſa Chriſtianum eſſe; delator autem ipſe pœnas luat. Propoſita Epheſi in publico conventu Aſiæ. Quibus ita recitatis ſubjungit Euſebius: τάτοις ἅτω χωρήσασιν ὁ τῶν μαρτύρων Μελίτων τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, κατ' αὐτὸ γνωριζόμενος τὸ χρόνω, δῆλός ἐστιν ἐκ τῶν εἰρημένων αὐτῷ ἐν ᾗ πεποίηται πρὸς τ αὐτοκράτορα ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δόγματος χρησιμωτάτη ἀπολογία. *Hæc quidem ita geſta eſſe, Melito, eccleſiæ Sardenſis Epiſcopus, qui iisdem temporibus floruit, perſpicue teſtatur in Apologetico illo longe*

ge utiliſſimo, quem ad Imperatorem Verum pro religione noſtra conſcripſit. Legitur idem edictum etiam ad calcem ſupra laudatæ Juſtini Apologiæ; at cum alia inſcriptione. Et ſane, ſi recte habet inſcriptio quam præfert epiſtola ut apud Euſebium legitur, eam non Antonini Pii, ſed Marci Antonini eſſe oportet. Quæ etiam ſententia eſt Henrici Valeſii ad dictum Euſebii locum: tametſi aliter videatur Petro Halloixio in Notationibus ad vitam Juſtini cap. v. Conſulantur ipſi illi auctores.

Chriſtianiſmo omnia mala & calamitates publicæ a Gentilibus imputabantur.

XIX. Apparet autem, eorum præcipue inſaniam edicto illo caſtigari, qui obortos circa illa tempora terræ motus Chriſtianis imputabant, eosque ad pœnas pro more depoſcebant. Solemne nimirum Paganis erat, cauſas omnium malorum, quibus genus humanum premebatur, Chriſtianis tribuere, hosque ad leones ideo & beſtias damnare. Unde Tertullianus, in refellenda calumnia, qua ob Agapas ſuas factionis inſimulabantur noſtri, occupatus, *Illis*, inquit, *nomen factionis accommodandum eſt, qui in odium bonorum & proborum conſpirant, qui adverſum ſanguinem innocentium conclamant, prætexentes ſane ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tiberis non aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem*; cap. XL Apologetici. Atque hinc Arnobio nata occaſio ſcribendi libros ſuos adverſus Gentes, ut ipſe indicium facit, quando hunc in modum eos orditur: *Quoniam comperi, nonnullos, qui ſe plurimum ſapere ſuis perſvaſionibus credunt, inſanire, bacchari, & velut quid-*

Arnobius qua occaſione contra Gentes ſcripſerit.

quiddam promptum ex oraculo dicere : postquam esse in mundo Christiana gens cœpit, terrarum orbem periisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum; ipsos etiam Cœlites, derelictis curis solemnibus, quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos : statui pro captu ac mediocritate sermonis contraire invidiæ, & calumniosas dissolvere criminationes; ne aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere, aut, si nos talibus continuerimus a litibus, obtinuisse se causam putent, victam sui vitio, non assertorum silentio destitutam. Eadem impulerunt Augustinum, ut, exardescens zelo domus Dei, celebres illos & multijugæ eruditionis copia prægnantes de Civitate Dei libros concinnaret: veluti ex iis, quæ de hoc opere ipse auctor lib. II Retract. cap. XLIII differit, manifestum est. Gothis nimirum & Vandalis Romanum imperium affligentibus, quin, ipsa Roma ab Alarico Gothorum Rege capta, tantas clades non pauci religioni Christianæ, per quam veterum Deorum cultus antiquatus esset, imputabant. Quippe vigente idololatria floruisse imperium ajebant; labefactata, ipsum quoque labefactari cœpisse, & in diras calamitates præcipitasse. Huic ergo blasphemiæ libros de Civitate Dei Augustinus objecit. Quibus perficiendis cum intentus esset, Paulum Orosium, Presbyterum Hispanum, ad scribendam eodem fine historiam, Paganis opponendam, excitavit & impulit; uti ex præfatione apparet quam operi suo Orosius præmisit. Idem quoque argumentum Cyprianus in eximio libro ad Demetrianum, Africæ Præfectum Ethnicum, ex instituto tractat. Verum

Augustinus quo fine opus de Civitate Dei ediderit.

rum de his similibusque in veteres Christianos projectis conviciis, quorum Antonini edictum meminit, nolumus nunc agere prolixius, quod abunde quæ huc spectant, in peculiari de Calumniis Paganorum opere persequimur.

XX. Sufficiant proinde hæc de statu Ecclesiæ sub Antonino Pio. Quem alias mirifice extollunt οἱ ἔξω, adeo ut Aurelius Victor scribere non dubitet, *hunc Imperatorem nullam fere vitiorum labem maculasse.* Nimirum vir fuit, ut forma conspicuus, vultuque nobilis, sic ingenio clarus, moribus clemens, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipue sobrius, nulli acerbus, cunctis benignus, largus, alieni abstinens; & omnia hæc cum mensura & sine jactantia: in re militari moderata gloria, defendere magis provincias quam amplificare studens; viros justissimos ad administrandam rempubl. quærens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans; in cunctis postremo laudabilis. Subjectos sibi populos tanta diligentia rexit, ut omnia & omnes, quasi sua essent, curaret. Pacem semper amavit, eousque, ut Scipionis sententiam frequentarit, qua ille dicebat, malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. Seditiones ubicunque factas, non crudelitate, sed modestia & gravitate compressit. Victus ejus talis fuit, ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus: nec omnino quidquam de vitæ privatæ ratione mutavit. Species Imperatorias superfluas & prædia vendidit, inque suis propriis fundis vixit varie ac pro temporibus. Nec ullas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, gravem esse provincialibus *Antoniniani laudes.*

comitatum Principis, etiam nimis parci. Rhetoribus & Philosophis per omnes provincias & honores & salaria detulit: multis autem salaria subtraxit, quos otiosos videbat accipere; dicens, nihil esse sordidius, imo crudelius, qnam si rempublicam ii arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Magnæ auctoritatis apud omnes fuit, adeo ut barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferrent, sententiæque ejus parerent. Hæc, totidem fere verbis, Julius Capitolinus, Eutropius, atque ex iis Svidas & Cuspinianus.

Hadriano imperante etiam Iudæi Ecclesiam persecuti sunt.

xxi. Priusquam hinc abimus, non possumus intactum relinquere quod Justinus M. annotavit Apolog. II, Hadriano imperante etiam a Judæis persecutionem passos esse Christianos; cum videlicet, duce Barcocheba, bellum illi adversus Romanos molirentur. Verba Justini: ἐχθρὸς ἡμᾶς καὶ πολεμίως ἠγῶνται (οἱ Ἰουδαῖοι) ὁμοίως ὑμῖν αἰσιρῶντες καὶ κολάζοντες ἡμᾶς ὅπου δύνωνται, ὡς καὶ πεισθῆναι δύνασθε. καὶ γὰρ ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ Ἰουδαϊκῷ πολέμῳ Βαρχοχέβας, ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης, χριστιανὸς μόνους εἰς τιμωρίας δεινὰς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο Ἰησοῦν τὸν χριστὸν καὶ βλασφημοῖεν, ἐκέλευεν ἀπάγεσθαι. *Nos pro inimicis & hostibus habent* Judæi, *itidem ut vos* Gentiles, *cum possunt, e medio tollentes & excruciantes: quemadmodum vel ex eo persvaderi potestis. Bello enim quod jamjam fuit, Barcochebas, defectionis Judæorum auctor, solos Christianos ad gravia supplicia, nisi Jesum Christum abnegarent, & maledictis incesserent, duci jussit.*

Iudæorum in Christianos

xxii. De hoc Judæorum in Christianos odio & iniquitate etiam in dialogo cum Tryphone non semel que-

queritur Justinus, queruntur & alii scriptores passim. Ita Tertullianus in Scorpiaco cap. x, *Synagogas Judæorum, fontes vocat persecutionum*; idemque de gente ista loquens, lib. I ad Nat. cap. XIV, *Quod aliud genus*, ait, *seminarium est infamiæ nostræ?* & ex passione B. Polycarpi, apud Eusebium lib. IV, cap. XV, plus satis constat, quanto molimine, occasionem nacti, Christianorum vexationes, mortemque adeo ipsam, Judæi promoverint; imo quod ipsis interdum Gentilibus alacriores se heic præstiterint. Similiter persecutionum meminit, quas suo tempore a Judæis Christiani sint experti, Cyprianus, sub finem libri de bono Patientiæ. Adde quæ habent Rufinus, Histor. Eccl. lib. I, cap. XXXVII, Socrates lib. VII, cap. XIII, Sozomenus lib. II, cap. XII & IX. ubi Judæos vocat τρόπον τινὰ φύσει ὑπὸ βασκανίας πρὸς τὸ δόγμα τῶν χριστιανῶν ἐκπεπολεμωμένους, *qui præ invidia, ipsis insita, natura quodammodo hostes sint Christianæ religionis*. quemadmodum lib. V, cap. XXII, ait, ὅτι μίσει ἀσπόνδῳ πρὸς αὐτὸς (χριστιανὸς) εἶχον οἱ Ἰουδαῖοι, *quod Judæi inexpiabili odio eos* (Christianos) *prosequantur*. Ipse etiam sacer Codex de odio hoc passim testatur. & speciatim, quod Gentilium animos adversus nostros Judæi exacerbaverint, constat ex Act. XIV, 2. ubi scribit Evangelista: οἱ ἀπειθοῦντες Ἰουδαῖοι ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν. *Qui non credebant Judæi, concitaverunt maleque affectos reddiderunt animos Gentium adversus fratres*. Confer ibid. comma 19. & cap. XVII, 5. 13. I Thess. II, 14. seqq. Nec ignoravit Judaicum illud odium Persarum Rex Cosroës: qui, Cæsareæ Cappadociæ, Damasci, Jerosolymæ, imperante

odium & summa iniquitas.

Heraclio, potitus, multos Christianos (nonaginta circiter millia fuisse tradunt) Judæis divendidit, crudeliter ab iis necatos. Vide Sigebertum Gemblacensem Chronogr. ann. Dc XVII, aliosque illorum temporum scriptores.

CAPUT V.

DE PERSECUTIONE QUINTA, SUB M. ANTONINO PHILOSOPHO.

CONSPECTUS.

I. *Marci Antonini vita.*
II. *Persecutio sub M. Antonino an quinta, num vero quarta fuerit.*
III. *Persecutio sub M. Antonino non solo populi impetu est agitata.*
IV. V. *Polycarpi martyrium.*
VI. *Notarii veterum.*
VII. *Persecutores Ethnici præceteris in Episcopos faciebant impetum, Ecclesiæque Doctores.*
IIX. *Gentiles blandioribus verbis ad ὑποταγὴν Christianos solicitabant.*
IX. *Cur Polycarpus Imperatorem noluerit appellare Dominum.* Dominus *interdum idem qui* Deus.
X. *Augustus* Domini *appellationem exhorruit; uti quoque Tiberius, & Alexander Severus.*
XI. *Vox* Dominus *olim notabat Tyrannum,* δεσποτία *& dominatio tyrannidem.*
XII. *Aliter Christiani detrectabant Cæsarem Dominum dicere quam Judæi.*
XIII. *Per Cæsaris genium cur jurare noluerint Christiani.*
XIV.

XIV. *Gentiles Atheï, non Christiani.*

XV. *Christiani jussi* βλασφημεῖν.

XVI. *Martyres tanta alacritate mortem pro Christo oppetierunt, ut etiam supplicii moram moleste tulerint.*

XVII. *Condemnationis causa Praconis voce publicata.*

XIIX. *Lento igne aut fumo necari solebant fontes: ab eoque supplicio Christiani Semaxii dicti & Sarmentitii.*

XIX. *Solemnes munerum dies apud Romanos.*

XX. *Discalceari ab aliis nolunt passuri Cyprianus & Fructuosus.*

XXI. *Martyres jamjam passuri orabant & canebant.*

XXII. *Ignis lædere interdum nequivit Martyres.*

XXIII. *Corpora Martyrum suavem quandoque odorem spirabant.*

XXIV. *Quos ignis absumere non poterat martyres, eos gladio aliisve instrumentis tyranni necabant.*

XXV. *Polycarpi sepulchrum hodieque apud Smyrnenses conservatur.*

XXVI. *Martyrum Smyrnensium* ἀρίστεια, *Germanici nominatim, qui bestias ipse in se provocavit.*

XXVII. *Pionius martyr quando passus. Baronii sententia, a Scaligero impugnata.*

XXIIX. XXIX. *Baronii & Scaligeri lapsus. Sabbathum magnũ Iudæorum. Pionius epistolæ de Polycarpi martyrio investigator & descriptor.*

XXX. *Martyrium Pionii.*

XXXI. *Iustini Philosophi. Cujus antagonista erat Crescens Cynicus.*

XXXII. *Quando passus Iustinus.*

XXXIII. *Ptolomæus & Lucius martyres.*

XXXIV. *Christiani post latam de se capitis sententiam Judici gratias agebant. Id quod ipsimet etiam Gentiles aliquando fecisse leguntur.*

XXXV. *Felicitas martyr cum septem filiis.*

XXXVI. *Virgis cædi, servile supplicium.*

XXXVII. *Virgæ non erant unius generis.*

XXXIIX. *Plumbatæ quodnam tormenti genus.*

XXXIX. *Fustuarium.*

XL. *Persecutio Gallicana sub M. Antonino atrocissima.*

XLI. *Vettii Epagathi martyrium.*

XLII. *Christianis non permittebatur pro innocentia sua in judicio loqui.*

XLIII. *Christiani ob solum hoc nomen suum, cetera innotes, interempti.*

XLIV. *Zacharias sub M. Antonino passus Rufini commentum est.*

XLV. *Qui plane huic pervertit mentem Eusebii.*

XLVI. *Quidam persecutionis oneri succubuerunt. Lapsi decem.*

XLVII. *Servorum Gentilium in heros suos Christianos portentosæ calumniæ.*

XLIIX. *Blandina martyr.*

XLIX. *Ponticus martyr.*

L. *Puerorum & puellarum Christian.* Δρισεία.

LI. *Longa & numerosa Martyrum tormenta.*

LII *Eorum scopus, ut animæ perderentur Christianorum;*

LIII. *Vtque de victoria gloriari liceret persecutoribus.*

LIV. *Admiranda Christianorum in tolerandis cruciatibus fortitudo & constantia.*

LV. *Christianum nomen quam amabile martyribus fuerit.*

LVI. *Bestiis stipitibus alligatos exponebant Romani.*

LVII. *Martyrum objecta sibi corpora attingere interdum nequiverunt bestiæ.*

LIIX. *Martyres in nova subinde certamina servati.*

LIX. *Iidem cum gaudio & voluptate tormenta pro fide ferebant.*

LX. *Sancti martyrium.*

LXI. ὁμολογίας φωνὴ· *Christianus sum!*

LXII. *Pothini certamen.*

LXIII. *Monstrosa de Christianorum Deo Gentilium commenta.*

LXIV. *Attali passio.*

LXV. *Titulus seu Tabella damnationis causam indicans.*

LXVI. *Tabella Christianorum damnatoria aliam indicare non solebat culpam, quam quod Christianus esset qui neci dabatur. Judices e tabella sententiam recitabant. Christianitatis titulus.*

XLVII. *In cives Romanos sine Imperatoris consensu graviori supplicio animadvertere non licebat provinciarum*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0146
DFG

rum Præsidibus.

LXIIX. *Thyesteæ dapes Christianis objectæ.*

LXIX. *Alexandri Phrygis martyrium.*

LXX. *Biblias, ubi fidem abnegasset, ad se rediens, martyrium consummavit.*

LXXI. *Christiani primævi a sanguine gustando alieni.*

LXXII. *Apostatarum misera conditio.*

LXXIII. *Gentilium crudelitas in Martyrum cadavera.*

LXXIV. *Eorundem in Christianos ne quidem post fata quiescens odium*

LXXV. *denegata inprimis sepultura prodebat.*

LXXVI. *Mortuis sepultura interdici, omnium gentium consvetudini ipsique Naturæ legi adversatur.*

LXXVII. *Ne supplicio quidem affectos Romanæ leges sepeliri vetant. Et tamen etiam Ariani sepulturam negarunt Catholicis.*

LXXIIX. *Ethnici nec hostibus sepulturæ officium inviderunt.*

LXXIX. *Etiam tumulo jam illatos Christianos refoderunt Pagani.*

LXXX. *Quare sepulturam Martyribus permittere noluerint Gentiles.*

LXXXI. *Gallici persecutores reliquiarum dispersione resurrectionem impediri posse credebant.*

LXXXII. *Cur Deus permittat interdum sanctorum ossa sepultura carere.*

LXXXIII. *Sepulturæ defectus futuræ corporum resurrectioni nil officit.*

LXXXIV. *Etiam Philosophi Gentiles susque deque sepulturam habebant.*

LXXXV. *Pagani ex misera & infelici Christianorum sorte, quod verus omnipotensque Deus ab ipsis haud coleretur, colligere solebant.*

LXXXVI. *Quanta diligentia Christiani sub M. Antonino investigati fuerint.*

LXXXVII. *Persecutionem Antoninianam legionis Christianæ miraculum nonnihil repressisse creditur.*

LXXXIIX. *Beneficium impetratæ tunc pluviæ Gentiles vel Magis tribuunt, vel Imperatoris orationi & probitati.*

LXXXIX. *Revera autem Christianorum militum precibus id debetur.*

XC. *M. Antonino cum Magis nihil*

nihil fuit commercii.

XCI. *Legio κεραυνοβόλος an a missio cœlitus in Quados fulmine nomen acceperit.*

XCII. *Num duæ extiterint legiones κεραυνοβόλοι. Conjectura Baronii.*

XCIII. *H. Valesii sententia.*

XCIV. XCV. *De Christianorum militum miraculo testimonium Eusebii,*

XCVI. *Tertulliani,*

XCVII. *Pauli Orosii.*

XCIIX. *Epistola, quæ sub M. Antonini nomine ad calcem Apologiæ Iustini hodie legitur, adulterina.*

XCIX. *Gregorii Nysseni de Christianorum militum miraculo testimonium.*

C. *Locus ille de pasis sub Licinio 40. militibus perperam a nonnullis accipitur.*

CI. *Impetrata Christianorum precibus a vero Deo beneficia suo Jovi tribuebant Gentiles.*

CII. *M. Antoninus accusare Christianos tandem, & quidem sub capitali supplicio, vetuit. Indeque in Apollonii delatorem crurifragrio post animadversum.*

CIII. *Eundem Imperatorem, militum precantium miraculo inductum, etiam ad honores aditum Christianis patefeciisse, quidam, sed lubrico fundamento nixis, existimant.*

CIV. *Persecutio etiam post bellum Marcomannicũ non prorsus cessavit sub M. Antonino.*

CV. *Melior conditio Ecclesiæ sub Commodo.*

CVI. *Interim & tunc martyrio coronatus Apollonius.*

I.

Quintus se Christo opposuit Marcus Aurelius Antoninus Philosophus, Antonini Pii circa annum Domini CLXI successor. Quem, judice Eutropio, mirari facilius quis quam laudare possit. Vir nempe fuit a prima infantia gravis, in omni vita philosophans, & sanctitate vitæ omnibus Principibus antecellens;

lens; uti teſtatur Jul. Capitolinus. Duodecimum annum ingreſſus habitum Philoſophi aſſumpſit, & deinceps tolerantiam; quum ſtuderet in pallio, & humi cubaret, imo tantum ſtudium in eo Philoſophiæ fuit, ut adſcitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſa veniret; ceu iterum ſcribit Capitolinus. Quo quidem Apollonio quod Doctore uſus fuerit præcipuo, omnisque generis maxime ſalutaria Philoſophiæ præcepta ab eo hauſerit, primo librorum de vita ſua, ſive τῶν καθ' ἑαυτὸν, ipſe profitetur: ubi etiam, quas ab aliis Præceptoribus, Diogneto, Bacchio, Tandaſide, Marciano, Ruſtico, Sexto, Alexandris, Frontone, Catullo, Maximo, parentibus item, avo, proavo, fratre, educatore, vivendi doctrinas morumque & virtutum exempla acceperit, accurate memorat. Dio Caſſius, ex vehementi ſtudio atque exercitatione ejus factum eſſe ſcribit, ut eſſet valde infirmo & imbecilli corpore, etſi principio fuerit bona valetudine. Sententia Platonis ſemper in ore illius fuit: *florere civitates, ſi aut Philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur*; annotante Capitolino. Unde factum, ut magna hominum multitudo ſe philoſophari ſimulaverit, quo ab ipſo locupletaretur; velut memorat Dio. Quamquam vero Philoſophiæ ſtudium ſerium & gravem illum reddidit, non tamen id factum prorſus abolita in eo comitate, quam præcipue ſuis amicis atque etiam minus notis exhibuit; ceu loquitur Capitolinus. Cum populo non aliter egit quam eſt actum ſub civitate libera. Fuit per omnia moderatiſſimus in hominibus deterrendis a malo, invitandis ad bona, remunerandis copia,

indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, & ex bonis optimos, Tanta fuit clementia, ut, cum caput Avidii Cassii, qui in Oriente rebellaverat, ad se deferretur, non exultaverit, nec elatus sit, sed etiam doluerit, ereptam sibi esse occasionem misericordiæ; quum diceret, se vivum illum voluisse capere, ut illi exprobraret beneficia sua, eumque servaret; uti in Avidio Cassio Vulcatius narrat Gallicanus. Imperavit in amore omnium, ita ut modo frater, modo pater, modo filius, ut cujusque ætas sinebat, & diceretur & amaretur. Semper, quum potuit, interfuit Senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit: si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitiis præterea etiam usque ad noctem frequenter interfuit; neque umquam recessit de curia, nisi Consul dixisset: *Nihil vos moramur, Patres Conscripti.* Semper cum optimatibus, non solum bellicas res, sed etiam civiles, priusquam faceret aliquid, contulit. Sententia illius præcipua semper hæc fuit: *Æquius est, ut ego tot & talium amicorum consilium sequar, quam ut tot & tales amici meam unius voluntatem sequantur.* Capitales causas hominum honestorum ipse cognovit, & quidem summa æquitate, ita ut Prætorem reprehenderet, qui cito reorum causas audierat, juberetque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens, ut ab eo audirentur qui pro populo judicaret: quæ omnia totidem verbis narrat Jul. Capitolinus. Cui consona scribens Dio Cassius, ὁ αὐτοκράτωρ, ait, ὁσάκις ἀπὸ τοῦ πολέμου σχολὴν ἦγεν, ἐδίκαζε, καὶ ὕδωρ πλεῖστον τοῖς ῥήτορσι μετρεῖσθαι ἐκέλευε. πάς τε πίστις καὶ τὰς ἀνακρίσεις ὑπὲ μακρότε-

ρον

ρον ἐποιεῖτο, ὅστε πανταχόθεν τὸ δίκαιον ἀκριβοῦν. καὶ κατὰ τοῦτο ἕνδεκα πολλάκις καὶ δώδεκα ἡμέραις τὴν αὐτὴν δίκην, καὶ περὶ νυκτὸς ἔστιν ὅτε, δικάζων ἔκρινε. φιλόπονος γὰρ ἦν· καὶ ἀκριβῶς πᾶσι τοῖς τῇ ἀρχῇ προσήκουσι προσεφέρετο. καὶ οὐδὲν ἐν παρέργῳ οὔτε ἔλεγεν οὔτε ἔφραγεν οὔτε ἐποίει, ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ περὶ τοῦ βραχυτάτου ἡμέρας ὅλας ἀνήλισκεν, οὐκ ἀξιῶν τὸν αὐτοκράτορα ἐξ ἐπιδρομῆς τι πράττειν. καὶ γὰρ ἐνόμιζεν ὅτι κἂν ἐλάχιστόν τι παρίδῃ, διαβολὴν αὐτῷ τοῦτο καὶ ἐπὶ τὰ ἄλλα πάντα οἴσει. *Imperator, quoties vacabat a bellis, jus dicebat. In causis autem diligenter cognoscendis atq; examinandis paulo longior erat, ut undecunque jus investigaret. Nam de eadem causa dies undecim, & sæpe duodecim, aliquando etiam noctu, cognovit. Cum enim esset amans laboris, tum vero diligenter applicabat animum ad omnia quæ ad Principatum pertinerent. Nihil dicere solebat, nihil scribere aut facere negligenter, sed vel in minimis rebus diem sæpenumero consumere; quod existimaret, non decere Imperatorem propere quidquam agere. Si quid enim prætermisisset vel in minimis rebus, non putabat se posse in ceteris calumniam effugere.*

II. Hunc M. Antoninum quintum Ecclesiæ persecutorem numeramus cum Sulpitio Severo lib. II Historiæ Ecclesiasticæ. Aliter tamen videtur Eusebio, Orosio, Hieronymo, quartam sub eo persecutionem qui collocant, veluti jam supra cap. IV, 2. monuimus. Interim si recte rem expendas, facile apparet, eos a nobis & Sulpitio non magnopere dissentire, cum unam forte persecutionem putent, quæ a diversis agitata, numquam plane cessavit. Certe ita sensisse Hieronymum, prorsus mihi persvadeo. Is enim cum sub Hadriano perse-

Persecutio sub M. Antonino an quinta, num vero quarta fuerit.

cutionem graviſſimam agnoſcat epiſt. LXXXIV, quæ utique non niſi quarta eſſe poteſt ; nihilominus quartam perſecutionem ſub Marco Antonino Eccleſiam turbaſſe tradit libr. de Script. Eccl. cap. XVII, in Polycarpo. Quod autem Marcus omnino etiam Chriſtianos vexaverit, præter laudatorum ſcriptorum teſtimonia (quibus addeſis locum Theodoriti, quem ſupra cap. IV, 17. dedimus) ſatis edocent, tum illuſtria variorum ſub eo conſummata martyria, de quibus deinceps dicemus ; tum Apologiæ a celeberrimis Eccleſiæ Doctoribus eidem oblatæ. Ut enim de Juſtini Martyris Apologetico, quem huic Imperatori oblatum eſſe Euſebius teſtatur lib. IV Hiſtor. Eccl. cap. XVI & XIIX, nihil dicamus (cum adhuc inter eruditos disqviratur, utrum Marco Antonino Philoſopho, num Antonino Pio liber iſte nuncupatus ſit : ceu patet ex Henr. Valeſii Annotationibus in Euſebii lib. IV, cap. XVII) decertavit ſane pro Eccleſia hoc tempore Apollinarius, Hieropolitanus Epiſcopus, dum Imperatori *inſigne volumen pro fide Chriſtianorum dedit*, ceu loquitur Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. XXV. cum quo confer Euſebium lib. IV Hiſt. Eccl. cap. XXVI. uti Athenagoras etiam Athenienſis, Philoſophus Chriſtianus, ſuam Apologiam vel legationem pro Chriſtianis hac tempeſtate publicavit, M. Aurelio Antonino & Lucio Aurelio Commodo inſcriptam ; Melito denique Sardianus in Aſia Epiſcopus, peculiari Apologetico eandem tunc cauſam egit, ut annotat Hieronymus libr. de Script. Eccl. cap. XXIV, Euſebius in Chronico, ad ann. Marci X, & lib. IV Hiſt. Eccl. cap. XXIII, XVI. ubi etiam ſequentia ex dicto libro decerpta recitat: τὰ δὲ πώποτε γενόμενα, νῦν διώκε-

ται

ται τὸ τῶν θεοσεβῶν γένος, καινοῖς ἐλαυνόμενον δόγμασι κατὰ τὴν Ἀσίαν. οἱ γὰρ ἀναιδεῖς συκοφάνται, καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρασταὶ, τὴν ἐκ τῶν διαταγμάτων ἔχοντες ἀφορμὴν, φανερῶς λῃστεύουσι, νύκτωρ καὶ μεθημέρας διαρπάζοντες τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας. *Quod numquam antea factum fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores, & alienarum opum cupidi, ex Imperialibus edictis occasionem nacti, palam die noctuque grassantur, spoliantque homines innoxios.* item: εἰ μὲν σοὶ κελεύσαντος ταῦτα πράττεται, ἔστω καλῶς γινόμενον. δίκαιος γὰρ βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀδίκως βουλεύσαιτο ποτε· καὶ ἡμεῖς ἡδέως φέρομεν τὸν τοιοῦτον θάνατον τοῦ γέρως. ταύτην δέ σοι μόνην προσφέρομεν δέησιν, ἵνα αὐτοὺς πρότερον ὑπαγοὺς τοὺς τὴν ἑαυτῶν φιλονεικίας ἐργάτας, δικαίως κρίνοις, εἰ ἄξιοι θανάτου καὶ τιμωρίας, ἢ σωτηρίας καὶ ἡσυχίας εἰσίν. εἰ δὲ καὶ τοῦτό σοι μὴ ἔστιν ἡ βουλὴ αὕτη, καὶ τὸ καινὸν τοῦτο διάταγμα, ὃ μὴ δὲ κατὰ βαρβάρων πρέπει πολεμίων, πολὺ μᾶλλον δεόμεθά σου, μὴ προϊδεῖν ἡμᾶς ἐν τοιαύτῃ δημώδει λεηλασίᾳ. *Quod si haec tuo jussu fiunt, recte atque ordine facta sunto. Neque enim fieri potest, ut justus Princeps aliquid unquam injuste constituat: & nos libenti animo ejusmodi mortis praemium ferimus. Unum illud a te petimus, ut, cum hujusmodi pertinacia perditos homines per te ipse prius examinaveris, tum deinde pro tua aequitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi & securi degere mereantur. Sin vero illud consilium, atque edictum plane inauditum, quod neque adversus barbaros hostes sanciri decuerat, numquam a te profectum est, obsecramus te multo magis, ne nos hujusmodi publico latrocinio diutius vexari permittas.*

Persecutio sub M. Antonino non solo populi impetu est agitata.

III. Ubi notetur, quod Melito diserte mentionem faciat *novorum edictorum*, quæ M. Antonini ætate adversus Christianos promulgata sint. Discimus nimirum hinc, errare illos, qui non ex edicto aliquo, sed solo tumultu & concitatione populari persecutionem sub hoc Imperatore agitatam contendunt. Et sane Orosius quoque lib. VII, cap. XV, De Marco agens, expresse scribit, quod persecutiones Christianorum graves *præcepto ejus* extiterint. Similiter Acta martyrum Ecclesiarum Viennensis ac Lugdunensis, Eusebio lib. V Hist. Eccl. cap. I, recitata, clare docent, ipsum Imperatorem, consultum a Præside Galliarum, quid de Attalo, aliisque, quos in carcere detinebat, Christianis ageret, rescripsisse, ut, qui CHRISTUM fuerint confessi, durissime torquerentur; qui vero negaverint, liberi dimitterentur. Unde satis apparet, non inscio ac invito Imperatore Ecclesiam tunc fuisse vexatam. Neque his obstare censendus est Tertulliani locus Apologet. cap. V: *Quales leges istæ, quas adversus nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quamquam Judæorum debellator; nullus Pius, nullus Verus impressit.* Per *Verum* enim Lucius heic intelligitur, non Marcus, ut qui numquam *Verus* dicitur, ceu observat Scaliger ad Eusebium, n. MMCLXXVII. Nisi forte in memorato illo textu pro *Verus* legere velis cum Pamelio *Severus*. Quam tamen emendationem plerique omnes rejiciunt. Et cum persecutio sub Severo excitata, Tertulliano, ut

Locus Tertulliani expensus.

suum

ſuum Apologeticum ſcriberet, anſam dederit, quomodo referre ipſum in eorum numerum potuit, qui nihil adverſus Eccleſiam ſint moliti? Quod autem Baronius heic ait, Euſebium, ubi Tertulliani verba iſta refert lib. v Hiſtor. Eccl. cap. v, *Verum* legere, non *Severum*; id cujus exemplaris auctoritate fretus faciat, divinare haud poſſumus: ſiquidem & Roberti Stephani & Henrici Valeſii editio Septimii locum, de quo agimus, ita exhibet, ut nulla Veri ibi fiat mentio. Verba ſcilicet hæc ſunt: Ποταποὶ οἱ νόμοι ἔτοι οἱ καθ' ἡμῶν μόνων ἔπνυται ἀσεβεῖς, ἄδικοι, ἀμοί; ὃς ἔτε Ὀυεσπασιανὸς ἐφύλαξε, καίτοι γε Ἰουδαίους νικήσας· ὃς Τραϊανὸς οὐκ μέρος ἐξεθένησε, κωλύων ζητεῖσθαι χριστιανούς· ὃς ἔτε Ἀδριανὸς, κοίτοι γε πάντα τὰ περίεργα πολυπραγμονῶν, ἔτε ὁ εὐσεβὴς Ἀντωνεῖνος ἐπεκύρωσεν. Nec turbare heic quemquam debet, quod in textu Valeſianæ editionis Latino nomen *Verus* habetur. Non enim Græca ibi vertit, ſed ipſa verba Tertulliani originalia, prout in opere ejus leguntur, (qui mos illi perpetuus in hac translatione) auctor exhibet. Verum hæc obiter. Ad ſuperiora redeamus.

Polycarpi martyrium.

IV. Abſorpſit perſecutio, de qua nunc agimus, inter ceteros, POLYCARPUM, Smyrnæorum Epiſcopum. De quo Irenæus, libro III, cap. III: *Polycarpus, non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis eccleſia conſtitutus Epiſcopus; quem & nos vidimus in prima noſtra ætate: multum enim perſeveraverat, & valde ſenex glorioſiſſime & nobiliſſime martyrium faciens exivit de hac vita.* Quod quidem ipſius martyrium accurate deſcripſit Eccleſia Smyrnenſis,

sis, epistola peculiari ad Philomelienses, quam maximam partem Eusebius Histor. Eccles. lib. IV, cap. XV, exhibet, integram vero edidit Jacobus Usserius, celeberrimus ille Præsul Armachanus.

v. Res ita habet. Cum Smyrnæ, in Ionia Asiæ minoris, acriter adversus Christiani nominis professores sæviretur, etiam Polycarpus ad mortem quæsitus est. Qui primo, familiarium precibus victus, in villam non longe ab urbe distantem secessit, ibique cum paucis amicis commoratus, dies noctesque preces pro tranquillitate Ecclesiæ, ut consueverat, Deo obtulit. Triduo antequam prehenderetur, somno sepultus cervical flamma accensum derepente consumi vidit. Quod insomnium suum expergefactus iis qui una aderant exposuit, addens interpretationem, qua, igni se pro fide Christiana absumptum iri, prædicebat. Quia vero omni cura ac diligentia investigabatur, in aliam villam, iterum amore fratrum compulsus, se contulit. quo quidem non longo tempore post, qui illum insequebantur, recta pervenerunt, & pueri cujusdam indicio ad Polycarpi diversorium accesserunt. Qui licet illinc, de hostium adventu factus certior, in aliam domum secedere potuisset, noluit tamen, sed dixit: *Fiat voluntas Domini!* Mox adventantes comiter excepit, mensam iis actutum apponi jussit, utque cibum caperent, hortatus est: sibi vero unicam horam, qua preces ad Deum funderet, postulavit. Qua concessa, surrexit, & gratia Domini plenus, adeo ardenter precatus est, ut, qui orantem audiebant, obstupescerent, multique eorum, venerabilem adeo tamque eximia & divina virtute præ-

conf. c. 8, 9.

2 Regg. 6, 22.

præditum senem violenta morte e medio tollendum, vehementer dolerent. Quando orandi finem fecerat, totamque per universum orbem dispersam Ecclesiam precibus Deo commendaverat, satellites eum asino impositum urbem versus duxerunt. Ubi obviam ei procedentes Herodes Irenarcha, (horum munus erat, seditiosos homines pacisque publicæ turbatores comprehendere, & ad Judicum tribunalia pertrahere. vide Augustinum epist. CXL & CLIX.) paterque ejus Nicetes, assumpto ad se in vehiculum persvadere conati sunt, ut offerret sacrificia, & sic mortem evaderet, τὶ κακὸν ἔστιν, inquientes, εἰπεῖν· κύριε καῖσαρ, καὶ θῦσαι, καὶ σώζεσθαι; *Quidnam mali est, dicere: Domine Cæsar, & sacrificare, atque ita incolumem evadere?* Cum vero frustra laborassent, Polycarpo in fide persistente immoto, non tantum probris eum insectati sunt, sed de curru etiam præcipitem dederunt, ut tibiam graviter læderet. Ille nihilominus satis incitato gradu recta Smyrnam profectus est. Ibi vero dum stadium ingrederetur, vox cœlitus delapsa & a multis audita est hujusmodi: ἴσχυε, Πολύκαρπε, καὶ ἀνδρίζου. *Fortis esto, Polycarpe, & viriliter age!* Deductus ad Proconsulem, ab eoque, num Polycarpus esset, interrogatus, esse se, respondit. Tum Proconsul, αἰδέσθητί σου τὴν ἡλικίαν, inquit, ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, μετανόησον. εἶπον· ἆρε τὸς ἀθέους. *Reverere ætatem tuam.— Jura per genium Cæsaris. Respisce. Dic: Tolle Impios!* At Polycarpus, gravi constantique vultu universam, quæ in stadio erat, multitudinem intuens, & manus versus eam tendens, moxque ingemiscens, & oculos in cœlum attollens, dixit: ἆρε τὸς ἀθέους. *Tolle istos impios.* Ubi in-

Irenarchæ qui fuerint.

stabat Proconsul, dimissionem pollicitus, si juraret, Christoque convicium faceret, respondit: ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησε· καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου, τὸν σώσαντά με; *Sex & octoginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me umquam affecit injuria: & quomodo possum impie loqui adversus Regem meum auctoremque salutis meæ?* Urgente rursus Proconsule, ac dicente: ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, *Jura per genium Cæsaris*; Polycarpus, εἰ, ait, κενοδοξεῖς φησὶν ἵνα ὀμόσω τὴν Καίσαρος τύχην, ὡς λέγεις προσποιοῦμαι ἀγνοεῖν ὅς τις εἰμὶ, μὺ παῤῥησίας ἄκουε· χριστιανός εἰμι. εἰ δὲ θέλεις τὸν τοῦ χριστιανισμοῦ μαθεῖν λόγον, δὸς ἡμέραν, κὴ ἄκουσον. *Siquidem ambitiose contendis, ut ego per genium, quem vocas, Cæsaris jurem, simulans te ignorare quis sim, audi libere profitentem: Christianus sum. Quod si Christiani cultus rationem cupis agnoscere, da mihi diei spatium, & audies.* Tum Proconsul, πεῖσον, inquit, τὸν δῆμον. *Persuade populo.* & Polycarpus: σὲ μὲν καὶ λόγου ἠξίωσα. δεδιδάγμεθα γὰρ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναις, τιμὴν κὺ τὸ πρόσηκον τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς ἀπονέμειν· ἐκείνοις δὲ οὐκ ἀξίους ἡγοῦμαι τοῦ ἀπολογεῖσθαι αὐτοῖς. *Tibi quidem rationem reddere non me piget. Præceptum enim nobis est, ut magistratibus & potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipsis nihil noceat. Illos vero parum dignos censeo quibus fidei nostræ rationem reddam.* Proconsul: θηρία ἔχω· τούτοις σε ῥιπτιβαλῶ, ἐὰν μὴ μετανοήσας. *Præsto sunt bestiæ: quibus te objecturus sum, nisi sententiam mutaveris.* Polycarpus: κάλει. ἀμετάθετος γὰρ ἡμῖν ἡ ἀπὸ τῶν χειρόνων ἐπὶ τὰ χείρω μετάνοια. *Accerse eas. Neque enim nobis a melioribus ad deteriora*

mutabi-

mutabilis mens est. Proconsul: πυρί σε ποιήσω δαμασθῆναι, ἐὰν τῶν θηρίων καταφρονῇς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς. *Quando bestias spernis, faxo ut incendio domeris, nisi sententiam mutes.* Polycarpus: πῦρ ἀπειλεῖς τὸν πρὸς ὥραν καιόμενον, καὶ μετὰ λίγον σβεννύμενον. ἀγνοεῖς γὰρ τὸ τῆς μελλούσης κρίσεως καὶ αἰωνίου κολάσεως τοῖς ἀσεβέσι τηρούμενον πῦρ. ἀλλὰ τί βραδύνεις; φέρε ἃ βούλει. *Ignem minaris qui ad horae spatium ardet, statimque exstingvitur. Ignoras scilicet illum futuri judicii aeternaque damnationis ignem, qui impiorum supplicio reservatur. Sed quid cessas? profer quodcumque volueris.* Hæcque & similia complura tanta animi præsentia locutus est vir sanctus, ut ipse Proconsul obstupesceret. Qui mox per Præconem in medio stadio ter proclamari jussit: Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν χριστιανὸν εἶναι. *Polycarpus se Christianum esse professus est.* Qua Præconis voce audita, universa tum Ethnicorum tum Judæorum qui Smyrnam incolebant multitudo magno animi impetu altaque voce clamavit: ὗτός ἐστιν ὁ τῆς Ἀσίας (ἀσεβείας legit editio Usseriana) διδάσκαλος· ὁ πατὴρ τῶν χριστιανῶν· ὁ τῶν ἡμετέρων θεῶν καθαιρέτης· ὁ πολλοὺς διδάσκων μὴ θύειν μὴ δὲ προσκυνεῖν. *Hic est Doctor Asiae (impietatis) & pater Christianorum; eversor numinum nostrorum: qui multis praecipit ne sacrificent, neve deos immortales adorent!* moxque Philippum Asiarcham rogarunt, ut leonem, a quo Polycarpus discerperetur, emitteret. Quod ubi is integrum sibi esse negabat, quippe qui amphitheatrale spectaculum jam edidisset, petierunt ut Polycarpus vivus cremaretur. Atque ita dicto citius (Judæis præsertim, more suo, omnem heic lapidem moventibus) rogus ex congestis undique lignis & sarmentis ex-

ſtructus eſt. Tunc Polycarpus cingulum ſolvit, veſtes depoſuit, calceos exuit: moxque inſtrumenta, quibus in rogo firmus teneretur, corpori illius fuerunt injecta. Ubi vero clavis inſuper affigere eum vellent, ἄφετέ με ἕτως, dixit. ὁ γὰρ διδοὺς ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας, ἀσκύλτως ὑπομεῖναι τὴν πυράν. *Sinite me. Qui enim mihi vires dat adignis ſupplicium fortiter ſuſtinendum, idem dabit ut immotus rogo inſiſtam.* Itaque vinculis dumtaxat ipſum adſtrinxerunt. Quibus ligatus, precari hunc in modum cœpit: ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ πατὴρ, δι' οὗ τὴν σοὶ περὶ ἡμῶν εἰλήφαμεν, ὁ Θεὸς ἀγγέλων, καὶ δυνάμεων, καὶ πάσης τῆς κτίσεως, παντός τε τοῦ γένους τῶν δικαίων οἱ ζῶσιν ἐνώπιόν σου, εὐλογῶ σε, ὅτι ἠξίωσάς με τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας ταύτης, τοῦ λαβεῖν μέρος ἐν ἀριθμῷ τῶν μαρτύρων, ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ, εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου ψυχῆς τε καὶ σώματος, ἐν ἀφθαρσίᾳ πνεύματος ἁγίου. ἐν οἷς προσδεχθείην ἐνώπιόν σου σήμερον ἐν θυσίᾳ πίονι καὶ προσδεκτῇ, καθὼς προητοίμασας προεφανέρωσας καὶ πεπλήρωσας ὁ ἀψευδὴς καὶ ἀληθινὸς Θεός. Διατοῦτο καὶ περὶ πάντων σε αἰνῶ, σε εὐλογῶ, σε δοξάζω, διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀγαπητοῦ σου παιδός· δι' οὗ σοὶ σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας. ἀμήν. *Pater unigeniti & benedicti filii tui Jeſu Chriſti, per quem tui notiam accepimus; Deus Angelorum, & poteſtatum, & univerſæ creaturæ, omniumque juſtorum, qui vivunt in conſpectu tuo: benedico te, qui me in hunc diem & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in conſortio martyrum, & in calice Chriſti tui, in reſurrectionem vitæ æternæ animæ ſimul & corporis, in incorruptione Spiritus*

tus sancti. Inter quos, quaeso, suscipiar hodie in conspectu tuo tamquam hostia pingvis & accepta, quemadmodum praparasti, adimplens ea quæ pramonstrasti verax Deus. Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per sempiternum Pontificem JesumChristum, unigenitum filium tuum: per quem tibi, una cum ipso in Spiritu sancto, gloria nunc & in secula seculorum. Amen.

Quibus finitis precibus, carnifices rogum incenderunt. Sed, ecce, ingens miraculum! Ignis postquam in flammam erupit, instar fornicis, & tamquam velum navigii ventorum flatibus turgescens, corpus martyris undique obvallavit. Ille in medio constitit, non carni exustæ, sed auro aut argento in camino ignito similis. Quin odorem adeo fragrantem inde hauserunt circumstantes, acsi a thure halante aut alio quodam pretioso aromate is spargeretur. Cum itaque viderent impii, corpus Polycarpi ab igne nullatenus consumi posse, carnifici mandarunt, ut, propius ad rogum accedens, ferro martyrem transfoderet. Quo facto tanta cruoris copia effluxit, ut ignem prorsus extingueret. Hæc ex supra memorata Ecclesiæ Smyrnææ epistola encyclica de Polycarpi martyrio. *Quorum lectione piorum animus ita afficitur, ut numquam satur inde recedat. Quod quidem ita esse, unusquisque pro captu suo & conscientiæ modo sentire potest. Certe ego nihil umquam in historia Ecclesiastica vidi, a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar;* merito dicimus cum Scaligero Animadv. Euseb. num. MMCLXXXIII.

VI. Quoniam vero tam illustris est hæc martyrologia, non possumus quin unum alterumque circa illam *Notarii Veterum.*

moneamus ante quam ad alia progrediamur. Et initio quidem mirari quis possit, beatorum Martyrum sermones precesque sic satis interdum prolixas adeo accurate in acta potuisse referri. Fecit vero id incredibilis Notariorum, ad talia consignanda ordinatorum, inscribendo celeritas. De qua Martialis lib. XIV, epigr. CCIIX:

Currant verba licet, manus est velocior illis.
Non dum lingua suum, dextra peregit opus.

& Ausonius, epigr. CXXXVII, 20. Notarium suum affatus:

Quam præpetis dextræ fuga
tu me loquentem prævenis!
Quis, quæso, quis me prodidit?
quis ista jam dixit tibi,
quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
veniat in aures ut tuas
quod lingua nondum absolverit?

Scilicet utebantur in scribendo certis notis (unde etiam *Notarii* dicti. Vide Augustinum libr. II de Doctrina Christiana, cap. XXVI.) quibus non tam singulas voces, quam integras exprimebant sententias. uti inter alia liquet ex his Manilii, lib. IV, 14.

—— *Scriptor erit velox, cui litera verbum est,*
quique notis linguam superet, cursimque loquentis
excipiat longas nova per compendia voces.

istis item Prudentii, hymno ΠΕΡΙ ΣΤΦ. XII, 21. de Cassiano:

Præfuerat studiis puerilibus, &, grege multo
septus, magister literarum sederat,

Verba

Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
raptimque punctis dicta præpetibus sequi.

& vers. 35.

— *Agmen tenerum ac puerile gubernat,*
fictis notare verba signis imbuens.

sicut eodem pertinet etiam quod Hieronymus habet; epist. xxxiv, ad Julianum: Ausonius, *apposito Notario, cogebat loqui, quæ velociter edita velox consequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent signa verborum.* Hujusmodi ergo Notariis in prisca Ecclesia negotium dabatur, ut gesta martyrum scriberent, &, quoad fieri poterat, singula eorum verba, quæ loquebantur, dum caperentur, torquerentur, ad supplicium raperentur, fideliter annotarent. Quod quidem institutum Clementi, Romanorum Episcopo, Anastasius Bibliothecarius tribuit; ut qui *septem urbis regiones diviserit Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum solicite & curiose, unusquisque per regionem suam, diligenter perquirerent.* Nec desunt hodie etiamnum qui artem ejusmodi tachygraphicam calleant: de qua peculiare scriptum Johannes Willisius Anglus edidit.

VII. Deinde observetur, furore in Christianos accensam Gentilium multitudinem ingenti strepitu exclamasse: *Polycarpus requiratur!* & rursum: *Hic est doctor Asiæ, ac pater Christianorum, qui multis præcipit ne sacrificent.* Mos nimirum erat Ethnicis, ubi persecutionem adversus Ecclesiam molirentur, primum impetum in Antistites facere: ut, sublatis Pastoribus, ovium animas eo minori labore perderent. Ita Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium lib. VII, cap. XI, de Christianismo loquen,

Persecutores Ethnici præceteris in Episcopos faciebant impetum Ecclesiæq; Doctores.

loquens, τότε, inquit, προσέπεσε, (ὁ Αἰμιλιανὸς) πεπαύθαι εἰ μεθαλοίμην ἔγωγε, καὶ τὰς ἄλλας ἔψεσθαί μοι νομίζων. *Ab eo cultu desistere me jubebat* Æmilianus, Judex Gentilis; *ratus scilicet, si ego inde desciviſſem, ceteros exemplum meum ſecuturos.* & Prudentius, in Hyppolito, ſive hymn. περὶ στεφ. IV, 77. ait:

—Celſum ſubito ante tribunal
offertur ſenior, nexibus implicitus.
Stipati circum Juvenes clamore ferebant:
Ipſum Chriſticolis eſſe caput populis.
Si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
pectora Romanis ſponte ſacranda Diis.

Similiter B. Cyprianus, epiſt. LV, ubi æſtuante perſecutione toties clamore popularium ad leonem in circo ſe poſtulatum dixiſſet, *Ille*, ſubjungit mox, *qui* CHRISTI *adverſarius, & Eccleſiæ ejus inimicus, ad hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, ut gubernatore ſublato, atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur.* Qvibus plane gemina Chryſoſtomi hæc, homil. XLII, in S. Ignatium: ὁ διάβολος κακῶς ὢν, καὶ δεινὸς τὰς τοιαύτας ῥάπτειν ἐπιβουλὰς προσεδόκησεν, ὅτι τοὺς ποιμένας ἐὰν ἀφέλῃ, τὰ πρόβατα ῥᾳδίως διασπάσαι δυνήσεται. *Verſutus Diabolus, & ad ſtruendas aptus inſidias, exiſtimabat, ſi Paſtores ſuſtuliſſet, ovilia ſe facile direpturum.* Junge quæ habet Cyprianus epiſt. LXXXI, Euſebius lib. IIX, cap. II, III. VI, Append. cap. II, quæque nos infra cap. VII, 2, IX, 16.

Gentiles blandioribus verbis ad

IIX. Porro notetur, quantopere id egerint Herodes, Nicetes, Aſiæque Proconſul, ut omi perſvaſione ad

ad ἀποστασίαν Polycarpum allicerent. Hic videlicet mos erat Gentilium, ante quam ad violenta iretur media, dulcioribus verbis Confessorum animos tentare. Quam in rem Tertullianus in Scorpiaco cap. XI: *Ipsi Præsides, cum cohortantur negationi, Serva animam tuam, dicunt; & : Noli animam tuam perdere!* Ita de Datiano, S. Vincentium ad abnegandum CHRISTUM invitante, Prudentius hymn. 11, 17.

— Verba primum mollia
suadendo blande effuderat
captator: ut vitulum lupus
rapturus adludit prius.

Et quemadmodum heic Proconsul Polycarpum senem, sic idem paulo ante, ceu in Actis habetur, Germanicum Juvenem, ut ætati parceret, humaniter hortabatur: uti etiam in Appendice libri IIX Eusebianæ Historiæ cap. X, Præses confessorem Apselamum identidem orasse scribitur, ὡς αὖ ἐλεήσειέ τε αὐτὸν καὶ τῆς ἰδίας φείσαιτο νεότητός τε καὶ ἀκμῆς, *ut sui ipsius misereri vellet, suæque ætati & adolescentiæ consulere*; eodemque Eusebio teste, lib. IIX, cap. IX, Philoromo ac Phileæ passuris, ut uxorum liberorumque haberent rationem, suggestum fuit. Quemadmodum porro heic Herodes & Nicetes Polycarpo persvadere volunt, exigui rem esse momenti, offerre Cæsari sacrificia, si vitæ hoc pacto consulere liceat: sic apud Prudentium, hymn. IX, 114. ubi profanus Judex varia tormentorum genera, si in confessione CHRISTI perstaret, his verbis Eulaliæ esset minatus:

Ecce parata ministeria
excruciabilis exitii:

Aut gladio feriere caput,
aut laniabere membra feris?
aut facibus data fumificis,
flebiliterque ululanda tuis,
in cineres resoluta flues;

subjungit:

Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis
turis & exiguum digitis
tangere, Virgo benigna, velis,
pœna gravis procul abfuerit.

Atque isthanc cum Christianis agendi rationem Dæmonum suggestioni tribuit Tertullianus Apolog. cap. XXVII: *Agnoscimus*, inquiens, *unde talia suggerantur, quis totum hoc agitet; & quomodo nunc astutia svadendi, nunc duritia saviendi, ad constantiam nostram dejiciendam operetur. Ille scilicet spiritus dæmoniacæ & Angelicæ paraturæ, qui noster ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris apud nos præliatur occulta inspiratione.* Plura huc facientia damus commentar. in epistolam Plinii de Christianis, ad verba: *Confitentes iterum ac tertio interrogavi*, & sequentia.

Cur Polycarpus Imperatorem noluerit appellare Dominum.

IX. Observa amplius, quod Smyrnæi commemorent, Irenarcham Herodem hujusque patrem Nicetam Polycarpo persvadere nequivisse, ut diceret: DOMINE CÆSAR. Mirum scilicet alicui videri possit, quod vir sanctus Imperatorem Dominum appellare tam constanter detrectaverit, & suspicio oriri inde, quasi veteres Christiani Cæsares pro summo suo magistratu habere noluerint. Ubi vero advertendum, nomen *Domini* heic

Dominus interdum

pro

pro *Deo* accipi, adeoque non *more communi*, ut Tertullianus Apolog. cap. XXXIV loquitur. Sed dabimus ipsa ejus verba. *Augustus*, ait, *imperii formator, ne Dominum quidem dici se volebat. & hoc enim DEI est cognomen. Dicam plane Imperatorem Dominum; sed more communi, sed quando non cogor, ut Dominum DEI vice dicam. Ceterum liber sum illi. Dominus enim meus unus est Deus, omnipotens & æternus, idem qui & ipsius. Qui Pater patriæ est, quomodo Dominus est? Sed & gratius est nomen pietatis, quam potestatis: etiam familiæ magis Patres quam Domini vocantur. Tanto abest, ut Imperator Deus debeat dici, quod non potest credi, non modo turpissima, sed & perniciosa adulatione. Tamquam si habens Imperatorem, alterum appelles, nonne maximam & inexorabilem offensam contrahes ejus quem habuisti, etiam ipsi timendam quem appellasti? Esto religiosus in Deum, qui vis illum propitium Imperatori. Desine alium Deum credere, atque ita & hunc Deum dicere, cui Deo opus est. Si non de mendacio erubescit adulatio, ejusmodi hominem Deum appellans, timeat saltem de infausto. Maledictum est, ante apotheosin Deum Cæsarem nuncupare.* *idem qui Deus.*

x. Ubi de Augusto quod habet Tertullianus, ex Svetonio notum est, in ejus vita, cap. LIII, scribente: *Domini appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit* Augustus. *Cum, spectante eo ludos, pronunciatum esset in mimo: O Dominum æqvum & bonum! & universi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent; & statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimo corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari, ne a liberis quidem aut nepotibus suis,* *Augustus Domini appellationem exhorruit;*

vel serio vel joco, passus est : atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Laudatque hanc Augusti modestiam Philo Judæus lib. de legatione ad Cajum, Ἐμὴ, inquiens, τοῖς ὑπερόγκοις τιμαῖς δεδηναι καὶ φυσηθῆναί ποτε πίστις ἐναργεστάτη, τὸ μὴ δεσπότην μήτε θεὸν ἑαυτὸν ἐθελῆσαι προσειπεῖν, ἀλλὰ κἂν εἰ λέγοιτό τις, δυσχεραίνειν, καὶ τὸ τὰς ἰδιώτας ἀποδέχεσθαι, ὃς ἀκριβῶς ἤδει πάντα ἀφοσιωθήσας τὰ τοιαῦτα. *Ipsum numquam inflatum obsequiis, hinc certo colligitur, quod numquam sustinuit se appellari Deum vel Dominum, aversatus hanc adulationem, nec dissimulans, probari sibi Judæos, qui abominarentur talia.* Sed & Augustum imitatus in eo Tiberius, notante in hujus vita Svetonio cap. xxvii, *Dominus appellatus a quodam, denunciavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret.* Alexander item Severus, teste in ejus vita Lampridio cap. iv, *Dominum se appellari vetuit.* Quo spectant & illa Statii, i Sylv. vi, 80.

Et Tiberius.

Tollunt innumeras ad astra voces,
Saturnalia Principis sonantes,
& dulci Dominum *favore clamant.*
Hoc solum vetuit licere Cæsar.

Fos Dominus olim notabat Tyrannum.

xi. Subfuit autem (ut obiter id adjiciamus) præter allatam supra ex Tertulliano, causa etiam alia, cur *Domini* appellationem Principes refugerent: puta, quod Tyranni olim voce ea notarentur. Ita de Pœnorum sociis Justinus lib. xxii cap. iii scribit, quod Hamilcarem *ut Dominum & Tyrannum arguerint.* idemque lib. v, cap. x, Thrasybulum, illum Tyrannorum Athenien sium domitorem, exclamasse refert, *triginta se Dominis, non civitati, bellum inferre.* Atque hinc δεσποτικῶς ἄρχειν apud veteres

veteres idem est quod τυραννικῶς ἄρχειν, ut sæpe apud Platonem & Aristotelem. qui etiam lib. III Politic. cap. IIX, tyrannidem definit μοναρχίαν δεσποτικήν. hinc etiam τὸ νομίμως ἄρχειν, quod est, βασιλικῶς ἄρχειν, τῷ δεσποτικῶς ἄρχειν opponit Polybius lib. II, ubi de Achæis: quos usque ad Gygem Regio principatui subjectos fuisse, ac liberorum ejus dominationem, eo quod herilius potius quam legitime eam gererent, pertæsos, Democratiam constituisse ait. Neque vero solam vocem δεσποτείας apud Græcos; sed *dominationem* etiam Latinis quandoque pro aspera illa ac tyrannica imperandi ratione usurpatam fuisse, ex Tacito liquet, qui Annal. XII refert, Claudium Meherdati, ubi Parthorum Rex futurus erat, præcepisse, *ut non dominationem & servos, sed Rectorem & cives cogitaret, clementiamque ac justitiam, quanto ignara barbaris, tanto tolerantiora capesseret.* Sicut XV Annalium scribit, Neronem, ad *vim dominationis* conversum, Vestinum mori jussisse.

XII. Sed & illud observatu dignum, quod scribit, loco supra expresso, Tertullianus, appellari omnino Dominum posse Cæsarem, modo non Dominus Dei vice dicatur. Inde videlicet intelligimus, non eadem ratione nomen hoc Imperatoribus negasse Christianos, qua negabunt Judæi illi, qui de Judæ Gaulanitæ erant secta. De his ita Josephus Antiquit. lib. XIIX, cap. II: Δυσκίνητοι δὲ ἐλευθέρας ἕρως ἐστὶν αὐτοῖς, μόνον ἡγεμόνα καὶ δεσπότην τὸν Θεὸν ὑπειληφόσι. θανάτων τε ἰδέας ὑπομένειν παρηλλαγμένας ἐν ὀλίγῳ τίθενται καὶ συγγενῶν τιμωρίας, καὶ φίλων ὑπὲρ τῶν μηδένα ἄνθρωπον προσαγορεύειν δεσπότην. *Constantissimo libertatis amore flagrant, credentes solum Deum Dominum*

Aliter Christiani detrectabant Cæsarem Dominum dicere, quam Judæi.

num habendum & Principem; facilius vel exquisitissima pœnarum genera laturi una cum cognatis suis ac carissimis, quam mortalem aliquem appellaturi Dominum. quemadmodum & libro VII Bell. Jud. cap. XXXVII, de Judæis qui in Ægyptum effugerant scribit: πάσης ἐπ' αὐτὰς βασάνου καὶ λύμης τῶν σωμάτων ἀπενοηθείσης, ἐφ' ἓν τοῦτο μόνον, ὅπως αὐτῶν Καίσαρα δεσπότην ὁμολογήσωσιν, οὐδεὶς ὑπέδωκεν, οὐδ' ἐμέλλησεν εἰπεῖν, ἀλλὰ πάντες ὑπερτέραν τῆς ἀνάγκης τὴν αὐτῶν γνώμην διεφύλαξαν, ὥσπερ ἀναισθήτοις σώμασι χαιρόσῃ μονονοὺ τῇ ψυχῇ τὰς βασάνους καὶ τὸ πῦρ δεχόμενοι. μάλιστα δ' ἡ τῶν παίδων ἡλικία τὸν θεωμένους ἐξέπληξεν. οὐδὲ γὰρ ἐκείνων τις ἐξενικήθη Καίσαρα δεσπότην ἐξονομάσαι τοσοῦτον ἦρα τῆς τῶν σωμάτων ἀσθενείας, ἢ τῆς τόλμης ἰσχὺς ἐπεκράτει. *Omni genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata, ob hoc solummodo, ut Cæsarem Dominum faterentur, nemo cessit, neque dicere velle visus est, sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conservare; tamquam brutis corporibus, non animis etiam, cruciatus ignemque susciperent. Maxime vero puerorum ætas miraculo spectantium fuit. Nec enim vel eorum quisquam commotus est, ut Dominum Cæsarem nominaret: usque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ superabat.* Sane, debitum magistratui honorem nullo modo negasse Christianos veteres, ipse B. Polycarpus aperte significavit, dum, epistola Smyrnensi teste, Cæsarem Dominum more Ethnico salutare abnuit quidem, sed ita, ut paulo post diserte sit professus: δεδιδάγμεθα γὰρ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναις τιμὴν κατὰ τὸ πρέπον τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς ἀπονέμειν. *Præceptum nobis est, ut magistratibus & potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis*

nobis ipsis nihil noceat. Confer lib. III de Calumniis Paganorum cap. VII.

XIII. Uterius notetur, quod neque induci se passus sit Polycarpus, ut per Cæsaris Fortunam ac Genium juraret. Nempe a praxi ac religione Christiana & istud abhorrebat. Τύχην μέν τοι βασιλέως οὐκ ὄμνυμεν, scribit Origenes contra Celsum lib. IIX, ὡς οὐδ' ἄλλον νομιζόμενον Θεόν. εἴτε γὰρ (ὡς ὠνόμασάν τινες) ἐκφορὰ μόνον ἐστὶν ἡ τύχη (ὁμοίως δοκῶσι καὶ Διαστάσεις *) οὐκ ὄμνυμεν τὸ μηδαμῶς ὂν ὡς Θεὸν, ἢ ὅλως ὑφεστηκὸς καὶ δυνάμενόν τι ποιῆσαι, ἵνα μὴ τὴν ὁμοτικὴν δύναμιν εἰς ἃ μὴ δεῖ παραλαμβάνομεν εἴτε καὶ (ὥς τισν ἔδοξεν, εἰποῦσι τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως· τὸν δαίμονα ὄμνυσιν οἱ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύοντες) δαιμόνων ἐστὶ ἡ ὀνομαζομένη τύχη τοῦ βασιλέως· καὶ οὕτως ἀποθανατέον ἐστὶ μᾶλλον ἡμῖν ὑπὲρ τοῦ μὴ ὀμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα καὶ ἄπιστον, πολλάκις συνεξαμαρτάνοντα ᾧ ἔλαχεν ἀνθρώπῳ, ἢ καὶ πλέον αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα. *Per Fortunam Regis non juramus, sicut nec per alia numina fictitia. Nam sive (ut quidam putant) cursus tantum rerum Fortuna est (ex æquo discrepare videtur) non juramus per id quod nihil est, tamquam per Deum, aut rem aliquam pollentem viribus, ne jurejurando abutamur: sive (ut aliis videtur) qui per Fortunam Regis jurant, jurant per Romani Principis Genium, ut eo nomine unum e dæmonibus intelligamus; sic quoque moriendum est nobis potius, quam jurandum per malum & perfidum dæmonem, peccantem persæpe cum eo quem sortitus est homine, imo quam homo sæpius.* Similiter Tertullianus Apolog. cap. XXXXII, scribit; *Juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis. Nescitis Genios Dæmonas dici, & inde diminutiva*

Per Cæsaris genium cur jurare noluerint Christiani.

* Διαστάσεις.

nutiva voce, Dæmonia? Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse quod Deus voluit, & pro magno adjumento habemus. Ceterum Dæmonas, id est, genios, adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus; non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus. Confer. lib. III de Calumniis Paganorum. cap. VII, 2. 3.

Gentiles Atheï, non Christiani.

XIV. Observetur & hoc, ubi Christianos pronunciare Atheos Polycarpus juberetur, ipsum contra appellatione hac designasse Gentiles: videlicet quod *non impii nos* Christiani, *magis sed illiipsi reperiantur criminis istius rei, qui se Numinum profitentur esse cultores, atque inveteratis religionibus deditos;* uti sub initium sui operis scribit Arnobius. Vide plura eo facientia lib. II de Calumniis Paganorum cap. I.

Christiani jussi βλασφημεῖν

XV. Sed neque illud silentio prætermittendum, quod Christo maledicere debuit Polycarpus. Nempe qui apud infideles testari volebant, se Christianos non esse, eque persecutorum manibus dimitti, Christo convicium facere jubebantur. Ad quod cogi non potuisse qui erant revera Christiani, ex ipsis Ethnicis testatur Plinius lib. X, epist. XCVII. Videatur ibi noster Commentarius.

Martyres tanta alacritate mortem pro Christo oppeterunt, ut etiam supplicii moram moleste ferrent.

XVI. Quod porro Polycarpus Proconsulem, bestias ignemque minantem, sic affatus dicitur: *Quid cessas? profer quodcumque volueris!* ei simile quid in S. Cypriani agone legimus. Nam & is Proconsulem Galerium Maximum, ad ἀποστασίαν ipsum solicitantem, his compellabat verbis: *Fac quod tibi præceptum est: in re tam justa nulla est consultatio.* De Gordio etiam, Cæsarienſi mar-

martyre, ita Basilius M. homil. XIX: ὅς γε τοσοῦτον ἀπεῖχεν εἶξαι τοῖς ἀπειλουμένοις καὶ ὑποπτῆξαι, ὥστε καὶ προεκαλεῖτο ἐφ' ἑαυτὸν τὰ δεινά. τί μέλλετέ; φησι, τί ἑστήκατε; ξαινέσθω σῶμα, στρεβλούσθω μέλη, βασανιζέσθω ὡς ἂν ἐθέλητε. *Tantum abfuit, ut intentatas horreret pœnas, ut eas ultro in se provocaret, supplicii moras vehementer increparet. Quid, inquit, tardatis? quid statis? Corripite corpus; membra frustratim cædantur; denique quodcunque de me supplicium volueritis, sumite.* Sed & B. Vincentius, ubi mortem minaretur profanus Judex, ni Diis immolare vellet, animo respondit imperterrito:

Age ergo, quidquid virium,
quidquid potestatis tibi est,
palam reluctor, exsere!

apud Prudentium hymno περὶ στεφ. II, 54. Sed de Martyrum pro CHRISTO moriendi promptitudine & alacritate plura damus commentar. in epistolam Plinii de Christianis primævis, ad verba: *Pervicaciam certe*, & in Justinum M. pag. 49. 78. 265.

XVII. Porro nec hoc omittendum, quod notat epistola nostra, Proconsulem per Præconem in medio stadio proclamare jussisse, quod Polycarpus Christianum se esset professus. Scilicet moris erat, Præcone causam condemnationis dicente de damnatis pœnas exigi. Hoc modo Turinum Alexander puniebat, ceu paulo post e Lampridio notabitur. Idemque Imperator, ut est iterum apud Lampridium cap. LI, per Præconem, qvum aliquem emendaret, dici jubebat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Severus etiam in Proconsulari Africæ legatione quendam municipum suorum, qui

Condemnationis causa Præconis voce publicata.

eum, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem, ipse plebejus, amplexus erat, fustibus cæcidit, sub hoc Præconis elogio: *Legatum populi Romani homo plebejus temere amplecti noli!* ut Ælius Spartianus cap. II memoriæ prodidit. Gallienum item Trebellius Pollio scribit, cap. XII, cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, surripi quasi ad leonem venditorem jussisse; mox vero e cavea caponem emisisse, mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per Curionem dici jussisse: *Impostura am fecit, & passus est.* Ubi *Curio* Præconem signat; perinde ut Rufinus vocem κήρυκα, quæ habetur apud Eusebium lib. IV Hist. Eccles. cap. XV, *Curionem* vertit. De Valentiniano refert Zonaras Tom. III Annalium, quod, cum Rhodanum Præpositum, a muliere quadam accusatum, eidemque, Imperatoris mandato susque deque habito, satisfacere detrectantem, ignis pœnæ addixisset, illum dignitate exutum prius, & vinctum, ludis Circensibus in theatro circumduci jusserit, præcedentibus Præconibus, qui & in mulierem admissum facinus, & Cæsarei edicti contemptum, publica voce significarent. Dio Cassius, sive Xiphilinus ex Dione, in Didio Juliano scribit, Narcissum, qui Commodum interfecerat, a Severo bestiis fuisse objectum, Præcone clamante: ἕτός ἐστιν ὁ Κόμμοδον ἀποπνίξας. *Hic est qui Commodum suffocavit.* Idem in Severo refert, latronem quendam bestiis fuisse objectum τῷ κηρύγματι, *ad vocem Præconis.* Simili modo Ambrosius, vel quisquis auctor, serm. XC ait, Symphronium Præfectum jussisse Agnem exspoliari, nudamq;

ad

ad lupanar duci, sub voce Præconis dicentis: *Agnem, sacrilegam virginem, Diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam.* Acta Euplii, apud Baronium ad ann. CCCIII, 149. *Appensum est*, inquiunt, *ad collum* Euplii, *Evangelium, cum quo apprehensus fuerat, proclamante hac Præcone: Euplius Christianus, inimicus Deorum & Imperatorum.* Josephus libro de VII fratribus Maccabæis memorat, cum Eleazarus, legem, ad Antiochi mandatum, transgredi nolens, flagellaretur, Præconem exclamasse: πείθητι τοῖς τοῦ βασιλέως ἐντολαῖς. *Subditus esto mandato Regis!* Sozomenus lib. II, cap. IX. refert, cum Usthazades Persa, quod Solem adorare nollet, capitis damnaretur, precibus ipsum a Rege Sabore contendisse, ac impetrasse, ut publica Præconis voce diceretur: ὅτι Οὐσθαζάδης τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, μοχθηρὸς μὲν οὐδαμῶς ἔν τινι ὢν τοῖς βασιλείοις φανείς, χρισιανὸς δ' ὢν ἴδιον θεὸν ἀρνήσασθαι τῷ βασιλεῖ μὴ πεισθόμενος. *Usthazades capite truncatur, nullius quidem flagitii in palatio compertus unquam; sed Christianus, & qui a Rege induci non potuit ut Deum suum negaret.* Huc refer, quod Ulpianus l. XIII, in fin. D. de jurejurando, habet: *Si quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis, dare se non oportere, & peieraverit; vel dari sibi oportere; vel intra certum tempus juraverit se soluturum, nec solvit: Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei superdici:* περπιτῶς μὴ ὄμνυε. *Perperam ne jurato.* Adde l. XVI C. ex quibus causis infamia irrogatur; quæ sic habet: *Fustibus casum, cui per Præconem ita dictum est:* ἐσυκοφάντησας, *Calumniatus es; ut Calumniatorem videri notatum, ideoque esse famosum, manifestum est.* Vide quæ circa hu-

jus l. genuinam lectionem & sententiam monet Cujacius lib. XIII Observat. cap. III. ubi etiam testimonia ex Platone, Svida, Arriano, Niceta, Petronio, ad præsens negotium spectantia, reperies. Idem Cujacius lib. VIII Observ. cap. VII annotat, Vasconiæ quibusdam regionibus morem obtinere, ut, dum publice traducuntur fures, & cæduntur, præeat Præco, clamitans: *Talia patietur, eadem qui fecerit, imo graviora.* Eodem spectant quæ habet Apulejus in Floridis: *Præco cum Proconsule & ipse tribunal ascendit, & ipse togatus illic videtur: & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat. Enimvero ipse Proconsul moderata voce rarenter & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe Præconis vox garrula ministerium est; Proconsulis autem tabella, sententia est.* Verum de Tabella dicimus infra num. LXIV. Nunc id solum præter jam dicta notamus, etiam apud veteres Hebræos morem obtinuisse, ut morte plectendum anteiret Præco clamitans. Lege Joh. Seldenum de Synedriis Ebræorum cap. XIII, 3.

Lento igne aut fumo necari solebant fontes,

XLIX. Observetur ulterius, quod Smyrnæi scribant, cum igni tradendus esset Polycarpus, rogum ex lignis & sarmentis undique congestis extructum, inque eo martyrem ligatum fuisse. Supplicium videlicet apud Gentiles erat non infrequens, ut fontes palo affixi lento igni consumerentur, aut fumo suffocarentur. Quod quidem mortis genus Avidium Cassium primum invenisse, Vulcatius Gallicanus auctor est, in vita ejus cap. IV. nempe *ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & a summo usque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu,*

atu, timore etiam alios necaret. Sed & Alexander Severus Turinum, qui fumum vendiderat, ad stipitem ligari præcepit, fumoque appositio, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, Præcone dicente: *Fumo punitur, qui vendidit fumum*: ut in vita ipsius narrat Lampridius cap. xxxvi. Eodem pertinet quod Cicero lib. I, epist. II, ad Quinctum fratrem scribit: *Quid opus fuit ejusmodi literis, quas ad ipsum misisti? illum crucem sibi ipsi constituere, ex qua tu eum ante detraxisses: te curaturum, fumo ut combureretur, plaudente tota provincia.* Certe in Christianos etiam cruciatu ejusmodi fuisse animadversum, passim docet sanctorum Martyrum historia. Sic, v. g. Romanus ad stipitem alligatus fuisse, congestis undique lignis ac sarmentis, quibus accensis combureretur; & Timotheus tenui lentoque igni consumptus esse memoratur apud Eusebium Append. libri IIX Histor. Eccl. cap. II, III. Imo tam crebro vexabat supplicium istud nostros, ut *Semaxii* etiam, a stipite cui adstringebantur, & *Sarmentitii*, a sarmentis quibus urebantur, inde illi dicerentur. Confer infra cap. x, 50. Quam in rem Tertullianus sub finem Apologetici, *Sarmentitios*, inquit, *& Semaxios appellatis* nos Christianos, *quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.*

ab eoq; supplicio Christiani Semaxii dicti & Sarmentitii.

XIX. Id vero quid sibi vult, obsecro, quod Proconsulem negasse scribunt Smyrnenses, licere sibi Polycarpum leoni objicere, postquam amphitheatrale spectaculum jam edidisset? Fuere scilicet apud Romanos ordinarii & solemnes munerum dies, iique (ut est in Ka-

Solemnes munerum dies apud Romanos.

lendario Hervvartii) in mensem Decembrem incidentes, extra quos non licebat Munerariis ac Duumviris, quibus hujusmodi editionum onus erat impositum, spectacula ferarum populo exhibere. Tametsi majores Judices, qui jus gladii & ad bestias damnandi habebant, quoties libitum ipsis esset, ejusmodi edebant spectacula. Ita Præsidem seu Legatum provinciæ Lugdunensis propter Christianos, quos ad bestias damnaverat, spectaculum ferarum extra ordinem populo præbuisse, constat ex Gallicana illa epistola martyrologica, quam Eusebius libro quinto Historiæ suæ Ecclesiasticæ sub initium inseruit. Tum quoque hujus rei exemplum est in actis Martyrum, Tarachi, Probi, & Andronici, cap. x. Etenim ubi Maximus, Ciliciæ Proconsul, illos ad bestias damnasset, advocans Terentianum Sacerdotem, sequenti die munera edenda curare jussit. Vide Valesium Annotat. in Eusebii lib. IV, cap. XV, pag. 132. lib. V, cap. I, pag. 161. Albaspinæum Observat. Eccles. lib. I, observ. XXII.

Discalceari ab aliis nolunt passuri Polycarpus & Fructuosus.

XX. Quod ipse discalceasse se scribitur jamjam passurus Polycarpus, ei simile est quod de Fructuoso, Episcopo Tarraconensi, in Actis apud Baronium ann. CCLXII, 66. legimus: *Cum ad amphitheatrum pervenissent, statim ad eum accessit Augustalis nomine, Lector ejusdem, flens, & deprecans, ut eum discalcearet. Cui beatus Martyr respondit: Missum fac, fili; ego me discalceo fortis & gaudens.* Quæ Prudentius ita exprimit, hymno περὶ στεφ. X, 73.

Certant officiis pii sodales.
Plantis calciamenta dissolutis
pronus detrahere studebat unus.

Sed

Sed sanctus vetat ora Fructuosus
inclinata premi. Facessite, inquit,
nec nostram gravet obsequella mortem.
Atquin ipse meos pedes resolvam.

Martyres jamjam passuri orabant & canebant.

xxi. Quod preces jamjam passurus ad Deum ardentissimas fudit B. Polycarpus, huic aliorum quoque Martyrum praxis respondet: de quibus quod orantes hinc migraverint, Ecclesiastica passim testatur historia. Ita Cyprianus sub obitum *genu in terram flexit, & orationem Domino se prostravit*, ut Acta passionis ejus testantur. estque memorabilis supplicatio S. Pauli martyris; de quo in Appendice libri IIX Eusebiani cap. IIX legimus, quod, cum a carnifice, qui caput ipsi jamjam erat præcisurus, breve temporis spatium sibi concedi flagitasset, ac impetrasset, pro Christianis pariter ac Judæis, Samaritanis, Gentilibus, quin pro ipso Judice, pro Imperatoribus, proque carnifice, preces ad Deum fuderit. Solebant etiam interdum cantu & hymnis mortem generosi Martyres excipere; ceu testatur Eusebius Histor. Eccles. lib. IIX. cap. IX, Basilius M. homil. XIX, in Gordium, Victor Uticensis Persecut. Vandal. lib. III. alii.

Ignis interdum ledere negavit Martyres.

Passio Agnetis.

xxii. Quod ad miraculum de igne fornicis instar Polycarpi corpus obvallante attinet, ei omnino simile quid narratur serm. XC Ambrosii, vel quisquis auctor, de B. Agnete. Verba nimirum hæc sunt: *Vicarius, Aspasius nomine, jussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, & in medium eam* (Agnetem) *præcepit jactari flammarum. Quod cum fuisset impletum, statim in duas partes divisæ sunt flammæ, & hinc atque illinc seditiosos populos exurebant, ipsam autem penitus in nullo com-*

Iulitta. *contingebat incendium.* Sed & Basilius M. de S. Julitta, πρὸς τὴν πυρὰν ἤλατο, inquit; ἡ δὲ περιεχοῦσα τῆς ἁγίας τὸ σῶμα ὥσπερ τις θαλαμηφόρος, τὴν μὲν ψυχὴν ἐπὶ τὴν ἐφάνιον χώραν καὶ τὴν πρέπουσαν αὐτῇ λῆξιν ἀπέπεμψε, τὸ δὲ τίμιον σῶμα ἀκέραιον διεδώσατο τοῖς περιοῦσιν. *In lignorum struem accensam insiluit: quæ, perinde ac thalamus splendore coruscus, corpus sanctæ circumplexa, animam quidem in cœlestem illam destinavit regionem, & quæ illius meritis congruebat, requiem; corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit affinibus & cognatis incolume, nec ulla sui parte læsum.* Adde his quæ habentur apud Prudentium, in Fructuoso, sive hymno περὶ στεφ. x, 115. & in Romano, hymn. xiv, 856. (vide infra cap. x, 44.) item apud Baronium ad ann. CCLXII, 6.

Corpora martyrum suavem quandoque odorem spirabant.

xxiii. Sic etiam quod fragrantem Polycarpi corpus odorem sparsisse memoratur, ei simile quid in Lugdunensium epistola, apud Eusebium lib. v, cap. 1, legimus; quippe ubi martyres Gallicani suavem adeo spirasse odorem dicuntur, ut nonnulli terreno eos unguento delibutos putarent. Refer etiam huc quæ Chrysostomus habet sub finem homiliæ XL, in Juventinum & Maximum.

Quos ignis absumere non poterat martyres, eos gladio aliusve instrumentis tyranni necabant.

xxiv. Tandem, quod ignis consumere non potuit Polycarpi corpus, sed ferro denique transverberandum id fuit, ei iterum plane geminum habetur in laudato supra de S. Agnete sermone. Sic enim ibi legimus: *Cum complesset orationem* Agnes, *ita omnis ignis extinctus est, ut nec tepor quidem incendii remaneret. Tunc Aspasius, urbis Romæ Vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur ejus gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu roseo*

roseo sui sanguinis rubore perfusam Christus *sibi sponsam & martyrem consecravit.* Videatur etiam Martyrologium Rom. d. xxi Jan. Nec dissimile est quod in passione Martyrum Carthaginensium sub Hunerico, Vandalorum Rege Ariano, libro iii Persecut. Vandal. Victoris Uticensis instar appendicis adjecta, memoratur: *Ebrietate furoris incensus* Rex, *jubet eos adhuc inauditis suppliciis adigi, & majoribus vinculis onerari; navimque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis, in medio pelago igne supposito concremari. — Perducti itaque cum festinatione ad navale supplicium pro voluntate infandi Regis, vel crudelium ministrorum, extensis manibus & pedibus clavatì feruntur potius quam ligati. Qui dum ignis fuisset lignis injectus, statim imperio divino, videntibus cunctis, extinctus est: & dum sapius renovaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extingvebatur rogus globo flammarum. Et cum exinde magis tyrannus furore simul esset & rubore repletus, jussit eos remorum vectibus enecari, & ita singulos in modum canum cerebris comminutis extingvi.*

Hunerici Vandalorum R. in Christianos orthodoxos crudelitas.

xxv. Atque hactenus de martyrio B. Polycarpi. Cujus monumentum hodieque apud Smyrnæos conservari, sibique paucis abhinc annis visum esse, Thomas Smith, Anglus, in elegantissimis suis de moribus ac institutis Turcarum epistolis memorat. Verba ejus, epistola ii, quæ est de septem Asiæ Ecclesiarum notitia, pag. 165. *Sepulchrum S. Polycarpi, quod in latere montis versus Evro-austrum adhuc conservatur, Græci die festo, ipsius memoriæ consecrato, pro more qui apud ipsos obtinet, solen-*

Polycarpi sepulchrum hodieque apud Smyrnenses conservatur.

niter invisunt. Situm est in quadam aedicula, ecclesiæ forte sacello, alii, per quam illuc transeundum est, contigua. — In hoc monumento instaurando, si ab impressionibus aëris, si a Turcis, si a Christianis occidentalibus, qui fragmenta marmoris, quasi tot reliquias, exinde tollunt, laedatur temeretur que, laudabilis illorum collocatur opera, olla fictili quoque illic apposita, in quam quisque fere, vel ex curiositate, vel præ veneratione, qua erga τὸν μεγαλομάρτυρα, pro Christo *invicta animi præsentia mori sustinentem, fertur, illic ductus, pauculos aspros conjicit, ut in omne ævum perennet.*

Martyrum Smyrnensium ἀγιστεία.

xxvi. Præter Polycarpum, etiam aliorum, qui martyrii palmam Smyrnæ eodem illo tempore reportarint, mentionem facit ex sæpius laudata epistola Eusebius, eorumque immotum in perferendis omnis generis cruciatibus animi robur deprædicans, καταπλῆξαι, inquit, τὰς ἐν κύκλῳ θεωμένους, ὅτε μὲν μάστιξι μέχρι καὶ τῶν ἐνδοτάτω φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν καταξαινομένους, ὡς ἤδη καὶ τὰ ἐν μυχοῖς ἀπόρρητα τοῦ σώματος παλάγχνα τε αὐτῶν καὶ μέλη καταπτύεσθαι, ὅτε δὲ τὰς ἀπὸ θαλάττης κήρυκας, καί τινας ὀξεῖς ὀβελίσκους ὑποστρωννυμένους, καὶ ἀφ' παντὸς εἴδους κολάσεων καὶ βασάνων προϊόντας, καὶ τέλος θηρσὶν εἰς βορὰν παραδιδομένους. *Obstupescebant omnes qui aderant, cum illos viderent, partim flagris ad intimas usque venas & arterias laniatos, adeo ut corporis membra penitus recondita & viscera ipsa conspectui paterent; partim concharum, quæ buccina dicuntur, testis, & præacutis quibusdam spiculis humi constratis superimpositos, & omni suppliciorum ac tormentorum genere excruciatos, bestiis denique, ut ab iisdem laniarentur, objectos.* Ita, inquam, Eusebius. In ipsa

ipsa autem Smyrnensium epistola, prout eam Usserius edidit, hunc in modum illa expressa legimus: τὸ γενναῖον αὐτῶν (μαρτύρων) καὶ ὑπομονητικὸν, καὶ φιλοδέσποτον, τίς οὐκ ἂν θαυμάσειεν; οἳ μάστιξι μὲν καταξανθέντες, ὥστε μέχρι τῶν ἔσω φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν θεωρεῖσθαι ὑπέμειναν· ὡς καὶ τοὺς περιεστῶτας ἐλεεῖν καὶ ὀδύρεσθαι, τοὺς δὲ καὶ εἰς τοσοῦτον γενναιότητος ἐλθεῖν, ὥστε μήτε βρύξαι μήτε στενάξαι τινὰ ἑαυτῶν· ὑπεδείκνυμεν ἅπασιν ἡμῖν, ὅτι ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ βασανιζόμενοι τῆς σαρκὸς ἀπεδήμουν οἱ μάρτυρες Χριστοῦ, μᾶλλον δὲ ὅτι παρεστὼς ὁ Κύριος ὡμίλει αὐτοῖς, καὶ προσέχοντες τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν κοσμικῶν κατεφρόνουν βασάνων. *Magnitudinem animi illorum* (Martyrum) *ac tolerantiam, & erga Dominum fidem ac benevolentiam, quis non maxime admiretur? Qui cum flagris ita consciſſi essent, ut tota corporis compago ad intimas usque venas & arterias ſpectaretur, nihilominus ſuſtinuerunt: adeo ut omnes qui aderant, miſeratione capti ingemiſcerent; ipſi vero tanta fortitudine præditi eſſent, ut nemo illorum ſuſpirium aut gemitum ediderit. Oſtendebant ſcilicet nobis Martyres* CHRISTI, *ſe a propriis corporibus quaſi peregrinatos fuiſſe dum torquerentur; aut potius Dominum ipſis adſtitiſſe, & familiariter cum ipſis eſſe verſatum; ſic ut* CHRISTI *gratia fulti ac ſuſtentati, hominum tormenta ſpreverint.* paucisque interjectis: ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὰ θηρία κελεύοντες, χρόνον δεινὰς κολάσεις· κήρυκας μὲν ὑποστρωννύμενοι, καὶ ἄλλαις ποικίλαις βασάνοις κολαφιζόμενοι, ἵνα, εἰ δυνηθείη, ὁ τύραννος διὰ τῆς ὀπτῆς μόνης κολάσεως εἰς ἄρνησιν αὐτὸς τρέψῃ. Πολλὰ γὰρ ἐμηχανᾶτο κατ' αὐτῶν ὁ διάβολος. ἀλλὰ χάρις τῷ Θεῷ· κατὰ πάντων γὰρ οὐκ ἴσχυσεν. *Sed & hi qui ad beſtias erant condemnati, cum diutiſſime in carcere detinerentur,*

gravissimos cruciatus pertulerunt, partim muricibus ipsorum corpori substratis, partim variis aliis suppliciis excruciati: ut, si fieri posset, tormentorum assiduitate eos tyrannus ad negandam Christi *fidem adduceret. Multa siquidem adversus illos excogitavit diabolus: sed, Deo ut gratia, contra cunctos prævalere non potuit.* Id quod Germanici mox adolescentis exemplo docent Smyrnæi. Quem ubi Proconsul, ut floridæ ætatis haberet rationem, adhortaretur, morem ei adeo non gessit, ut etiam ipse bestiam in se provocaret. Quod ab aliis factum quoque in Martyrum historia leginus. Vide Eusebium lib. III, cap. XXXVI, lib. IIX, cap. VII, & Append. cap. VI.

Germanicus bestias ipse in se provocavit.

Pionius martyr quando passus. Baronii sententia.

XXVII. Annumerat porro Eusebius celebrioribus illorum temporum martyribus etiam Pionium. Ubi Baronius, tum in Annalibus ad ann. CLXIX, 22. & ann. CCLIV, 2. tum in Notationibus ad Martyrologium Romanum, d. 1 Februar. monet, quod dicitur apud Eusebium, Polycarpi atque Pionii martyria eodem contigisse tempore, longe aliter accipiendum esse atque acceptum videatur; nimirum, quod Pionius eodem loco, eodemq; anni tempore, quo gentilis ejus Polycarpus, at non sub eodem Imperatore, martyrium subierit. Quam in rem ad Acta provocat Pionii, ubi sub Decio obiisse traditur. Itaque in eodem libello Smyrnensis Ecclesiæ plures diversis temporibus passos martyres consignatos esse putat Cardinalis. Quem tamen acriter castigans Scaliger, ad Eusebium num. MMCLXXXIII, mirari se satis non posse scribit, quomodo Annalista Acta Græca, quæ tempore Eusebii extabant, istis Latini hominis commentariis postposuerit, neque adverterit

a Scaligero impugnata.

fœdis-

fœdissimum errorem in illis Actis, in quibus martyrium Pionii confertur in sabbathum magnum XXIII Febr. Decio & Grato Coss. cum ridiculum sit, magnum sabbathum, hoc est, προεόρτιον τοῦ πάσχα, in Februarium umquam incurrere; quandoquidem citimum Pascha sit in XXII Martii; eo autem anno, Christi scilicet Dionysiano CCLI; Cyclo Solis VIII, Lunæ V, incidat in XXIII, ac proinde sabbathum magnum in XXII.

XXIIX. Ceterum uterque in eo heic fallitur, quod epistolam Smyrnæorum martyrologicam Polycarpi & Pionii passionem in idem referre tempus existimat. Nam in Historia sua Ecclesiastica Eusebius id plane non dicit, sed ita solum scribit: τῶνγε μὴν τότε περιβόητος μάρτυς εἷς τις ἐγνωρίζετο Πιόνιος. *Celeberrimus quoque inter reliquos ejus temporis martyres fuit Pionius.* Quodque in Chronico Eusebiano Pionius Polycarpo jungitur, ne id quidem ab ipso Eusebio est, sed ab Hieronymo: cum in Græcis Eusebii nulla Pionii mentio; quemadmodum nec in Chronico Alexandrino, ubi Pionius sub Decio passus dicitur, Proclo Asiæ Proconsule, IV Id. Mart. Sabbathi hora decima. In Græca ἱστοριῶν συναγωγῇ, apud Scaligerum pag. 393. habetur quidem unà & Pionii mentio. Sed totum eum locum ex Historia Eusebiana petitum esse satis liquet. Cujus verba quod posterioris ævi Græculus perperam acceperit, mirum non est, cum etiam Rufinus Eusebium sic intellexerit, ac si Pionium inter eos martyres, quorum epistola Smyrnensis meminit, numerasset. Verba ipsius: *In eadem epistola continebatur etiam de aliis quam plurimis ejusdem temporis martyribus intexta narratio. — Inter ceteros autem qui*

Baronii & Scaligeri lapsus.

per idem tempus martyres extiterunt, famosissimus inibi refertur quidam Pionius nomine. Eadem Nicephori heic & Christophorsoni (Eusebiani illius interpretis) hallucinatio.

XXIX. Ad reliqua quod spectat, negari quidem non potest, a quibusdam, nescio quo fato, in Decii tempora conjici quæ sub Marco Antonino gesta sunt (quomodo Papylum, cujus laudato loco meminit Eusebius, sub Decio martyrium consummasse Metaphrastes apud Surium tradit Tom. II, d. XIII April.) nec etiam ut omnino certum affirmare licet, genuina esse quæ Baronius propugnat Pionii Acta: num interim firmo satis talo stet argumentum quo adversus Baronium heic utitur Scaliger, a *Sabbatho magno* petitum, quo προεόρτιον τοῦ πάσχα heic notari extra controversiam ipse ponit, non præter rem dubitatur. Sane maximis difficultatibus hæc esse involuta, docere possunt quæ de argumento eo erudite disputant Jacobus Usserius dissert. de Macedonum & Asianorum Anno Solari cap. III, ac Henricus Valesius, in locum Historiæ Eusebianæ de quo nunc agimus. Quo lectorem remittentes, solum monemus nunc, quod, si Pionius, cujus sub sinem editæ ab Usserio Smyrnensis epistolæ fit mentio, is est de cujus passione agit Eusebius, diu post excessum Polycarpi vixisse ipsum oporteat. Ecce verba: ταῦτα μετεγραψατο μὲν Γάϊος, ἐκ τῶν Εἰρηναίου, μαθητοῦ τοῦ Πολυκάρπου, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ· ἐγὼ δὲ Σωκράτης ἐν Κορίνθῳ ἐκ τῶν Γαΐου ἀντιγράφων ἔγραψα. ἡ χάρις μετὰ πάντων. ἐγὼ δὲ πάλιν Πιόνιος ἐκ τοῦ προγεγραμμένου ἔγραψα, ἀναζητήσας αὐτὰ, κατὰ ἀποκάλυψιν φανερώσαντός μοι Πολυκάρπου, καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς, συναγαγὼν αὐτὰ ἤδη σχεδὸν ἐκ τοῦ χρόνου κεκμηκότα, ἵνα καίμε

Sabbathum magnum Judæorum.

Pionius epistolæ de Polycarpi martyrio investigator & descriptor.

συνα

συναγάγῃ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ· ᾧ ἡ δόξα σὺν πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. *Hæc ex libro Irenæi, discipuli Polycarpi, descripsit Cajus, qui etiam versatus est cum Irenæo. Ego vero Socrates Corinthi transcripsi ex Caji exemplari. Gratia sit cum omnibus! Posthæc ego Pionius ex supra dicto descripsi, cum exemplaria diu quæsivissem, & Polycarpus per visionem ea mihi revelasset, ut inferius declarabo: cum autem vetustate ac longinquitate temporis prope corrupta essent, collegi ea, ut me quoque cum electis suis colligat Dominus noster Jesus Christus: Cui cum Patre & sancto Spiritu gloria in secula seculorum, Amen.* Atque hæc de tempore passionis B. Pionii.

Martyrium Pionii.

XXX. Adipsum ejus martyrium quod attinet, extant de illo Acta apud Card. Baronium ann. CCLIV, 4. seqq. quæ sinceriſſima auctor pronunciat. Cujus judicium uti suo nunc loco relinqvimus, ita optaremus supereſſe conscriptam de hoc argumento epistolam, quam commentario de priscis Martyribus insertam a se fuisse Eusebius testatur. Sed cum, quod graviter dolendum, illustre hoc opus (cujus etiam lib. V sub initium, & capp. IV, XXI, Historiæ suæ meminit) dudum interciderit, iis contentos nunc esse nos oportet, quæ strictim, lib. IV, cap. XV, sic noster inde repetit: τῶν γε μὴν τότε θειοβόητος μάρτυς εἷς τις ἐγνωρίζετο Πιόνιος ἔν τε τοῖς κατὰ μέρος ὁμολογίας, τήν τε τοῦ λόγου παῤῥησίαν, καὶ τὰς ὑπὲρ τῆς πίστεως ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ τῶν ἀρχόντων ἀπολογίας, διδασκαλικάς τε δημηγορίας· καὶ ἔτι τοὺς θεοὺς τοὺς ὑποπεπτωκότας τῷ κατὰ τὸν διωγμὸν πειρασμῷ δεξιώσεις· θαυμασίας τε ἃς ὑπὸ τῆς εἱρκτῆς τοῖς παρ' αὐτὸν εἰσαφικνουμένοις ἀδελφοῖς παρετίθετο· ἅς τε

ὑπὸ

ὑπὲ παύταις ἀλγηδόνας, καθηλώσεις τε, καὶ τὴν ὑπὲ τῆς πυρᾶς καρτερίαν· τήν τε ἐφ' ἅπασι τοῖς ὡφαδόξοις ὡτῷ τελευτὴν, πληρέσατα τῆς ὡδὲ ὡτῷ γραφῆς ὡδιεχούσης, τὰς οἷς φίλον, ὑπὲ ταύτην ἀναπέμψομαι, τοῖς τῶν ἀρχαίων συναχθεῖσιν ἡμῖν μαρτυρίοις ἐστεταγμένην. *Celeberrimus inter reliquos ejus temporis martyres fuit Pionius. Cujus singulas confessiones, ac libertatem in dicendo, utque coram populis ac Præsidibus pro fidei nostræ defensione peroraverit; conciones item de institutione fidei, præterea cohortationes, atque invitationes ad eos qui persecutionis tempore lapsi fuerant; allocutiones etiam & consolationes, quas, in carcere positus, adeuntibus ipsum fratribus adhibuit: quæ super his tormenta, quantosque dolores sustinuerit; clavorum insuper confixiones, & mirabilem in medio rogo constantiam, mortem denique ipsam, quæ cuncta illa miracula subsecuta est; si qui volent cognoscere, eos ad epistolam de illius martyrio uberrime conscriptam amandamus, quam nos in opere de priscis Martyribus, quorum passiones collegimus, ordine suo inseruimus.*

Justini Philosophi.

xxxi. Porro Eusebius huc refert martyrium Justini, ex Ethnico Philosopho Christiani, lib. iv Historiæ Eccles. cap. xvi scribens, postquam de Polycarpi agone egerat: Κατὰ τέτες καὶ ὁ Ἰϛῖνος, δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δόγματων βιβλίον αἰσθὲς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχεσι, θείῳ καλλωπισμένῳ μαρτυρίῳ, Φιλοσόφε Κέσκεντος, τὸν φερώνυμον δὲ ἔργῳ τῇ κυνικῇ σεμνοπορείᾳ βίον τε καὶ τρόπον ἐζήλε, τὴν ὑπιβελῆ ὡτῷ καπαρτύσαντος· ἐπειπερ πλεοναάκις ἐν διαλόγοις ἀκροατῶν παρόντων εὐθύνας ἀυτὸν, ὧν νικηθέντα τελευτῶν ὑπὲρ ἧς ἐκρέσβευεν ἀληθείας, λόγῳ τὸ μαρτυρίῳ τὸ κατ' ἀυτὸν ἀνεδήσατο. *Iisdem temporibus & Justinus, cum alterum*

rum librum pro fidei nostræ defensione Imperatoribus superius memoratis obtulisset, sacro martyrio exornatus est, fraude ac machinationibus Crescentis Philosophi, qui vivendi rationem prorsus convenientem ac respondentem Cynicæ appellationi æmulabatur. Quem cum ille disputans audientibus plurimis cenvicisset, tandem veritatis illius, quam prædicaverat, præmium martyrio consecutus est. Quibus gemina tradens Hieronymus, libro de Script. Eccl. cap. XXIII, de eodem Justino, *Hic*, inquit, *cum in urbe Roma haberet* τὰς διατριβὰς, *& Crescentem Cynicum, qui multum adversus Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum, & mortis timidum, luxuriæque & libidinum sectatorem; ad extremum studio ejus & insidiis attractus, accusatusque quod Christianus esset, pro* CHRISTO *sanguinem fudit.* Adde quæ hanc in rem scribit Tatianus Assyrius, itidem ex Philosopho Gentili Christianus, & Justini auditor ac sectator (tametsi *postea inflatus eloquentiæ tumore, novam condidit hæresin, quæ Encratitarum dicitur*, ut habet Hieronymus loco jamjam expresso capite XXIX) libro adversus Græcos: Κρίσκης, ὁ ἐννεοτεύσας τῇ μεγάλῃ πόλει, παιδεραστίᾳ μὲν πάντας ὑπερήνεγκε· φυλαργυρίᾳ δὲ πάνυ προσεχὴς ἦν. θανάτου δὲ ὁ καταφρονῶν (Euseb. καταφρονεῖν συμβουλεύων) οὕτως αὐτὸν (Eus. αὐτὸς) ἐδεδίει θάνατον, ὡς καὶ Ἰουστῖνον καθάπερ μεγάλῳ κακῷ, τῷ θανάτῳ περιβαλεῖν πραγματεύσασθαι. (ita legit Eusebius, cum in Justini ipsius exemplari textus sit corruptus) διότι κηρύττων τὴν ἀλήθειαν, λίχνους καὶ ἀπατεῶνας τοὺς φιλοσόφους συνήλεγχεν (Eus. λίχνους τοὺς φιλοσόφους καὶ ἀπατεῶνας ἐξήλεγχεν) *Crescens, qui in magna urbe* (Roma) *nidulum suum fixerat, fœdis puerorum amoribus, & avaritiæ, supra*

Crescens Cynicus, Justini antagonista.

omnes mortales deditus fuit. Et qui alios hortabatur ut mortem contemnerent, ipse tantopere eam formidabat, ut Justino tamquam maximum malum mortem concinnaverit, eo quod ille veritatem prædicans, Philosophos helluones & deceptores esse convinceret. Quam quidem a Crescente sibi imminere fortunam videtur quasi prævidisse ipse Justinus, ut qui in Apologia sua priori loco poni solita, κἀγὼ, inquiens, προσδοκῶ ὑπό τινος τῶν ὠνομασμένων ἐπιβουλευθῆναι, καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι (Eus. κἂν ξύλῳ ἐντιναγῆναι) ἢ κἂν (Eus. καὶ) ὑπὸ Κρίσκεντος τοῦ φιλοσόφου (Eus. ἀφιλοσόφου) καὶ φιλοκόμπου. οὐ γὰρ φιλόσοφον εἰπεῖν ἄξιον τὸν ἄνδρα· ὅς γε περὶ ἡμῶν ἃ μὴ ἐπίσταται (Eus. ὥς γε περὶ ὧν μὴ ἐπίσταται) δημοσίᾳ καταμαρτυρεῖ, ὡς ἀθέων καὶ ἀσεβῶν χριστιανῶν ὄντων, πρὸς χάριν καὶ ἡδονὴν τῶν πολλῶν τῶν πεπλανημένων ταῦτα πράττων (Eus. πολλῶν· πεπλανημένως τοῦτο πράττων. *Ego exspecto, ut ab aliquo eorum qui Philosophi appellantur, insidiis appetar, & in nervum compingar: ab ipso forsitan Crescente, veræ Philosophiæ ignaro, & vanitatis potius quam veritatis amatore. Neque enim Philosophi nomen meretur, qui de rebus quas prorsus ignorat, publice loqui, & Christianos impios ac profanos affirmare non dubitat.*

Quando passus Justinus. XXXII. Quod ad tempus passionis Justini attinet, Epiphanius hær. XLVI, ἐπὶ Ῥωστικοῦ ἡγεμόνος καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως eam contigisse affirmat: quod sine dubio erroneum. Similemque in auctore hoc metachronismum notavimus jam supra cap. II, 16. Michaël Glycas in Annalibus, & ex recentioribus Henr. Valesius, ad Euseb. lib. IV, cap. XVII, sub Antonino Pio Justinum fecisse martyrium affirmant. Rationes apud Valesium videantur. Nos ad alia pergimus.

XXXIII.

XXXIII. Spectant proinde amplius huc martyria PTOLEMÆI & LUCII. Quorum occasionem fuse narrat, sub initium Apologiæ, Justinus Martyr, & ex eo Eusebius lib. IV Histor. Eccles. cap. XVII; compendiosius autem Martyrologium Romanum ad diem XIX Octobris. Res hoc pacto gesta est. Mulier quædam impudica, viro itidem impuro & supra modum lascivo cohabitans, postquam ex Ethnica superstitione ad CHRISTI fidem erat conversa, non ipsa solum castitatem colere cœpit, sed marito etiam, ut temperantem se magis in posterum gereret, persvadere conata est. Hic vero cum iisdem immoderatæ libidinis vestigiis insistere perseveraret, & gravioribus se flagitiis subinde inquinaret, mulierem improbis suis moribus adeo a se reddidit alienam, ut, ubi nullam illa emendationis spem supereſse cerneret, penitus a marito tandem discederet. Qui mox eam, quod CHRISTO nomen dedisset, apud Imperatorem accusavit: sed & Ptolemæum, a quo mulier isthæc Christianæ fidei mysteriis imbuta fuerat, ad Urbicium Præfectum detulit: qui eum, religionem quippe CHRISTI imperterrito animo constanter professum, ad mortem duci jussit. Quod quidem videns Lucius, graviter Præfectum, homini, qui nec adulterii, nec stupri, nec homicidii, nec furti, nec alterius cujusdam criminis reus esset, ob solam Christiani nominis confessionem supplicium decernentem increpuit. Unde ad eum Urbicius, δοκεῖς μοι, inquit, καὶ σὺ εἶναι τοιοῦτος. *Et tu illius sectæ mihi esse videris.* Quod cum libere profiteretur Lucius, & ipse ad mortem rapi jussus est. Quam sententiam adeo non tulit moleste, ut etiam Præfecto, a quo condemnatus e- *Ptolemæus & Lucius martyres.*

rat, permagnas se gratias debere dixerit, quod hoc pacto non solum ab iniquis ejusmodi & improbis dominis se liberatum iri, sed ad bonum insuper Patrem clementemque Regem, Deum opt. max. recta profecturum esse, confidat.

Christiani post latam de se capitis sententiam Judici gratias agebant

xxxiv. Ubi observa, quod Lucius Urbicio, qui capitis sententiam in ipsum tulerat, grates egisse scribatur. Nempe non infrequens erat Martyribus, Judici post pronunciatam sententiam agere gratias. Inde Tertullianus Apolog. cap. i, & lib. i ad Nat. cap. i: *Si denotatur* Christianus, *gloriatur: si trahitur, non subsistit: si accusatur, non defendit: interrogatus vel ultro confitetur: damnatus gratias agit.* rursumque Apolog. cap. l: *Sententiis vestris gratias agimus.* Qua quidem gratiarum actione animi sui æquitatem testari voluisse Christianos, idem docet Tertullianus Apolog. cap. xlvi, *Si de æquanimitate congrediar*, inquiens, *Lycurgus apocartereſin optavit, quod Leges ejus Lacones emendassent: Christianus etiam damnatus gratias agit.* Quo spectant item Clementis Alex. illa, Stromat. iv, de sincero Christi servo loquentis: ἀγάπῃ ἀσμενέστατα δὲ ἐκ βίου ἀπολυθήσεται· χάριν ἴσως καὶ τῷ τὴν αἰτίαν παραχομένῳ τῆς ἐνθένδε ἐξόδου, καὶ τῷ τὴν ἐπιβουλὴν τεχνασαμένῳ ἐγνωκὼς, εὐφάσιν ἔυλογον λαβὼν, ἣν οὐκ αὐτὸς παρέσχεν, ἑαυτὸν ἐπιδείξαι ὅς ἐστι, τῷ μὴ, δι' ὑπομονῆς· δι' ἀγάπης δὲ κυρίου. *Propter suam in Dominum dilectionem lubentissime ab hac vita liberabitur; habens fortasse gratiam, & ei qui causam præbuit ut hinc exiret, & ei qui molitus est insidias: quia ita honestam accepit occasionem, quam ipse non præbuit, sed se ipsum ostendendi quisnam sit; illi quidem per tolerantiam, Domino*

mino vero per charisatem. Et memorabile est, inter ipsos etiam Gentiles fuisse repertos qui post latam de se capitis sententiam tali gratiarum actione uterentur. Ita namque Seneca de Tranquill. animi cap. XIV: *Canius Iulius, vir inprimis magnus, cujus admirationi nec hoc quidem obstat, quod nostro seculo natus est, cum Cajo diu altercatus, postquam abeunti Falaris ille dixit: Ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te jussi; Gratias, inquit, ago, optime Princeps.* Tametsi, quo animo hoc fecerit Canius, incertum, sic ut ipse Seneca divinare id non potuerit; *Quid senserit*, scribens, *dubito: multa enim occurrunt mihi. Contumeliosus esse voluit, & ostendere, quanta crudelitas esset, in qua mors beneficium erat? An exprobravit illi quotidianam dementiam? Agebant enim gratias, & quorum liberi occisi, & quorum bona ablata erant. An tamquam libertatem libenter accepit? Quidquid est, magno animo respondit.* At hæc in transcursu. De Christianis notandum porro, quod non Judici duntaxat, sed & Deo gratias agere sint soliti, ubi ob fidem CHRISTI morerentur. Vide quæ de eo infra sub finem capitis VI habentur.

Id quod ipsimet etiam Gentiles fecisse aliquando leguntur.

XXXV. Passa amplius est, hac ipsa persecutione urgente, secundum Martyrologium Romanum, a.d. XXXIII Novembris, FELICITAS, postea quam septem filios martyrio coronatos præmiserat. Quorum nomina exprimens idem Martyrologium ad diem X Julii, *Januarius*, inquit, *post verba virgarum & carceris macerationem, plumbatis occisus: Felix & Philippus fustibus mactati: Silvanus præcipitio interemptus: Alexander, Vitalis, & Martialis, capitali sententia puniti sunt.* De hac Felicitate sic

Felicitas martyr cum 7. filiis.

Gregorius, homilia quam in ejus natali ad populum Romanum habuit: *Adest beata Felicitas, cujus hodie natalitia celebramus: quæ credendo extitit ancilla Christi; & prædicando facta est mater Christi. Septem quippe filios (sicut in gestis ejus emendatioribus legitur) sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando facta est mater Christi; & parturivit spiritu, quos carne pepererat: ut prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Considerate, fratres carissimi, in femineo corpore virile pectus. Ad mortem stetit imperterrita; amittere se in filiis lumen veritatis timuit, si non fuisset orbata. Numquid ergo hanc fœminam martyrem dixerim? sed plus quam martyrem.* Sic ille de Felicitate ejusque filiis: circa quorum supplicia unum atque alterum notari meretur.

Virgis cædi servile supplicium,

xxxvi. Itaque Januarius *verbera Virgarum* passus esse dicitur. Quod supplicium vile fuisse, & servis infligi solitum, patet ex l. un. C. de emendatione servorum. Unde *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit*, teste Cicerone in oratione pro Rabirio. qui & hujus legis mentionem facit Verrina v. Meminit item ejus Livius lib. x, cap. ix, legem quoque Valeriam ibi laudans, qua Valerius Publicola sanxit, *ne quis magistratu civem Romanum adversus provocationem verberaret aut necaret*; quæ sunt verba Valerii Maximi lib. iv, cap. i. Eodem pertinet lex Julia, citata ex Ulpiani libro iix de officio Proconsulis l. vii D. ad legem Jul. de vi publica, & a Paulo JCto Receptar. sentent lib. v, tit. xxvi. Atque hinc Josephus lib. ii de Bello Judaico cap. xxiv, tan-

tanquam novum quid planeque insolitum narrat, quod Cestius Florus Præses Judæos Romana civitate donatos virgis cædiderit. ὁ μηδεὶς πρότερον, scribens, ὅτε φλῶρος ἐτόλμησεν, ἄνδρας ἱππικῆς τάγματος μαστιγῶσαι πρὸ τοῦ βήματος, καὶ σταυρῷ προσηλῶσαι, ὧν εἰ, καὶ τὸ γένος Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ τὸ γοῦν ἀξίωμα Ῥωμαϊκὸν ἦν. *Quod nemo umquam prius, tunc Florus ausus est; ut viros scilicet equestris ordinis pro tribunali flagellis cæderet, ac patibulis affigeret: quorum etsi origo Judæa, tamen Romana dignitas.* Et Cicero, Verrina supra memorata, pro horrendo omnemque pene fidem excedente facinore habet, quod Verres Gavium Cossanum proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri jusserit; *Cædebatur virgis*, ajens, *& in medio foro Messanæ*, Cossanus, *cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: CIVIS ROMANUS SUM. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur.* Confer quæ ex oratione Gracchi affert Agellius Noctium Atticarum lib. x, cap. III, quæque habet Seneca in Claudii ἀποκολοκυντώσει, & lib. I de Clementia cap. XVII. Certe Apostolo Paulo plus profuit commemoratio civitatis quam Cossano. Ille enim cum loris cædendus adstanti Centurioni diceret: εἰ ἄνθρωπον Ῥωμαῖον καὶ ἀκατάκριτον ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν; *an hominem Romanum, & quidem indicta causa, vobis licet flagellare?* idque Tribuno nunciaretur; supplicium, cui addictus erat, non sensit, Act. XXII, 24. seqq. Idem Apostolus Actor. XVI, 37. conqueritur, se comitemque suum cæsos publice, cum sint Romani. Vide Commentarium in epistolam Plinii de Christianis primævis,

vis, ad verba: *Quia Cives Romani erant.*

Virgæ non erant unius generis.

xxxvii. Fuerunt autem Virgæ, quibus in reos animadvertebatur (ut ὡς ἐν παροιμίᾳ id quoque notemus) diversorum generum. Aliæ nimirum *ulmeæ* erant: quarum meminit Plautus in Asinaria, actu ii, scen. ii, actu iii, scen. ii. E quibus locis simul, istis virgis servos fuisse correptos, apparet; quos *ulmeos* hinc vocat Comicus loco priori: sicut in Epidico, act. ii, sc. iii, virgas ipsas appellat *ulmeos parasitos*, quod corium omni exparte attondeant, situt parasiti mensas divitum attondere, & a divitibus semper aliquid abradere solent; ut explicat Lambinus. Aliæ virgæ erant ex *salice*; ceu patet ex Prudentio; qui, parvuli illius pro CHRISTO patientis describens martyrium, in Romano, sive hymno περὶ στεφ. xiv, 703.

Impacta, ait, *quoties corpus attigerat salix,*
tenui rubebant sanguine uda vimina.

Plumbata quodnam tormenti genus.

xxxix. In eoipso Prudentii hymno etiam *Plumbatarum* sit mentio, quibus Januarius tandem occisus supra expresso Martyrologii loco dicitur. Nempe Asclepiades Præses, vers. 116.

Tundatur, *inquit*, *tergum crebris ictibus,*
plumboque cervix verberata extuberet.

Cui mox subdit Poëta, vers. 121.

Pulsatus ergo martyr illa grandine,
postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
erectus insit: —— ——

Erat scilicet id genus tormentorum quasi flagellum ex funiculis, in quorum summitatibus glandes plumbeæ impactæ, quibus terga & collum damnati hominis verbe-

berabantur. Vile autem & hoc fuit supplicium, adeo ut *plumbatarum ictus in ingenuis corporibus non probari* dicantur l. II Cod. Theod. de Quæst. Confer l. II C. de Exactionibus tributorum.

XXXIX. Porro Felix ac Philippus, & ipsi Felicitatis filii, *fustibus mactati* dicuntur in Martyrologio. Quod supplicii genus, *fustuarium* dici solitum, in militia olim receptum erat: describiturque a Polybio libro VI, Cœlio Rhodigino Lect. antiqv. lib. X, cap. V, Lipsio de Militia Rom. lib. V, cap. XIIX. Nec in solos tamen milites, sed in alios quoque pœna illa fuisse apud Romanos animadversum, patet ex Pauli JCti Recept. sent. libro V, tit. XXI, ubi *Vaticinatores, qui se Deo plenos adsimulant*, fustibus, cæsi dicuntur. Adde l. XIII in fin. D. de Jurejurando, ubi is qui perperam juravit, & Platonem lib. XI de Legibus ubi venditor adulterinæ mercis, fustibus cædi jubetur. Confer præterea l. X D. de Pœnis, l. IV D. de Incendio, ruina, naufragio, item Brissonium Select. ex Jure Civili Antiqvit. l. III, c. X. De Christianorum fustuario ita Cyprianus, epistola LXXVII, ad Nemesianum ceterosq; in metallis constitutos martyres: *Quod fustibus cæsi prius graviter & afflicti, per ejusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, execranda nobis ista res non est. Neq; enim ad fustes Christianorum corpus expavit, cujus est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ* CHRISTI *servus agnovit: redemptus ligno ad vitam æternam, ligno provectus est ad coronam.* *Fustuarium.*

XL. Tandem pertinet quoque huc celebratissima illa persecutio Gallicana, ex Lugdunensis & Viennensis Ecclesiæ ad Asiæ & Phrygiæ Christianos epistola, ab Eusebio sub initium libri V Historiæ Ecclesiasticæ descripta. Quam quidem ejusmodi fuisse, statim sub ipsius narra- *Persecutio Gallicana sub M. Antonino atrocissima.*

tionis initia dicunt Galli martyrologi, ut ejus atrocitatem nec sermone nec literis sufficienter exprimere liceat. Omni namque virium impetu in Christianos irruisse Satanam, & nihil reliquisse intentatum quo adversus servos Dei ministros suos exerceret: adeo ut non solum ab ædibus, a balneis, a foro illi arcerentur, sed ediceretur etiam, ne quis eorum quocunque demum in loco appareret. Gratia autem Dei factum esse, ut omnes ærumnas istas & opprobria forti animo sustinuerint, quæque alii diuturna & gravia existimant, ipsi levia duxerint; exemplo suo ostendentes, *non esse dignas passiones hujus seculi quæ conferantur cum gloria quæ in nobis revelanda est.* Et primum quidem quæcumque a populo universo acervatim ingerebantur, constantissime eos toleravisse; ὀπισθοήσεις puta, καὶ πληγὰς, καὶ συρμὸς, καὶ διαρπαγὰς, καὶ λίθων βολὰς, καὶ συγκλείσεις, καὶ πάνθ' ὅσα ἠγριωμένῳ πλήθει ὡς πρὸς ἐχθροὺς καὶ πολεμίους φιλεῖ γίνεσθαι, *acclamationes, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres, cuncta denique quæ vulgus furore & rabie concitatum, adversus hostes & inimicos comminisci solet.*

Rom. 8, 18.

Vettii Epagathi martyrium.

XLI. His generatim præmissis, narrare pergunt, quomodo, cum ad Præsidem ducti essent Christiani, Vettius Epagathus, Juvenis pietate & sanctitate illustris, Zeloque Dei ac Spiritus fervore plenus, quod injustum adeo judicium æquo ferre animo nequiret, ut pro fratribus causam sibi dicere liceret, rogaverit, quodque nihil apud Christianos impium aut irreligiosum reperiatur, palam ostendere. Cui tamen æquissimo petito annuere noluerit Præses. Qui potius, ubi hoc unum ex Vettio quæsiviſſet, an esset Christianus? is vero, esse se,

se, intrepide respondisset, ad necem ipsum damnaverit, addito elogio, quod foret παράκλητος χριστιανῶν, *Advocatus Christianorum.*

XLII. Nempe id est de quo Tertullianus Apolog. cap. II queritur, *Quodcunque dicimur*, inquiens, *cum alii dicuntur, & proprio ore, & mercenaria advocatione utuntur ad innocentiæ suæ commendationem: respondendi, altercandi facultas patet: quando nec liceat indefensos & inauditos omnino damnari. Sed Christianis solis nihil permittitur loqui quod causam purget, quod veritatem defendat, quod Judicem non faciat injustum.* Plura huc spectantia damus comment. in epistolam Plinii de Christianis, ad verba: *Hunc sum secutus modum.*

Christianis non permittebatur pro innocentia sua in judicio loqui.

XLIII. Notetur etiam heic iniquitas Judicis Pagani, ad solam Christianismi confessionem Vettium capitis condemnantis, nullius cetera criminis convictum, aut saltim accusatum. Hanc injustitiam Urbicio exprobratam fuisse a Lucio, jam supra num. XXXI memoravimus. Extantque de ea passim nostrorum querelæ, præsertim Tertulliani. Videatur modo citatus commentarius in epistolam Plinii, ad verba: *Nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat.*

Christiani ob solum hoc nomen suum, cetera innocentes, interempti.

XLIV. Vettium, quem diximus, Epagathum, in eo quod, Martyrum suscipiens patrocinium, martyrium sibi ipsi attraxit, Zachariæ cujusdam Presbyteri exemplum fuisse secutum, Rufinus in Historiæ Eusebianæ Latina translatione scribit. Verba ejus: *Ut Christianum se esse clarissima & libera voce testatus est* (Vettius Epagathus, quem, nescio quo errore, *Vetium Pagatum* contra omnium Euseb. codicum fidem ipse appellat) *tan-*

Zacharias sub M. Antonino passus Ruffini commentum est.

quam Advocatus, inquit Judex, *Christianorum, & ipse victorum numero societur. Sed in hoc illi quidem, quid dicerent, ignorabant. Ille vero, habens in se Advocatum pro nobis* JESUM, *hoc nomine* (Advocati) *meruit honorari: sancti Presbyteri Zachariæ, qui erga sanctos plenitudinem charitatis ostenderet, secutus exemplum. Qui & ipse, dum fratribus adest, & defensionem libertatis, quæ in nostra religione consistit, exequitur, Dominicum secutus exemplum, animam suam pro ovibus suis posuit, & pro amicis. Et ideo cum hoc pariter, velut discipuli fideles* CHRISTI, *in regno venturo sequentur agnum quocunque vadit. His igitur optimis & fidelissimis ducibus usus omnis reliquus sanctorum chorus, prompti & alacres animas suas pro fidei libertate ponebant.*

Qui plane hoc pervertit mentem Eusebii.

XLV. Verum ex hoc etiam exemplo apparet, qua fide in vertendo Eusebio Rufinus fuerit versatus. Ita namque habet textus Eusebianus: τῇ λαμπροτάτῃ φωνῇ ὁμολογήσαντα καὶ ἀνελήφθη καὶ αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων, Παράκλητον χρισιανῶν χρηματίσας· ἔχων δὲ τὸν παράκλητον ἐν ἑαυτῷ, τὸ πνεῦμα πλεῖον ἢ Ζαχαρίας. ὃ δὴ καὶ πληρώματος τῆς ἀγάπης ἐνεδείξατο, εὐδοκήσας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἀπολογίας καὶ τὴν ἑαυτοῦ θείαν ψυχήν. ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος χριστοῦ μαθητὴς, ἀκολουθῶν τῷ ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ· ἐντεῦθεν δὴ διεκρίνοντο οἱ λοιποί. *Ille* (Vettius) *Christianum se esse clarissima voce professus, in Martyrum numerum relatus est: Advocatus quidem Christianorum Judicis elogio appellatus, habens autem in seipso Advocatum Spiritum sanctum multo abundantius quam Zacharias. Quem quidem caritatis exuberantia declaravit, quippe qui sustinuerit pro fratrum defensione morti semet objicere.*

Fuit

Fuit enim & est germanus CHRISTI *discipulus, sequens agnum quocunque ierit. Exinde etiam reliqui dignosci ac distingvi cœpere.* Unde manifestum, non de Zacharia Presbytero ecclesiæ Lugdunensis sermonem heic esse, sed de Zacharia patre Johannis Baptistæ, qui Luc. 1, 67. *repletus Spiritu sancto* dicitur, παρακλήτῳ illo, Joh. XIV, 16. 26. XV, 26. quemque πρεσβύτερον Lugdunenses vocaverant paulo ante, id est, seniorem, Epagathum ei Juvenem comparantes. Hæc enim ipsorum aperte verba sunt: οὗ ἐπιτοσοῦτον ἠκρίβωτο ἡ πολιτεία, ὡς καίπερ ὄντα νέον, συνεξισοῦσθαι τῇ οὗ πρεσβυτέρου Ζαχαρίου μαρτυρίᾳ· πεπόρευτο γοῦν ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι οὗ Κυρίου ἄμεμπτος. *Adeo districtam ac severam vivendi rationem instituerat* Vettius, *ut, quamvis adhuc Juvenis, Zachariæ tamen senioris elogio æquaretur. Incesserat quippe in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Quæ postrema cum de Zacharia Elisabetæ marito diserte usurpentur Luc. 1, 6. mirum qui Presbyterum Gallicanum heic fingere sibi Rufinus potuerit, quem martyrii socium daret Epagatho; de duobus dicens, quod *velut discipuli fideles* CHRISTI *seqvantur agnum*, cum Gallicana epistola de solo Vettio id affirmet, deque ficto suo Zacharia ajens, quod *erga sanctos plenitudinem charitatis ostenderit;* cum Lugdunenses scribant, quod Epagathus advocatum Spiritum Sanctum, quem in se habebat, διὰ οὗ πληρώματος τῆς ἀγάπης declaraverit, idque manifesto indicet, quo utuntur, relativum ὃ, utique τὸ πνεῦμα, non vero τὸν Ζαχαρίαν, respiciens. Sed videtur ῥῆσιν, qua utuntur Gallicani, συνεξισοῦσθαι τῇ οὗ πρεσβυτέρου Ζαχαρίου μαρτυρίᾳ, sic accepisse Rufinus, quasi id

Apoc. 14, 4.

vellet, quod *martyrii* gloria Vettius æquatus sit *Presbytero* Zachariæ; qua tamen nihil aliud significatur, quam Vettium, licet adhuc Juvenem, dignum fuisse *testimonio* & *elogio*, quo a Spiritu sancto *grandævus* ille Zacharias ornatur; quod nempe (ut statim subjungitur) incesserit in omnibus mandatis Domini. Effecit autem Rufini παθημα hoc, pravaque Eusebii, vel potius ab eo recitatæ epistolæ Lugdunensis, interpretatio, ut in Martyrologia Zacharias Presbyter irrepserit. Videatur inter cetera Martyrologium Adonis Viennensis ad d. 11 Junii, ubi ipsa Rufini supra a nobis data verba leguntur. Sed ad superiora redeundum.

Quidam persecutionis oneri succubuerunt.

XLVI Etiamsi autem Vettii Apagathi animositate excitati reliqui Christianæ fidei confessores, magna alacritate ad martyria properarunt, seque ad nulla non tormenta forti animo toleranda paratos ostenderunt, interim nec defuere qui persecutionis oneri succumberent. Ἐφαίνοντο, scribunt Gallicani, οἱ ἀνέτοιμοι καὶ ἀγύμναστοι, καὶ ἔτι ἀσθενεῖς, ἀγῶνος μεγάλου τόνον ἐνεγκεῖν μὴ δυνάμενοι. *Lapsi decem.* ὧν καὶ ἐξέπεσον ὡς δέκα τὸν ἀριθμὸν· οἱ καὶ μεγάλην λύπην καὶ πένθος ἀμέτρητον ἐνεποίησαν ἡμῖν, καὶ τὴν προθυμίαν τῶν λοιπῶν τῶν μὴ συνειλημμένων ἐνέκοψαν, οἳ καίπερ πάντα τὰ δεινὰ πάσχοντες, ὅμως συμπαρῆσαν τοῖς μάρτυσι, καὶ οὐκ ἀπελείποντο αὐτῶν. *Qui imparati & inexercitati, nec firmis adhuc viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum, tunc manifeste patuerunt. Ex quibus decem circiter collapsi, maximum nobis dolorem & incredibilem luctum attulerunt; & aliorum alacritatem fregerunt, qui nondum comprehensi, licet gravissima paterentur incommoda, tamen martyribus præsto aderant, nec ab eorum*

conspectu

conspectu discedebant. Addunt mox: Τότε οἱ πάντες μεγάλως ἐπτοήθημεν, διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ὁμολογίας· οὐ τὰς ἐπιφερομένας κολάσεις φοβούμενοι, ἀλλὰ τὸ τέλος ἀφορῶντες, καὶ τὸ ἀποπεσεῖν τινὰ δεδιότες. *Omnes tunc temporis gravissimo metu perculsi hærebamus, ob incertum confessionis eventum: non quod tormenta quæ inferebantur, magnopere timeremus; sed quoniam exitum rei animo prospicientes, ne quis corrueret verebamur.*

XLVII. Hinc narrare pergunt in epistola sua Lugdunenses, quomodo capti quidam Christianorum servi, religione Gentiles, horrendas calumnias in heros suos jecerint, infandaque iis flagitia affinxerint. Ipsa eorum verba dabimus. Συνελαμβάνοντο, inquiunt, ἐσθνικοί τινες οἰκέται τῶν ἡμετέρων· ἐπεὶ δημοσίᾳ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἀναζητεῖσθαι πάντας ἡμᾶς· οἳ καὶ κατ' ἐνέδραν τοῦ Σατανᾶ, φοβηθέντες τὰς βασάνους ἃς τοὺς ἁγίους ἔβλεπον πάσχοντας, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρωρμώντων αὐτοὺς, κατεψεύσαντο ἡμῶν θυέστεια δεῖπνα, καὶ Οἰδιποδείους μίξεις, καὶ ὅσα μήτε λαλεῖν μήτε νοεῖν θέμις ἡμῖν, ἀλλὰ μὴ δὲ πιστεύειν ἔτι τοιοῦτο πώποτε παρὰ ἀνθρώποις ἐγένετο· τούτων τῇ φημισθέντων, πάντες ἀπεθηριώθησαν εἰς ἡμᾶς· ὥστε καὶ εἴ τινες τὸ πρότερον δι' οἰκειότητα ἐμετρίαζον, τότε μεγάλως ἐχαλέπαινον καὶ διεπρίοντο καθ' ἡμῶν. *Capti sunt quidam nostrorum servi, qui Gentiles erant, quandoquidem Præses nos omnes requiri palam jusserat. Qui, Dæmonis impulsu, cum tormenta reformidarent quæ sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas, & incestos Oedipi concubitus, & alia quæ nec proloqui nobis nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus apud homines unquam gesta fuisse, adversus nos ementiti sunt. His in vulgis sparsis,*

Servorum Gentilium in heros suos Christianos portentosa calumnia.

sis, omnes continuo in nos efferati sunt, ut si qui forte cognationis causa moderati erga nos hactenus exstitissent, tunc acerbissima indignatione commoti adversus nostros infremerent. Sic etiam Maximini tempore Ducem quendam Damasci Romanum meretriculas subornasse, quæ Christianas aliquando fuisse se, inque Christianorum conventibus tetra multa & horrenda observasse, mentirentur, Eusebius memorat lib. IX, cap. V. & Justinus M. Apolog. I, εἰς βασάνους, inquit, εἵλκυσαν οἰκέτας τῶν ἡμετέρων, ἢ παῖδας, ἢ γύναια, καὶ δι' αἰκισμῶν φοβερῶν ἐξαναγκάζουσι κατειπεῖν ταῦτα τὰ μυθολογούμενα, ἃ αὐτοὶ φανερῶς πράττουσιν. *Ad tormenta protraxerunt nostrorum servos, aut pueros, aut mulierculas; ut per cruciatus horrendos & formidabiles, eorum quæ sermonibus vanis atque fabulosis feruntur flagitiorum extorqverent confessionem.* Refer etiam huc quod de semet Plinius scribit, Bithyniæ Præses, lib. X, epist. XLVII: *Necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ Ministræ dicebantur* (Diaconissas intelligit) *quid esset veri, & per tormenta quærere*: puta, cum inquisitionem adversus Christianos in provincia illa institueret. Sed & spectare eo videtur quod sub initium sui Apologetici habet Tertullianus: *Domesticis indiciis nimis operata sectæ hujus infestatio obstruit viam defensioni* Quid enim aliud præ se ferre possunt verba ista, quam Gentiles conatos ab iis, qui familiariter cum Christianis versabantur, a famulis, inquam, & ancillis, investigare crimina, de quibus vulgo illi infamabantur? Quemadmodum autem heic Lugdunenses queruntur, domesticorum malitia nefandi cibi & concubitus suspectos esse factos, indeque hominum odiis expositos, Christicolas:

Vide infra c. 10. 11.

sticolas: ita ad contrariam experientiam in sua Apologia Athenagoras provocat. De illa ipsa enim agens calumnia, Δῆλοί εἰσιν ἡμῖν, inquit, τοῖς μὲν καὶ πλείοσι, τοῖς δὲ ἐλάττοσι, οὓς οὐκ ἔστι λαθεῖν· ἀλλὰ καὶ τούτων οὐδείς καθ' ἡμῶν τὰ τηλικαῦτα οὐδὲ κατεψεύσατο. *Servos aliqui nostrûm possident, aliqui plures, alii pauciores; quos ea quæ facimus latere non possunt: verum ne ex illis quidem ullus adversum nos tale quidquam vel mentitus est.* Ceterum de ipso Thyestearum epularum & Oedipodei concubitus Christianis objecto crimine multis agimus libro III de Calumniis Paganorum cap. IX.

XLIIX. Ad Martyres ut revertamur, illustre tunc præceteris certamen certavit BLANDINA: δι' ἧς ἐπέδειξεν ὁ Χριστὸς, ὅτι τὰ παρὰ ἀνθρώποις εὐτελῆ, καὶ ἄτιμα, καὶ εὐκαταφρόνητα φαινόμενα, μεγάλης καθέξεται παρὰ Θεῷ δόξης, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀγάπην, τὴν ἐν δυνάμει δεικνυμένην, καὶ μὴ ἐν εἴδει καυχωμένην, *per quam Christus ostendit, quæ vilia, deformia, contemptaque hominibus videntur, ea maximo honore affici a Deo propter excellentem erga ipsum caritatem, quæ in virtute potentiaque ostenditur, non specie inani gloriatur*; ceu scribunt in epistola sua Lugdunenses. Etenim, ut narrare pergunt illi, cum universi trepidarent spectatores Christiani, &, ne ob corporis tenuitatem liberam edere confessionem haud valeret, maxime formidarent, tanto animi robore firmata est puella, ut tortores, qui invicem sibi succedentes a prima luce ad vesperam usque eam excruciaverant, resoluta nervorum compage deficerent, seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliqvum haberent, mirarentur, adhuc eam *Blandinæ martyr.*

ſpiritum ducere, toto corpore lacerato atque confoſſo, teſtarenturque, unicum ſupplicii genus ad ipſam enecandam ſuffeciſſe, nedum tot & tanta tormenta. Verum beata illa inſtar generoſi cujusdam athletæ in ipſa confeſſione vires animosque reſumebat: καὶ ἦν αὐτῆς ἀνάληψις, καὶ ἀνάπαυσις, καὶ ἀναλγησία τῶν συμβαινόντων, τὸ λέγειν, ὅτι χριστιανή εἰμι· καὶ παρ' ἡμῖν οὐδὲν φαῦλον γίνεται, *eratque ei refectio & quies, ſenſumque omnem præſentis doloris adimebat prolatio horum verborum: CHRISTIANA SUM! & nihil apud nos mali geritur.* Cum ergo cruciatibus iſtis frangi non poſſet ſanctæ martyris conſtantia, ad palum in crucis ſpeciem ſuſpenſa, prædaque beſtiis incurſantibus objecta eſt. Hæ vero quia corpus ejus attingere nolebant, depoſita ex ſtipite rurſus in carcerem conjecta, inque aliud certamen reſervata eſt, ſic tamen, ut interea quotidie ad ſpectanda ceterorum martyrum ſupplicia introduceretur. Poſthac, ubi per Gentilium jurare idola nollet, deosque eorum ſperneret, poſt flagra, poſt ferarum vellicationes, poſt ſartaginem, reticulo incluſa tauro objecta eſt; idque χαίρουσα καὶ ἀναλλιωμένη ὑπὸ τῇ ἐξόδῳ, ὡς εἰς νυμφικὸν δεῖπνον κεκλημένη, ἀλλὰ μὴ πρὸς θηρία βεβλημένη, *de exitu ſuo læta atque exſultans, prorſus quaſi ad nuptiale convivium invitata, non beſtiis objecta eſſet.* Atque ab hoc tauro diu in altum jactata, tandem victimæ inſtar jugulata eſt; καὶ αὐτῶν ὁμολογούντων τῶν ἐθνῶν, ὅτι μὴ δὲ πώποτε παρ' αὐτοῖς γυνὴ τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα ἔπαθεν, *ipſis etiam Gentilibus ingenue fatentibus, nullam umquam apud ſe feminam exſtitiſſe, quæ tot ac tanta pertulerit.*

XLIX.

XLIX. Blandinæ comes ad martyrium ivit, pari prorsus animositate, sororis exhortationibus, ipsis intuentibus tyrannis, subinde roboratus, quindecim circiter annorum puer, PONTICUS: cujus tenerrima ætas non magis, quam muliebris Blandinæ sexus, crudeles persecutorum mentes flectere, immanemque eorum rabiem sedare potuit. Nempe cum alias ætatis magna omnino in pœnis irrogandis haberi soleat ratio, indeque non tantum definiant JCti, quæ ætas delicti sit capax; sed etiam doceant, si maxime capax sit, ob ætatem tamen tenellam mitiorem debere pœnam infligi (loca damus sub initium commentarii in epistolam Plinii de Christianis) de fide tamen Christiana quando res erat, omni ætatis discrimine insuper habito in ipsos etiam pueros & puellas crudelissime sæviebatur. *Ponticus martyr.*

L. Apparet autem ex hoc Blandinæ & Pontici martyrio, quam vere Lactantius scribat Divin. Institut. lib. v, cap. XIII: *Nostri pueri & mulierculæ tortores suos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis potest. — Ecce sexus infirmus & fragilis ætas dilacerari se toto corpore urique perpetitur.* Quibus Lactantianis plane gemina habent Minucius Felix, Cyprianus, Augustinus, Theodoritus, Prudentius, aliique, jamjam expresso Pliniani commentarii loco memorati. Suppetuntque passim in Ecclesiastica historia ejusmodi puerilis & muliebris ἀρετείας exempla. Sic de Julitta Basilius M. ait, homil. v, quod decertaverit ἐν γυναικείῳ σώματι ἀνδρειοτάτην ἄθλησιν, *in muliebri corpore virile certamen*; eandemque vocat τὴν τῷ μεγαλοφυεῖ τῆς ψυχῆς τῆς γυναικείας *Puerorum & puellarum Christian. ἀρετείαι.*

κείας φύσεως τὴν ἀθένειαν ἀποκρύψαντι, feminam *heroica animi fortitudine infirmam naturæ muliebris conditionem supergressam.* indeq; ad masculum conversus sexum, οἱ ἄνδρες, inquit, μὴ καταδείξητε γυναικῶν ἐλάττους ὀφθῆναι πρὸς τὴν εὐσέβειαν. *Viri, ne, quæso, siveritis ad tuendam religionem vos conspici mulieribus infirmiores.* Quibus respondent illa Chrysostomi, serm. LXVII, de S. Drosside: πῶς ἂν γένοιτο λοιπὸν ἀπολογία μαλακιζομένοις ἀνδράσι, πῶς δὲ συγγνώμη, ὅταν γυναῖκες ἀνδρίζονται; ὅταν ἕτω γενναίως πρὸς τὰς τῆς εὐσεβείας ἀγῶνας ἀποδύωνται; ἔτι γὰρ φύσις, ἔτι ἡλικία, ἔτι ἄλλο οὐδὲν ἐμποδίσαι δύναιτ' ἄν, ὅταν προθυμία παρῇ, καὶ ζῆλος, καὶ πεπυρωμένη πίστις. *Quam deinceps sperare poterunt excusationem viri, si molles sint & ignavi, quam vero veniam, cum fortiter ac viriliter se gerant mulieres? cum adeo se generose ad certamen pietatis accingant? Nam neque sexus, nec ætas, nec aliud quidquam potest impedimentum objicere, si adsit alacritas animi, & Zelus, & ardens fides!* Ita Chrysostomus, Qui & libro I πρὸς τὰς σκανδαλισθέντας cap. XIX scribit: καὶ γυναῖκες πρὸς τὸν ἀγῶνα ἀπεδύσαντο τοῦτον, καὶ ἀνδρῶν πολλαχοῦ μᾶλλον ἠνδρίσαντο. *Etiam mulieres hoc inivere certamen, & amplius sæpe quam viri se viriliter fortiterque gesserunt.* Adde quæ habet idem homil. XLI, de Pelagia, homil. LI, de Bernice & Prosdoce, homil. LXXII, de Thecla, quæque apud Ambrosium, Prudentium, Gregorium M. & in Martyrologiis passim leguntur. Puerilis certaminis specimina minime puerilia notamus loco commentarii Pliniani aliquoties jam indicato.

Longa & numerosa martyrum.

LI. Porro Blandinæ monstrat exemplum, etiam tunc temporis morem obtinuisse, quem Demetriano, Africæ

fricæ sub Decio Proconsuli, Cyprianus exprobrat, *Non contentus es*, ad ipsum scribens, *dolorum nostrorum compendio, & simplici ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta; multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia.* quemadmodum & epistola IIX idem ait venerabilis Antistes: *Tormenta venerunt, & tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis: tormenta, quæ ad coronam non facile admittant; sed tamdiu torqveant, quamdiu dejiciant.* *Non tyrum tormenta.*

LII. Nempe, ut in vita Pauli eremitæ dicit Hieronymus, *voti tunc Christianis erat, pro CHRISTI nomine gladio percuti: verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora.* Quo quidem fine suo etiam non semper excidit. Nam *quis tandem inveniretur qui duraret adversus tantos & tam longos cruciatus? Multi defecerunt*; ait Augustinus exposit. partis primæ Psalmi XC. *Eorum scopus, ut animæ perderentur Christianorum;*

LIII. Sed & alia longis istis tormentis causa suberat: quo videlicet magnæ sibi gloriæ ducerent Pagani Judices, si ad fidei abnegationem quovis modo adactis Christianis, superioribus in hoc certamine ipsis esse liceret. Quo de sic Lactantius libro V, cap. XI.: *Ille gravior, ille sævior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest, hujusmodi Judices quanta & quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentium peremisse (nam & ipse audivi aliqvos gloriantes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta) sed & invi-* *utque de victoria gloriari liceret persecutoribus.*

dia causa; ne aut ipsi vincantur, aut illi virtutis suæ gloriam consequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quam victoriam excogitant. Sciunt enim, certamen esse illud & pugnam. Vidi ego in Bithynia Præsidem gaudio mirabiliter elatum, tamquam barbarorum gentem aliquam subegisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus est. Contendunt igitur, ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur, atque (ut ex Eusebii libro IIX, cap. x, id addamus) *τῇ καρτερίᾳ καταισχύνοντες τὸν ἀντίπαλον, constantia sua pudorem incutientes adversario.* Confer Origenem contra Celsum lib. IIX, ubi itidem sermo de *δικασταῖς, κολαζομένοις μὲν ὑπὸ τῶν ὑπομενόντων τὰς αἰκίας, καὶ τὰς βασάνους, χαιρομένοις δ', ὅταν χριστιανὸς ἡττηθῇ*, sive, de *Judicibus, quibus permolestum, dum spectant tolerantes cruciatus fortiter, contra exultant gaudio, quoties Christianus victus est.*

Admiranda Christianorum in tolerandis cruciatibus fortitudo & constantia.

LIV. Tametsi vero interdum voti sui fiebant compotes tyranni, deque victis tormentorum acerbitate & diuturnitate Christianis triumphabant; sæpius tamen concepta illa spe sua excidisse eos, passim historia docet martyrologica: cum nempe, ut Cyprianus epist. IX loquitur, *steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt:* cum *inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera.* Quod si de quoquam alio, de Blandina certe nostra verissime dici potest. Plura huc spectantia habes libro III de Calumniis Paganorum cap. x,3. seqq. LV.

LV. Notetur amplius, quod prolatione verborum illorum: *Christiana sum!* inter atrociſſimos cruciatus animum refeciſſe, corporisque dolores pepuliſſe Blandinam, Lugdunenſes ſcribant. Nempe quam inviſum erat τοῖς ἔξω Chriſtianum nomen, tam amabile iis id erat plenumque conſolationis qui ſanguinem proRedemptoris ſui gloria fundebant. Præter Blandinam in perſecutione, de qua agimus, Gallicana id Sanctus etiam ſuo exemplo docuit (ut paulo poſt videbimus) docuerunt aliis quoque temporibus B. Julitta, Lucianus, Gregorius, Abundius, Agathius, Martyres Scillitani, XL martyres apud Baſilium M. de quibus omnibus teſtimonia damus commentario in epiſtolam Plinii de Chriſtianis, ad verba: *Nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat.*

Chriſtianum nomen quam amabile martyribus fuerit.

LVI. Quod ſtipiti affixa, prædaque ſic incurſantibus beſtiis objecta fuit Blandina, more factum eſt ſatis apud Romanos recepto. Sic *Mneſtheus*, Aureliani Notarius, *ſurrectus ad ſtipitem beſtiis objectus eſt*, tradente Flavio Vopiſco in Aureliano, cap. XXXVII. eademque pœna inflicta illi, de quo Martialis lib. I, epigr. VII:

Beſtiis ſtipitibus alligatos exponebant Romani.

Qualiter in Scythia religatus rupe Prometheus
aſſiduam nimio pectore pavit avem,
nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo
non falſa pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri, membris ſtillantibus, artus,
inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique ſupplicium dederat necis ille paterna;
vel domini jugulum foderat enſe nocens:
Templa vel arcano demens ſpoliaverat auro;
ſubdiderat ſævas vel tibi, Roma, faces.

Viderat

Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
in quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

Nempe solebant damnati in amphitheatrum produci, fabulæ alicujus personam sustinentes, v.c. Herculis ardentis, Orphei discerpti, Phaëtontis aut Icari decidentium. Vultitaque Martialis, sustinuisse quendam velut in fabula personam Laureoli; cumque pro argumento crucifigendus is esset, sed in speciem, & moris causa, rem ex fabula factam, &, qui capitis erat reus, ob parricidium, domini necem, sacrilegium, vel urbis incendium, cruci affixum, bestiisque sic objectum esse. Atque ad hoc supplicii genus respexit Nero, quando infanda turpitudine *ferâ pelle contectus emissus e cavea viros ac feminas ad stipitem deligatos invasisse* scribitur Suetonio cap. xxix, & Dioni Cassio, sive ex eodem Xiphilino, in vita Neronis.

Martyrum objecta sibi corpora attingere interdum negaverunt bestiæ.

LVII. Tali proinde *stipiti leoni concesso* (ut Tertullianus vocat lib. de Pudicitia cap. xxii) etiam Blandina figebatur. Sed noluerunt attingere sanctum ejus corpus bestiæ. Quarum & alias rabiem divinitus inhibitam non semel fuisse, ubi in Christianos immitterentur, aut in ipsos etiam persecutores versam, ex Ecclesiastica historia novimus. Videatur exemplum illustre apud Eusebium lib. iix, cap. vii. quod infra damus cap. x, 26. quæque habentur in Martyrologio Romano d. xvii Maji, xvii & xiix Aug. ac vi Jul. & in Martyrologio Adonis Viennensis d. 1 Jan. Pertinetque huc B. Ignatii locus in epistola ad Romanos supra cap. iii, 15. exhibitus.

Martyres in nova subinde

LIIX. Quod deinde Blandina deposita ex stipite, rursus in carcerem conjecta, inque aliud certamen reservata

servata dicitur; ejus quoque rei exempla alibi in Martyrum historia leguntur. Ita de Agapio Eusebius, Append. lib. IIX, cap. VI, ὃς, inquit, καὶ ἄλλοτε δεσμωτηρίου τρίτον καὶ πολλάκις ἅμα κακούργοις ἐμπομπεύσας τῷ σταδίῳ, ἀείγε μὴν κατὰ χρόνους τοῦ δικαστοῦ μετὰ τὰς ἀπειλὰς, ἤτοι κατ' οἶκτον, ἢ κατ' ἐλπίδα τοῦ μεταθήσεσθαι τῆς προθέσεως, εἰς ἑτέρους αὐτὸν ἀγῶνας ὑπερτιθεμένου, τότε δὴ βασιλέως ἐπιπαρόντος ἤγετο. *Hic cum ter jam antea ex carcere eductus, & sæpius cum maleficis solemni pompa traductus esset in stadio, Judice post varias comminationes ad alia subinde certamina ipsum differente; sive quod miseratione ejus caperetur, sive quod a proposito abduci eum posse sperabat, tunc tandem præsente Imperatore productus est.* Adde etiam Sancti exemplum, de quo paulo post.

certamina servati.

LIX. Tandem quoque Blandina, tanto cum gaudio martyrium aggressa, suo confirmavit exemplo, quod fuerit

dulce tunc Justis, cremari, dulce, ferrum perpeti,

ceu Prudentius canit hymno περὶ στεφ. 1, 51. & quod verissime Gregorius scripserit Nazianzenus orat. XX: οὗ Θεὸς τὸ κινδυνευόμενον καὶ προκείμενον, τ' ἀλλὰ πριφονοῦντες, πρὸς ἑαυτὸν μόνον βλέπομεν· πῦρ δὲ, καὶ ξίφος, καὶ θῆρες, καὶ οἱ τὰς σάρκας τέμνοντες ὄνυχες, τρυφὴ μᾶλλον ἡμῖν εἰσιν, ἢ κατάληξις. *Ubi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes; ipsum solum intuemur: ignis autem, & gladius, & bestiæ, & ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac delitiis potius sunt, quam terrori.* Plura eo facientia habes libro III de Calumniis Paganorum cap. X, 5. Et tantum de Blandinæ virginis agone ac martyrio.

Martyres cum gaudio & voluptate tormenta pro fide perferebant.

Sancti martyrium.

LX. Præter eum nobilem in hoc certamine athletam egit ille re & nomine SANCTUS, Διάκονον ἀπὸ Βιέννης. Quod *Diaconum Viennenſem* Rufinus vertit & Muſculus, ipſe quinimo in ſua Græci textus translatione Latina Valeſius. Qui tamen in Annotationibus, ſuæmet verſionis parum memor, *Rufinus*, inquit, *Sanctum Diaconum Viennenſem interpretatur* (Græca nempe verba: Σάγτον, Διάκονον ἀπὸ Βιέννης) *quod eſt ambiguum. Neque enim Sanctus fuit Diaconus Viennenſis eccleſiæ, ut quidam, hac Rufini verſione inducti, exiſtimarunt. Certe Lugdunenſes in hac epiſtola id non dicunt: ſed tantum affirmant, illum Vienna oriundum fuiſſe. Fuit igitur hic Sanctus patria quidem Viennenſis; Diaconus autem Lugdunenſis eccleſiæ.* Sed hæc obiter. Ad rem quod attinet ipſam, Sanctus ille, quem diximus, acerbiſſimos omnium dolorum cruciatus tanta animi fortitudine & conſtantia pro CHRISTO pertulit, ὥστε μὴ δὲ τὸ ἴδιον κατειπεῖν ὄνομα, μήτε ἔθνους, μήτε πόλεως ὅθεν ἦν, μήτε εἰ δοῦλος ἢ ἐλεύθερος εἴη, ἀλλὰ πρὸς πάντα τὰ ἐπερωτώμενα ἀπεκρίνατο τῇ Ρωμαϊκῇ φωνῇ· χριστιανός εἰμι· τοῦτο γὰρ ἀντὶ ὀνόματος, καὶ ἀντὶ πόλεως, καὶ ἀντὶ γένους, καὶ ἀντὶ παντὸς ἐπαλλήλως ὡμολόγει· ἄλλην δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν αὐτοῦ τὸ ἔθνη, *ut nec ſuum, nec gentis aut civitatis, ex qua eſſet oriundus, nomen, nec, utrum ſervus eſſet, an ingenuus, prolocutus ſit, ſed ad omnes interrogationes Romana lingua reſponderit:* CHRISTIANUS SUM. *Hoc ſibi nomen, patriam, genus, omnia denique eſſe, ſubinde profitebatur; neque aliam vocem ab eo Gentiles extorquere valuerunt.* Qui proinde magno furore incenſi, cum nihil ſupereſſet amplius quo illum cruciarent, candentibus laminis adeo corpus

corpus ejus excarnificarunt, ut esset ὅλον τραῦμα καὶ μώλωψ, καὶ συνεσπασμένον, καὶ ἀπεβεβληκὸς τὴν ἀνθρώπειον ἔξωσεν μορφήν, sive, ut *nihil esset præter vulnera atque vibices, totum contractum & contortum, nec jam externam hominis speciem retinens.* Sed quamvis irerarent post interjectos aliquot dies tormenta illa tyranni, seque hoc pacto superaturos sperarent martyris constantiam, aut saltim effecturos, ut, inter cruciatus mortuo ipso, terror ceteris Confessoribus incuteretur, ὃ μόνον οὐδὲν τοιοῦτο αὐτὸν συνέβη, ἀλλὰ καὶ παρὰ πᾶσαν δόξαν ἀνθρώπων ἀνέκυψε καὶ ἀνωρθώθη τὸ σωμάτιον ἐν ταῖς μετέπειτα βασάνοις, καὶ τὴν ἰδέαν ἀπέλαβε τὴν πρώτην καὶ τὴν χρῆσιν τῶν μελῶν· ὥστε μὴ κόλασιν, ἀλλ' ἴασιν διὰ τῆς χάριτος ἐκείνης τὴν δευτέραν τρέβλωσιν αὐτῷ γενέσθαι, *non modo nihil ejusmodi illi contigit, sed, præter omnium opinionem, corpus ejus subito relevatum erectumque constitit in tormentis posterioribus, & pristinam speciem usumque membrorum recuperavit; prorsus ut secunda illa excarnificatio, divina opitulante gratia, medelam potius quam pœnam ei attulisse videretur.* Tandem, ubi in carcere denuo conjectus, rursumque protractus, omnia tormentorum genera in amphitheatro subiisset, bestiarum morsus sensisset, ignitæque fuisset cathedræ impositus, nec tamen nisi supra memoratam confessionis vocem ipsi extorquere potuissent carnifices, jugulatus est glorioſus ille athleta, atque sic imperterritam Deo animam reddidit. *conf. supra n. 57.*

LXI. Ubi quod attinet ad ὁμολογίας φωνὴν, *confessionis vocem*, quam unam e Sancto potuisse elici Lugdunenses scribunt, illam puta qua Christianum se esse profeſſus est, extant ejus & alia passim in Ecclesiastica ὁμολογίας φωνὴ· *Christianus sum.*

antiquitate exempla. In quibus eminet quod de Luciano martyre habet Chrysostomus homil. XLV, ipsũ scilicet tortori quærenti, ex qua esset patria? quibus ortus majoribus? quam artem profiteretur? nihil aliud nisi hoc unum respondisse: Christianus Sum. Plura ejus generis damus comment. in epistolam Plinii de Christianis primævis, ad verba: *Nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat.*

Pothini certamen.

LXII. Pertinet amplius huc Pothinus, Lugdunensis Episcopus nonagenario major. Qui ductus a militibus ad tribunal, proseqventibus ipsum magistratibus civitatis, & universa plebe variis eum acclamationibus impetente, cum a Præside, τίς ἐὴ χρισιανῶν ὁ Θεὸς; *quisnam esset Christianorum Deus?* interrogaretur; ἔαν ἦς ἄξιος, respondit, γνώση. *Si dignus fueris, cognosces.* ἐντεῦθεν δὴ, scribunt Lugdunenses, ἀφειδῶς ἐσύρετο, καὶ ποικίλας ἔπαχε πληγὰς· τῶν μὲν σονέγγυς, χερσὶ καὶ ποσὶν ἀνυβριζόντων παντοίως, μὴ δὲ τὴν ἡλικίαν αἰδεμένων αὐτὸν· τῶν δὲ μακρόθεν, ὅ μετὰ χεῖρας ἕκας ος εἶχεν, εἰς αὐτὸν ἀκοντιζόντων· πάντων δὲ ἡγεμένων μεγάλως πλημμελεῖν καὶ ἀσεβεῖν, εἴ τις ὑπολειφθείη τῆς εἰς αὐτὸν ἀσελγείας· καὶ γὰρ τὸς θεὸς ἑαυτῶν ὤοντο ὕτως ἐκδικήσειν. καὶ μόγις ἐμπνέων ἐρρίφη εἰς τὴν εἱρκτὴν, καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ἀπέψυξεν. *Post hæc absque ullo humanitatis respectu raptatus, atque innumeris plagis affectus est: cum ii quidem qui propius adstabant, calcibus & pugnis illum contumelioſe appeterent, nec ullam ejus ætatis reverentiam exhiberent; qui vero longius distabant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjicerent; omnes denique gravissimi delicti ac piaculi reos se existimarent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultare studuissent: quippe hoc modo injuriam Deorum*

rum ſuorum ulturos ſe arbitrabantur. Exinde vix adhuc ſpirans in carcerem projectus eſt, tandemque poſt biduum animam exhalavit.

LXIII. Ubi, quod ex Pothino quæſivit Præſes, quis Chriſtianorum Deus eſſet, forte hinc factum, quod mira nimis & portentoſa de Deo illo per rumorem ſparſa accepiſſet. Notum quippe quid hanc in rem Tertullianus tradat Apolog. cap. XVI; *Nova jam*, ſcribens, *Dei noſtri in iſta civitate* (Roma) *proxime editio publicata eſt; ex quo quidem in fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum ejusmodi inſcriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONYNICHITES. Is erat auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans, & togatus.* Quibus gemina idem refert lib. I ad Nationes cap. XIV; niſi quod pro ONYNICHITES ibi legitur ONOCHOETES. Enata eſt autem monſtroſa illa pictura haud dubie ex famoſo de Chriſtianorum ὀνολατρείᾳ convicio; in cujus originem inquirimus libro II de Calumniis Paganorum cap. I. Porro traducebantur etiam Chriſtiani tamquam cultores Cœli, Solis, Crucis, genitalium Sacerdotis, & neſcio quorum non abſurdorum Numinum, imo tamquam homines ἄθεοι, omnisque Dei & religionis expertes, ceu fuſe jamjam memorato libro oſtendimus: ut proinde mirum non ſit, de Chriſtianorum Deo ſciſcitatum fuiſſe profanum Judicem. Cujus etiam nomen quando ex Attalo percontabatur Ethnica impietas, ceu paulo poſt Lugdunenſes memorant (ἐπερωτῶντες, ſcribentes, τί ὄνομα ἔχει ὁ Θεὸς; ἀπεκρίθη· ὁ Θεὸς ὄνομα οὐκ ἔχει ὡς ἄνθρωπος) ad abſurdum illud ex Tertulliano ſupra expreſſum, vel ſimilia ab infidelibus excogitata nomina, fortaſſe reſpexit. *Monſtroſa de Chriſtianorum Deo Gentilium commenta.*

Attali passio.

LXIV. Erat autem ATTALUS ille ὀνομαστὸς, γνησίως ἐν τῇ χριστιανῇ συντάξει γεγυμνασμένος, μάρτυς ἀληθείας, *vir celeberrimi nominis; in Christianorum disciplina solide exercitatus; testis veritatis*; indeque præ ceteris populo Gentili exosus. Qui per amphitheatrum circumductus, præcedente ipsum tabella, in qua Latino sermone scriptum erat: HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS; ubi Præses, civem Romanum eum esse, comperisset, reduci in custodiam cum ceteris jussus est, dum Cæsaris sententia de illis exspectarerur. Is autem cum rescripsisset, τοὺς μὲν ἀποτυμπανισθῆναι (de hujus verbi significatu lege Ivonem Villiomarum, adversus Robertum Titium, Gatakerum Adversar. cap. XLVI, Svicerum Thesaur. Eccles. voc. ἀποτυμπανίζω & τυμπανίζω) εἰ δέ τινες ἀρνοῖντο, τούτους ἀπολυθῆναι, *ut confitentes gladio cæderentur, hi vero qui negarent, dimitterentur incolumes*; Attalus in candentem cathedram collocatus est. ubi dum nidorem gravem ambustum ejus corpus exhalaret, populum allocutus, ἰδοὺ, inquit, τοῦτό ἐστιν ἀνθρώπους ἐσθίειν, ὃ ποιεῖτε ὑμεῖς. ἡμεῖς δὲ οὔτε ἀνθρώπους ἐσθίομεν, οὔθ' ἕτερόν τι πονηρὸν πράττομεν. *En, hoc demum est, homines vorare, quod agitis. Nos vero neque homines voramus, neque omnino quidquam mali facimus.* Sic autem excarnificatus venerabilis martyr, tandem gladio percussus obiit.

ἀποτυμπανισθῆναι.

Titulus, seu tabella damnationis causam indicans.

LXV. Ubi quod per theatrum circumductus Attalus præmissa tabella, criminis indice ob quod moriendum ipsi esset; ad consvetudinem factum est illorum temporum. Erat nempe moris, ut causa damnationis per tabellam, reo vel prælatam, vel appensam, vel appositam, quæ *Titulus* dici solebat, publice populo significaretur.

retur. Sic de Caligula Svetonius, in vita ejus cap. XXXII, *Romæ*, inquit, *publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur.* Idem de Domitiano, in hujus vita cap. X: *Patremfamilias, quod Threcem mirmillioni parem, munerario imparem dixerat, detractum e spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS.* Quamquam Titulus fortasse heic non est tabella, sed *superdictum*, quod Præco pronunciavit, dum ille paterfamilias ad supplicium tractus. Vide quæ notata num. XVI. Ex tali more etiam Salvatori nostro, cruci suffixo, iste titulus appositus, I.N.R.I. Et utitur sane ipsa πίλα voce heic Evangelista Johannes cap. XIX, 19. Matthæus autem, cap. XXVII, 37. τὴν αἰτίαν αὐτῦ vocat; uti Marcus, cap. XV, 26. τὴν ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας αὐτῦ, Lucas cap. XXIII, 38. ἐπιγραφὴν γεγραμμένην ἐπ' αὐτῷ. Dio Cassius libro LIV, γράμματα τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα titulos illos appellat.

LXVI. Notabis amplius, Attalianæ condemnationis titulum, culpam non indicasse aliam, nisi quod Christianus ipse esset. Hoc nimirum est de quo Tertullianus qveritur Apolog. cap. II, *Quid*, inquiens, *de tabella recitatis illum Christianum? Cur non & homicidam?—In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronunciare? Christianus si nullius criminis reus est, nomen valde infestum, si solius nominis crimen est.* Ubi ad morem videtur respici, quo solebat Judex, in tribunali sedens, sententiam e tabella recitare. Quam in rem ita Apulejus

Tabella Christianorum damnatoria aliam indicare non solebat culpam, quam quod Christianus esset qui necidabatur.

Sententiam recitabant. Judices e tabella sententiam recitabant. lejus Florid. lib. 1, sub finem: *Præco cum Proconsule & ipse tribunal ascendit, & ipse togatus illic videtur: & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque attentissime clamitat. Enimvero ipse Proconsul moderata voce rarenter & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe Præconis vox garrula ministerium est; Proconsulis autem tabella sententia est: quæ semel lecta, neque augeri litera una, neque autem minui potest; sed ut cumque recitata est, ita provinciæ instrumento refertur.* Confer ejusdem Metamorph. lib. 11. Ita Pontius in vita Cypriani: *Legit de tabula jam sententiam Judex: — in qua* Cyprianus *dictus est secta signifer, & inimicus Deorum.* Similiter Acta passionis Gypriani: *Iratus Proconsul — decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Adde Acta Martyrum Scillitanorum, apud Baronium ad ann. CCII, 4. Acta Pionii, apud eundem ad ann. CCLIV, 18. Utque ad superiora redeamus, quandoquidem præter Christianismum nihil quidquam criminis aut flagitii exhibebat tabella, qua nostrorum damnatio publicabatur, inde *titulus Christianitatis* ea dicitur Martyrologio Romano, a. d. XX Febr. Verba sunt: *Romæ natalis — S. Sebastiani martyris: qui, Diocletiano Imperatore, cum haberet principatum primæ cohortis, sub titulo Christianitatis jussus est ligari in medio campo, & sagittari a militibus, atque ad ultimum fustibus cædi, donec deficeret.* Refer huc quæ tradimus comment. in epistolam Plinii de Christianis, ad verba: *Nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat.*

Christianitatis titulus

Senseli Romanos sine LXVII. Notetur porro, quod Præses, ubi Attalum civem Romanum esse comperisset, reduci in carcerem eum

eum jusserit, dum Cæsaris de ipso exspectaretur sententia. Nimirum etsi alias tum de Christianis tum de Gentilibus judicabant provinciarum rectores, tamen excipiebantur hinc & peculiari gaudebant privilegio cives Romani. Vide quæ ea de re notamus in epistolam de Christianis Plinianam, ad verba; *Quia cives Romani erant.* *Imperatoris consensu graviori supplicio animadvertere non licebat Provinciarum Præsidibus.*

LXIIX. Tandem & hoc observetur, quod ex ignita, in qua torrebatur, cathedra Gentiles sic allocutus esse scribitur Attalus: *En, hoc demum est, homines vorare, quod agitis. Nos vero homines non voramus.* Nempe respexit his verbis ad horrendam illam Ethnicorum calumniam, qua Christianis, quod infantes occiderent, eorumque carnes vorarent, & sangvinem lamberent, impudenti ore objecerunt. Vide lib. III de Calumniis Paganorum cap. IX. Et tantum de Attali passione. *Thyestea data pes Christianis objecta*

LXIX. Hujus in martyrio consors ALEXANDER fuit, natione Phryx, arte Medicus, γνωστὸς μᾶλλον πᾶσι διὰ τὴν πρὸς Θεὸν ἀγάπην, καὶ παῤῥησίαν τοῦ λόγου, *vir omnibus notissimus ob amorem Dei, & eximiam in prædicanda fide libertatem.* Qui cum, tribunali adsistens, nutibus ad CHRISTI confessionem fratres hortaretur, a populo, ac si ipsius culpa fieret, quod, qui antea fidem negaverant, de integro profiteri eandem inciperent, accusatus, & a Præside, quis esset, interrogatus, ubi, Christianum se esse, respondisset, ad bestias damnatus est, sed tandem, post varia tormenta (quæ ita tulit fortiter, ut ne ingemuerit quidem aut mutiverit) gladio percussus. *Alexandri Phrygis martyrium.*

LXX. Indicium faciunt Lugdunenses, fuisse qui, præ cruciatuum violentia in Christianæ fidei confessione *Biblias ubi fidem abnegantes,*

gassot, ad se rediens martyrium consummavit.

nutantes, aut plane eam abnegantes, ad se tandem redierint. Talis etiam erat Biblias. De qua sic ipsi in sua epistola: βιβλιάδα δέ τινα, μίαν τῶν ἠρνημένων, ἤδη δοκῶν διάβολον καταπεπωκέναι, θελήσας δὲ καὶ διὰ βλασφημίας κατακρῖναι, ἤγεν ἐπὶ κόλασιν, ἀναγκάζων εἰπεῖν τὰ ἄθεα τοῦτο ἡμῶν, ὡς εὐθραυστον ἤδη καὶ ἀνανδρον. ἡ δὲ ἐν τῇ τροβλώσει ἀνένηψε, καὶ ὡς ἂν εἰπεῖν ἐκ βαθέος ὕπνου ἀνεγρηγόρησεν, ὑπομνησθεῖσα διὰ τῆς παρούσης τιμωρίας τὴν αἰώνιον ἐν γεέννῃ κόλασιν· καὶ ἐξ ἐναντίας αὐτεῖπε τοῖς βλασφήμοις φήσασα· πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἔξον; καὶ ἀπὸ τοῦδε χριστιανὴν ἑαυτὴν ὡμολόγει, καὶ τῷ κλήρῳ τῶν μαρτύρων προσετέθη. *Bibliadem quandam, ex eorum numero qui Christi fidem abnegaverant, cum jam Diabolus a se absorptam crederet, velletq; insuper damnationem illius cumulare blasphemia, ad supplicium duxit, adigens eam, utpote fragilem jam & ignavam, impia de nobis proloqui. Verum illa resipuit inter cruciatus, ac velut ex altissimo somno excitata est, praesente supplicio de aeterna gehenna cruciatibus ipsam submonente. & contradicens impiis, Qui fieri posset, inquit, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet? Abhinc Christianam se esse confessa, in consortium Martyrum relata est.*

Christiani primaevi a sanguine gustando alieni.

xxxi. Ubi nota, quod ad diluendam de ἀνθρωποφαγία Christianorum calumniam affertur a Bibliade argumentum, ne pecorum quidem gustare sanguinem ipsis fuisse integrum, idem apud Tertullianum quoque legi, Apolog. cap. ix ad Gentiles ita scribentem: *Erubescat error vester Christianis: qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus; qui propterea quoque suffocatis*

focatis & morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro, quale est, ut, quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humanis inhiare credatis, nisi forte graviorem eum experti? Quomodo & Minucii Felicis Octavius, *Tantum*, inquit, *ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* Plura huc facientia vide lib. III de Calumniis Paganorum, cap. IX, 39.

Apostatarum miserae condit.

LXXII. Ut vero ad superiora revertamur, notatu perquam digna sunt quæ de apostatarum, seu Christianæ fidei desertorum, miserabili, & a constantium Confessorum sorte multum diversa conditione Lugdunenses memorant. Ipsa eorum verba dabimus. Ἐνταῦθα, inquiunt, μεγάλη τὶς οἰκονομία τοῦ Θεοῦ ἐγίνετο, καὶ ἔλεος ἀμέτρητον ἀνεφαίνετο Ἰησοῦ· ἀπανίως μὲν ἐν τῇ ἀδελφότητι γενὸς, μὴ ἀπολειπόμενον ἀπὸ τῆς τέχνης τοῦ χειστοῦ. οἱ γὰρ κρατηθέντες τὴν πρώτην σύλληψιν ἔξαρνοι γενόμενοι, συνεκλείοντο καὶ αὐτοὶ καὶ μετεῖχον τῶν δεινῶν. ἀδὲ γὰρ ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ὄφελός τι αὐτοῖς ἡ ἐξάρνησις ἐγίνετο· ἀλλ' οἱ μὲν ὁμολογοῦντες ὃ καὶ ἦσαν, συνεκλείοντο ὡς χριστιανοὶ, μηδεμιᾶς ἄλλης αἰτίας αὐτοῖς ἐπιφερομένης. ἔπει δὲ λοιπὸν ὡς ἀδελφόνοι καὶ μιαροὶ κατείχοντο, διπλόπερον ἐβασανίζοντο τῶν λοιπῶν κολαζόμενοι. Ἐκείνους μὲν γὰρ ἐπεκέφιζεν ἡ χαρὰ τῆς μαρτυρίας, καὶ ἡ ἐλπὶς τῶν ἐπηγγελμένων, καὶ ἡ πρὸς τὸν χριστὸν ἀγάπη, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ παρακλητικόν· τούτους δὲ τὸ συνειδὸς μεγάλως ἐπιμωρεῖτο· ὥστε καὶ ἐβασανίζοντο τῶν λοιπῶν ἅπασι κατὰ τὰς παρόδους, διαθήλους τὰς ὄψεις αὐτῶν εἶναι. οἱ μὲν γὰρ ἱλαροὶ προῆσαν, δόξης καὶ χάριτος

ριτος πολλῆς ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν συγκεκραμένης· ὥστε καὶ τὰ δεσμὰ κόσμον εὐπρεπῆ περικεῖσθαι αὐτοῖς, ὡς νύμφῃ κεκοσμημένῃ ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς πεποικιλμένοις· τὴν εὐωδίαν ὀδωδότες ἅμα τὴν χριστοῦ, ὥστε ἐνίους δόξαι καὶ μύρῳ κοσμικῷ κεχρίσθαι αὐτούς. οἱ δὲ, κατηφεῖς, καὶ ταπεινοὶ, καὶ δυσειδεῖς, καὶ πάσης ἀσχημοσύνης ἀνάπλειοι· προσέτι δὲ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ὀνειδιζόμενοι ὡς ἀγεννεῖς καὶ ἄνανδροι· ἀνδροφόνων μὲν ἔγκλημα ἔχοντες, ἀπολωλεκότες δὲ τὴν πάντιμον, καὶ ἔνδοξον, καὶ ζωοποιὸν προσηγορίαν. ταῦτα δὲ οἱ λοιποὶ θεωροῦντες, ἐστηρίχθησαν· καὶ οἱ συλλαμβανόμενοι ἀδιστάκτως ὡμολόγουν, μὴ δὲ ἔννοιαν ἔχοντες διαβολικοῦ λογισμοῦ. *Heic singularis quædam Dei dispensatio & immensa Jesu Christi misericordia apparuit; raro quidem inter fratres exemplo, sed a dexteritate ingenioque Jesu Christi minime alieno. Omnes siquidem qui a prima statim comprehensione fidem negaverant, ipsi quoque in carcerem conjecti, eadem quæ ceteri martyres perferebant. Neque enim iis quidquam tunc profuit fidei suæ negatio. Verum illi quidem, qui sese id quod revera erant, esse profitebantur, tamquam Christiani conjiciebantur in vincula, nullo alio crimine ipsis objecto. Hi vero perinde ac homicidæ & scelerati homines deinceps detinebantur, duplo gravius quam reliqui supplicium perferentes. Illos enim gaudium martyrii, spesque promissæ beatitudinis, & caritas erga* CHRISTUM, *& Dei Patris Spiritus recreabat. Hos vero graviter torquebat conscientia; ita ut, dum traducerentur, ipso vultu & adspectu facile discernerentur a ceteris. Quippe illi quidem hilares accedebant, majestatem quandam venustati intermixtam vultibus præferentes; adeo ut vincula præcipuum ipsis ornatum addidisse viderentur, instar sponsæ fimbriis aureis*

reis variegatis ornatæ; adhæc ſuavem CHRISTI odorem ſpirantes, ut nonnulli terreno eos unguento delibutos putarent. Hi vero demiſſo vultu, abiecti, & ſqualidi, ac ſordidi, omnique deformitatis genere cooperti; ab ipſis quin etiam Gentilibus probro affecti, utpote ignavi atque imbelles, qui homicidarum quidem ſibi ipſis crimen impoſuiſſent, Chriſtianorum autem venerandum & glorioſum ac ſalutare nomen amiſiſſent. Quæ cum ceteri viderent, magnopere confirmabantur. Et ſi quem poſtea comprehendi contigerat, is ſtatim ſine ulla cunctatione confitebatur, ne cogitatione quidem tenus conſilium & ſuggeſtionem Dæmonis admittens. conf. ſupra n. 5.

XXXIII. Ampliusin Lugduno-Viennenſi epiſtola narratur, tantam fuiſſe Gentilium perſecutorum tamque immanem crudelitatem, ut ne ipſis quidem beatorum martyrum cadaveribus pepercerint. Eorum enim corpora qui in carcere ſuffocati perierant, canibus objecerunt, ſolicite obſervantes noctu & interdiu, ne ſepulturæ a Chriſtianis mandarentur. Quæque a beſtiis aut igne reliqua fuerunt laniata vel ambuſta membra, ſimiliter per plurimos dies additis militum excubiis tam cuſtodierunt ſolicite, ut neque noctis tenebræ juvare noſtros, neque auri vis ullæve preces Ethnicorum animos ad permittendam ſepulturam flectere poſſent, ſed in magno quaſi lucro deputaretur, ſi ea martyrum carerent reliquiæ. καὶ οἱ μὲν ἐνεβεμμῶντο, inquiunt Gallicani, καὶ ἔθυχον τὰς ὀδόντας ἐπ' αὐτοῖς, ζητοῦντες τινὰ φθισσοπόραν ἐκδίκησιν παρ' αὐτῶν λαβεῖν. οἱ δὲ ἐνεγέλων καὶ ἐπεζώγραζον, μεγαλύνοντες τὰ εἴδωλα αὐτῶν, καὶ ἐκείνοις προσάπτοντες τὴν τῶν ἁγίων ἀμωρίαν. οἱ δ' ἀπιστικέστεροι καὶ κατὰ ποσὸν συμπα- *Gentilium crudelitas in Martyrum cadavera.*

συμπαθεῖν δοκοῦντες, ὠνείδιζον παλὺ, λέγοντες· πῦ ὁ Θεὸς αὐτῶν; καὶ τί αὐτοὺς ὤνησεν ἡ θρησκεία, ἣν καὶ πρὸ τῆς ἑαυτῶν εἵλοντο ψυχῆς; *Et alii quidem infremebant ac dentibus stridebant in mortuos, adhuc exquisitiore quodam supplicio eos afficere cupientes. Alii vero irridebant insultabantque, simulacra sua laudibus extollentes, ac pœnas de martyribus sumptas iis adscribentes. Nonnulli paulo æquiores, & qui vicem nostram dolere quodammodo videbantur, exprobrabant identidem hæc dicentes: Ubi est Deus eorum? & quid illis profuit hæc religio, cui vitam quoque suam postposuerunt?* Tandem cremata inque cineres redacta martyrum corpora in præterfluentis Rhodani alveum sparsa sunt ab impiis, ne ullæ deinceps eorum reliquiæ in terris supereſſent. καὶ ταῦτ' ἔπραττον, pergunt epistolographi, ὡς δυνάμενοι νικῆσαι τὸν Θεὸν, καὶ ἀφελέσθαι αὐτῶν τὴν παλιγγενεσίαν, ἵνα, ὡς ἔλεγον ἐκεῖνοι, μὴ δὲ ἐλπίδα ἔχωσιν ἀναστάσεως, ἐφ' ᾗ πεποιθότες, ξένην τινὰ καὶ καινὴν ἡμῖν εἰσάγουσι θρησκείαν, καὶ καταφρονοῦσι τῶν δεινῶν, ἕτοιμοι καὶ μετὰ χαρᾶς ἥκοντες ἐπὶ τὸν θάνατον. νῦν ἴδωμεν, εἰ ἀναστήσονται, καὶ εἰ δύνανται βοηθῆσαι αὐτοῖς ὁ Θεὸς αὐτῶν, καὶ ἐξελέσθαι ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν. *Atque id agebant, prorsus quasi Deo superiores esse, & resurrectionem illis adimere possent: ut, quemadmodum ipsi dicebant, ne spes quidem ulla resurgendi eis relinqueretur, qua freti novam quandam ac peregrinam nobis invehunt religionem, & gravissima quæque tormenta contemnunt, promptique & alacres mortem subeunt. Videamus nunc, an sint resurrecturi, & utrum adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris ipsos eripere valeat.*

LXXIV.

LXXIV. Ubi de variis notatu non indignis monemur. Et initio quidem observetur, adeo acerbum fuisse Gentilium in Christianos odium, ut, dum alias, dicente Ovidio Amor. lib. I, eleg. XV, 20. qui

pascitur in vivis livor, post fata quiescit,

hoc ne quidem per mortem ipsam potuerit finiri. Cujus immanis iræ quæ causæ fuerint, lib. III de Calumniis Paganorum in Christianos veteres cap. IIX, 4. seqq. fuse ostendimus. *Ethnicorum in Christianos ne quidem post fata quiescens odium*

LXXV. Elucet autem inprimis odii illius atrocitas ex sepultura mortuorum corporibus negata. *Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania, tam immanes, tam sanguinarias umquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata protinus conquiescit. Illa est vera bestia, cujus una iussione* *denegata inprimis sepultura prodebat.*

funditur ater ubique cruor; crudelis ubique
luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. *Virgil. Æn. lib II. v. 646. & l. 2. v. 368.*

Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere. Quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit: & non tantum artus hominum dissipat; sed & ossa ipsorum comminuit, & in cineres furit, ne quis extet sepulturæ locus. Quasi vero id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulchra veniatur, ac non, ut ipsi ad Deum perveniant. Quanam illa feritas, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse! scribit Lactantius Divin. Instit. lib. V, cap. XI.

LXXVI. Nimirum, ut Chrysostomus ait homil. de S. Babyla, κοινὸς ἅπασι τῆς φύσεως νόμος παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, τὸν ἀπελθόντα τῇ γῇ κρύπτεσθαι, καὶ ταφῆ παραδίδοσθαι, καὶ *Mortuis sepultura interdici, omnium gen-*

tium consuetudini ipsique Naturæ legi adversatur.

καὶ τοῖς κόλποις τῆς πάντων μητρὸς περιστέλλεσθαι γῆς. καὶ τούτοις οὐχ Ἕλλην, οὐ βάρβαρος, οὐ Σκύθης, οὐκ εἴ τις ἐκείνων ἀγριώτερος ἐκίνησε τοὺς νόμους ποτὲ, ἀλλ' αἰδοῦνται, καὶ φυλάττουσιν ἅπαντες, καὶ οὕτως εἰσὶν ἱεροὶ, καὶ πᾶσιν αἰδέσιμοι, *sunt apud mortales omnes hæ leges communes, ut qui vita functus est terra condatur, sepulturæ tradatur, ac sinu magnæ omnium matris obvolvatur: atque has non Græcus, non barbarus, non Scytha, nec si quis illis immanior reperiatur, umquam leges convulsit, sed reverentur & observant omnes, adeoque sacræ, & apud omnes veneratione sunt dignæ.* Indeque Ambrosius, epistola XII, qua Symmachi relationem confutat, Paganis objicit, quod *nullis usquam negata defunctis inhibuerint supremæ commercia sepulturæ.* & Eusebius, Append. libri IIX Historiæ Eccles. cap. IX, de Gentili Judice loquens qui sub Diocletiano Christianos vexavit, τὸ ἀπάνθρωπον, inquit, ἐπιτείνας τὴν κατὰ τῶν θεοσεβῶν λύτταν, πέρα τῶν τῆς φύσεως προήει θεσμῶν, οὐδὲ ταφῆς αἰδούμενος ἀψύχοις φθονῆσαι τοῖς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν σώμασι. *Immanitatem & rabiem adversus Dei cultores intendens, ipsas communes Naturæ leges prætergressus est; quippe qui sanctorum hominum cadaveribus sepulturam negare non sit veritus.* Cumque porro exposuisset, quomodo impius ille beata Martyrum corpora, ut a bestiis laniarentur, interdiu noctuque sub dio solicite custodiri jusserit, & quo pacto canes alitesque carnivoræ humanos artus hac atque illac disperserint, sic ut tota circumundique civitas visceribus & ossibus constrata esset; in *communis omnium Naturæ contumeliam* (τὴν τῆς κοινῆς ἁπάντων ὕβριν φύσεως) talia facta esse scribit. Alia huc facientia apud Grotium legi possunt lib. II de Jure B. & P. cap. XIX, I, seqq.

edit. Paris. conf. epist. 56.

LXXVII.

LXXVII. Sane nec ipsis scelestissimis hominibus, & quibus ob flagitia, quorum in judiciis plene convicti sunt, supplicia illata, sepulturam Romanis legibus negari, ex l. XI C. de Relig. & sumpt. fun. ac l. I, seqq. D. de Cadaveribus punitorum, constat. Unde Qvintilianus declam. VI, *In honorem pietatis*, inquit, *etiam damnati sepeliuntur, cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non vetat.* Quo respiciens Gregorius Nazianzenus, orat. XXIII, in Heronem, ubi Tragicum cujusdam, sub Valente passi, martyris obitum describit, inter cetera, οὐδὲ τοσοῦτον, ait, ἡ ἱεροσύνη, ὅσον τελευτῆς γοῦν εὐσχημονεστέρας τυχεῖν· εἰδὲ μὴ τελευτῆς, ἀλλὰ ταφῆς γε πάντως, ἡ καὶ τοῖς ἀσεβέσιν ὀφείλεται. *Non Sacerdotii dignitas tanti fuit, ut honestiorem saltem mortem conseqveretur; aut si non mortem, at certe sepulturam, quæ impiis etiam & sacrilegis hominibus debetur.* Nempe & Arianorum tanta fuit sævities, ut sepulturam Catholicis inviderint. Quam in rem etiam Rufinus, de ipsa illa Valentis persecutione agens, Historiæ Eccl. lib. II, cap. VI, *Non honori erat*, inquit, *Catholicum esse, sed pœnæ: præcipue apud Alexandriam; ubi ne sepeliendis quidem corporibus mortuorum libera facultas fidelibus erat.*

Ne supplicio quidem affectos Romanæ leges sepeliri vetant

Et tamen Ariani quoq; sepulturam negarunt Catholicis.

LXXIIX. Verum ad Gentiles ut redeamus, eorum in Christianos iniqvum ac plane inusitatum odium & hinc perspicere licet, quod, cum ipsis alias hostibus justa funebria exsolverent, aut saltim non interdicerent (vide Grotium lib. II de Jure B. & P. cap. XIX, 6.7. & Kirchmannum Append. ad libros dē Fun. Rom. cap. III, seqq.) Martyribus tamen id officium negaverint. Videlicet non pro vulgaribus inimicis CHRISTI servos habebant

sed pro *hostibus publicis*, pro *hostibus generis humani*, pro *Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius, inimicis*; ceu variis adductis veterum testimoniis ostendimus lib. III de Calumniis Paganorum cap. IIX, 1. indeque sepulchri honorem, qui aliis hostibus deferri etiam solebat, ipsis ne permittendum quidem esse censebant.

Etiam tumulo jam illatos Christianos refoderunt Pagani.

LXXIX. Quin haud contenti sepulturam denegasse Dei cultoribus, etiam tumulo illatos jam & compositos refodere interdum ausi sunt. De qua inusitata & ab omni jure aliena crudelitate conqveritur Tertullianus Apolog. cap. XXXVII, *Ipsis*, inquiens, *Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de reqvie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant.* Vide quæ ibi annotat de la Cerda. Exemplum talis immanitatis Rufinus notavit Histor. Eccles. lib. II, cap. XXIIX. Verba ejus: *Juliani temporibus velut relaxatis frenis efferbuit in omnem sævitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten, Palæstinæ urbem, sepulchrum Johannis Baptistæ mente rabida & funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursum collecta igni cremarent, & sanctos cineres, pulveri immixtos, per agros & rura dispergerent.* Confer Nicephorum lib. X, cap. XIII, Sigebertum in Chronico, Sarisberiensem lib. IIX de Nugis Curial. cap. XI. Sed & Gregorius Nazianzenus orat. IV (quæ est in Julianum altera) ignem Martyrum sepulchris Gentiles admovisse, indicium facit. In mare autem projecta fuisse ex monumentis eruta nostrorum corpora, Eusebius lib. IIX, cap. VI, testis est. Agens enim de Petro, Dorotheo, & Gorgonio,

gonio, sub Diocletiano & Maximiano passis Cubiculariis, τὰς βασιλικὰς, inquit, μετὰ θάνατον παῖδας, γῆ μὴ τῆς θεοσηκόσης κηδείας ὠφελουμένας, αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἀνορύξαντες ἀναπρίψαι θαλάσσῃ καὶ αὐτὰς ὤοντο δεῖν οἱ νεμομισμένοι δεσπότας· ὡς ἂν μὴ ἐν μνήμασιν ἀποκειμένους θεοσκυνοῖεν ζῶντες, θεὰς αὐτὰς, ὥς γε ὤοντο, λογιζόμενοι. *Corpora Regiorum Cubiculariorum, quæ post mortem convenienti tradita fuerant sepulturæ, ipsi eorum legitimi domini erui ex sepulchro & in mare proiici oportere censuerunt, ne quis illos sepulchris conditos, pro Diis, ut ipsi quidem opinabantur, reputans, imposterum adoraret.*

Quare sepulturam Martyribus permittere noluerint Gentiles,

LXXX. Ubi quod scribit Eusebius, infideles noluisse sepulturam permittere Martyribus, ne divino adorationis honore a Christianis afficerentur, ei plane gemina leguntur alibi; ut libro II de Calumniis Paganorum, cap. IX, I. variis in medium allatis testimoniis ostendimus. Alii interim, nulla adorationis facta mentione, simpliciter dumtaxat, ne honorifica fruerentur sepultura, igni aut aqua perditas fuisse ab impiis sanctorum reliquias, affirmant. Ita Tharacum martyrem alloqvutus Præses, apud Baronium, ann. CCXC, 21. *Putas*, ait, *quia mulierculæ aliqvæ corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire, iniqvissime? Nam de hoc est cogitatio, ut reliqvias tuas perdam.* & paulo post: *Nonne sic te perdam, & sicut antea prædixi, & reliquias tuas, ne mulierculæ linteamine corpus tuum involvant, & unguentis & odoribus adornent? Sed scelestę, jubeo te comburi, & cineres tuos in ventum dispergam.* Eodemque spectant Nazianzeni hæc, loco supra expresso: οὐκ ἔτι πυρὶ καταναλώσουσιν ἁγίων λείψανα, ὀστοῖς ὠτιμοτάτοις συναπιμάσαντες, καὶ

καὶ τοῖς ἀνέμοις δώσουσιν, ἵνα καὶ τῆς ὀφειλομένης τιμῆς τοῖς τοιούτοις ἀποστερήσωσιν. *Non jam Martyrum sepulchris ignem admovebunt* Pagani, *ut per eorum ignominiam alios a certamine deterreant: non jam Sanctorum reliquias, cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas, flammis absument, aut in ventos spargent, ut honore, qui ejusmodi hominibus debetur, ipsos privent.*

Gallici persecutores reliquiarum dispersione resurrectionem impediri posse credebant,

LXXXI. Lugdunenses in sua epistola ideo in sanctorum reliquias ferociisse scribunt Gentiles, quod speratam a nostris resurrectionem hoc pacto impeditum iri, persvasum ipsis esset. Ubi enim dixissent, cremata inq; cineres redacta martyrum corpora in præfluentem Rhodanum sparsa ab impiis fuisse, ne ullæ deinceps eorum reliquiæ in terris superessent; ταῦτ' ἔπραττον, subjungunt, ὡς δυναμένοις νικῆσαι τὸν Θεὸν, καὶ ἀφελέσθαι αὐτῶν τὴν παλιγγενεσίαν· ἵνα, ὡς ἔλεγον ἐκεῖνοι, μὴ δὲ ἐλπίδα ἔχωσιν ἀναστάσεως, ἐφ' ᾗ πεποίθότες, ξένην τινὰ καὶ καινὴν ἡμῖν εἰσάγουσι θρησκείαν, καὶ καταφρονοῦσι τῶν δεινῶν, ἕτοιμοι καὶ μετὰ χαρᾶς ἔρχοντες ἐπὶ τὸν θάνατον. νῦν ἴδωμεν, εἰ ἀναστήσονται, καὶ εἰ δύναται βοηθῆσαι αὐτοῖς ὁ Θεὸς αὐτῶν, καὶ ἐξελέσθαι ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν. *Id agebant, prorsus quasi Deo superiores esse, & resurrectionem illis adimere possent: ut, quemadmodum ipsi dicebant, ne spes quidem ulla resurgendi eis relinqueretur, qua freti novam quandam ac peregrinam nobis invehunt religionem* (ajebant) *& gravissima quæq; tormenta contemnunt, promptique & alacres mortem subeunt. Videamus nunc, an sint resurrecturi, & utrum adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris ipsos eripere valeat.*

Vide lib. 1 de Calum. Pagan. c. 1.

LXXXII. Quem locum ubi recitat Augustinus, libro de Cura pro mortuis gerenda cap. VI, cur permittat interdum Deus sepulturæ honore sanctorum ossa carere, & quam nihil futuræ corporum resurrectioni id officiat, pie simul ostendit. En ejus verba. *Legimus*, ait, *in Ecclesiastica historia, quam Græce scripsit Eusebius, & in Latinam lingvam vertit Rufinus, Martyrum corpora in Gallia canibus exposita, canumque reliquias atque ossa mortuorum usque ad extremam consumptionem ignibus concremata, eosdemque cineres fluvio Rhodano, ne qvid ad memoriam qualemcunque relinqueretur, insperſos. Quod non ob aliud credendum est divinitus fuisse permissum, nisi ut discerent christiani, in confitendo* CHRISTUM, *dum contemnunt hanc vitam, multo magis contemnere sepulturam. Hoc enim quod ingenti sævitia de corporibus martyrum factum est, si eis quicquam noceret, quo minus beate requiescerent eorum victoriosissimi spiritus, non utique fieri sinerentur. Re ipsa ergo declaratum est, non ideo dixisse Dominum: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; quod non esset permissurus aliquid eos facere de suorum corporibus mortuorum; sed quoniam quicquid facere permissi essent, nihil, quo minueretur Christiana defunctorum felicitas, fieret, nihil inde ad sensum post mortem viventium perveniret, nihil ad detrimentum, saltem ipsorum corporum, quo minus integra resurgerent, pertineret.* Luc. 12, 4.

Cur Deus permittat interdum sanctorum ossa sepulturæ carere.

LXXXIII. Quibus plane gemina quæ leguntur libro I de Civ. Dei, cap. XII: *At enim* (objiciunt de violenta morte abreptis Christianis Gentiles) *in tanta strage cadaverum nec sepeliri potuerunt. Neque illud pia fides ni-*

Sepultura defectus futura corporum resurrectioni nil officit.

mium reformidat, tenens prædictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. Nec ullo modo diceret Veritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; si quicquam obesset futuræ vitæ, quicquid inimici de corporibus occisorum facere voluissent. Nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendat, eos qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, & timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non sinant. Falsum est ergo quod ait Christus: Qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; si habent tanta quæ de cadaveribus faciant. Absit ut falsum sit quod Veritas dixit. Dictum est enim, aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo; postea vero nihil habere quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a cœlo & terra separavit, quam totam implet præsentia sui qui novit unde resuscisceret quod creavit. — Rident hæc illi contra quos defendendam suscepimus civitatem Dei. Veruntamen sepulturæ curam etiam eorum Philosophi contempserunt: & sæpe universi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, ubi postea jacerent, vel quibus bestiis escafierent, non curaverunt. Licuitque de hac re Poëtis plausibiliter dicere:

Matth. 10, 28.

Euc. 12, 4.

Lucan. lib. 7. sub fin.

— Cœlo tegitur qui non habet urnam.

Quanto minus debent de corporibus insepultis insultare Christianis: quibus & ipsius carnis & membrorum omnium reformatio non solum ex terra, verum etiam ex aliorum

rum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittitur? Hæc ibi Augustinus (repetita ab eodem libro de Cura pro mortuis gerenda cap. II) conformiter illis Minucii Felicis: *Tu perire & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive aresçit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis; sed Deo, elementorum custodi, reservatur.*

LXXXIV. Observa autem, vere ab Augustino dici, quod sepulturæ curam etiam Gentilium Philosophi contempserint. Seneca videlicet epist. XCII, *Ut ex barba, inquit, capillos detonsos negligimus: ita ille divinus animus, egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se judicat pertinere, quam secundas ad editum infantem. Utrum projectum aves differant, an consumatur*

Etiam Philosophi Gentiles sua que deque sepulturam habebant.

—— *canibus data præda marinis,*

quid ad illum? Qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet, ullasne timebit post mortem minas illorum, quibus usque ad mortem timeri parum est? Non conteret, inquit, me nec uncus, nec projecti ad contumeliam cadaveris laceratio, fœda visuris. Neminem de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sævitia projecerit, dies condet. Diserte Mæcenas ait:

Nec tumulum curo. sepelit Natura relictos,

Idem de Tranquillitate animi cap. XIV: *Minabatur Theodoro*

doro Philosopho tyrannus mortem, & quidem insepultam; Habes, inquit, *cur tibi placeas. Hemina sangvinis in tua potestate est. Nam quod ad sepulturam pertinet, o te ineptum, si putas interesse, supra terram an infra putrescam.* Tyrannum hunc Regem fuisse Lysimachum, Cicero tradit Tuscul. Quæst. libro 1. ubi etiam de Socrate, Diogene Cynico, Anaxagora, habet quæ huc pertinent. Cæcilius quoque Natalis, homo Ethnicus, apud Minucium Felicem, nihil interesse dicit, *utrum* corpus exanimatum *fera diripiant, an maria consumant; an humus contegat, an flamma subducat: cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina.* Confer Senecam Controv. lib. IIX, contr. IV.

Pagani ex misera & infelici Christianorum sorte, quod verus omnipotensque Deus ab ipsis haud coleretur, colligere solebant.

LXXXV. Verum ad Lugdunensem ut revertamur epistolam, discimus inde tandem & hoc, quod ejusmodi verbis Martyribus insultaverint Pagani: *Ubi est Deus eorum? & quid illis profuit hæc religio, cui vitam quoq. suam postposuerunt?* item: *Videamus nunc, utrum adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris eripere ipsos valeat.* Nimirum solemne erat impiis, si quid adversi paterentur Christi cultores, id ita interpretari, quod verus omnipotensque Deus non foret quem ipsi venerarentur, qvum alias haud permissurus esset, cum tanta illos miseria & infelicitate conflictari. Nam & Arnobius libro II sic eos loquentes introducit: *Cum omnipotenti servitis Deo, & eum habere confiditis salutis atque incolumitatis vestræ curam, cur persecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum & suppliciorum subire?* & Lactantius lib. V, cap. XXI, hoc modo: *Cur Deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem,*

quem

quem Dominum omnium, Christiane, *confiteris*, *hæc fieri patitur*, *nec cultores suos vindicat*, *aut tuetur?* Sed omnium maxime Gallicanorum persecutorum cavillis respondent quæ maledicentissimus ille Cæcilius apud Minucium evomit: *Ecce vobis minæ*, *supplicia*, *tormenta*, *etiam non adorandæ*, *sed subeundæ cruces*; *ignes etiam*, *quos & prædicitis*, *& timetis. Ubi Deus ille*, *qui subvenire reviviscentibus potest*, *viventibus non potest?* Plura huc facientia damus libro III de Calumniis Paganorum cap. XIV, ubi etiam, quo pacto blasphemis istis infidelium conviciis ab Augustino, Arnobio, Cypriano, Minucio, Lactantio, similibusque antiqvis scriptoribus Ecclesiasticis obviam fuerit itum, fuse ostendimus.

LXXXVI. Atque hæc de epistola Lugduno-Viennensi: unde de persecutionis Antoninianæ inaudita acerbitate plus satis nunc constat. Utque appareat insuper, quanta diligentia tunc Christiani passim investigati fuerint, apponemus heic in crypta quadam Romana repertam inscriptionum veterem, a rudi literarum homine lapidi sepulchrali insculptam, quam Roma subterranea Aringhi lib. III, cap. XXII, p. m. 524. exhibet. Nam ad Antoninum Philosophum eam pertinere vix dubitamus. Sic autem habet: ALEXANDER MORTUS NON EST SED VIVIT SUPER| ASTRA ET CORPUS IN HOC TUMULO QVIESCIT| VITAM EXPLEVIT CUM ANTONINO IMP. QVI UBI MULTUM BENEFITII ANTEVENIRE PREVIDERET PRO GRATIA ODIUM REDDIT GENUA ENIM FLETENS VERO DEO SACRIFICATURUS AD SUPPLICIA DUCITUR O TEMPORA INFAUSTA QVIBUS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QVIDEM SALVARI POSSIMUS QUID MISERIUS

Quanta diligentia Christiani sub M. Antonino investigati fuerint.

VITA SED QVID MISERIUS IN MORTE CUM AB AMICIS ET PARENTIBUS SEPELIRI NEQVEANT TANDEM IN CÆLO CORUSCAT PARUM VIXIT QVI VIXIT IV. X. TEM. Equidem quis hic ſit Alexander, certo affirmare non poſſumus. Si tamen unus eorum eſt, quos Martyrologium Romanum memorat, non alius videtur, quam Alexander Epiſcopus, Romæ in via Claudia martyrio coronatus. Inde enim in cryptam ſub via Appia factam, ubi hoc ſepulchrum repertum eſt, deferri facile potuit. Vide Baronii Notas Martyrologicas ad diem XXI Septembr.

Perſecutionem Antoninianam legionis Chriſtianæ miraculum nonnihil repreſſiſſe creditur.

LXXXVII. Ceterum persecutio hæc quinta (quæ præter ſupra nominatos, abſumpſit Pium & Anicetum Papas; Timotheum item, Marcum, Sagarim, Julianum, Concordium, Pontianum, Conſtantium, Glyceriam, Hermiam, aliosque complures, quorum nomina in Martyrologiis conſignata) nonnihil repreſſa creditur ob inſigne beneficium, Romano exercitui Chriſtianorum militum precibus impetratum. Quod quale fuerit, paulo prolixius Dionis Caſſii verbis exponemus. Sic vero ille, libro LXXI Hiſtoriæ ſuæ Romanæ, de bello agens quod cum Quadis, Germanico populo, M. Antoninus geſſit: Πόλεμος αὐτῷ συνέστη μέγας, καὶ νίκη παράδοξος εὐτυχήθη, μᾶλλον δὲ παρὰ Θεοῦ ἐδωρήθη. κινδυνεύσαντας γὰρ ἐν τῇ μάχῃ τοὺς Ῥωμαίους παραδοξότατα τὸ θεῖον ἐξέσωσε. κυκλωσάντων γὰρ αὐτοὺς τῶν Κουάδων ἐν τόποις ἐπιτηδείοις, συνασπίσαντες οἱ Ῥωμαῖοι, προθύμως ἠγωνίζοντο, καὶ οἱ βάρβαροι τὴν μὲν μάχην ἐπέσχον, προσδοκήσαντες σφᾶς ῥᾳδίως ὑπό τε τοῦ καύματος καὶ ὑπὸ τοῦ δίψους αἱρήσειν· πάντα δὲ τὰ πέριξ διαλαβόντες ἀπέφραξαν, ὅπως μηδαμόθεν ὕδωρ λάβωσι. πολὺ γὰρ καὶ τῷ

πλήθει

πλήθει ἐσέπεσον. τῶν ἐν Ῥωμαίων ἐν παντὶ κακῷ καὶ ἐκ τοῦ καύματος καὶ ἐκ τῶν τραυμάτων, τοῦ τε ἡλίου καὶ τῆς δίψης γενομένων, καὶ μήτε μάχεσθαι διὰ ταῦτα μήτε χωρῆσαί πη δυναμένων, ἀλλ' ἔν τε τῇ τάξει καὶ τοῖς τόποις ἐσηκότων καὶ κατακαιομένων, νέφη πολλὰ ἐξαίφνης συνέδραμε, καὶ ὑετὸς πολὺς οὐκ ἀθεεὶ κατέῤῥαγη. *Prælium ei acre bellumque magnum* cum Quadis *fuit: unde victoria præter spem, vel potius Dei beneficio, feliciter consequuta est; propterea quod Romani, quum essent in prælio, inque maximum periculum venissent, mirabiliter sane ac divinitus conservati sunt. Quum enim intercluſi a Quadis in locis oportunis constipatis clypeis pugnarent, atque interim barbari differrent prælium, sperantes, eos facile tam ob æstum quam sitim venturos in potestatem, quos circum occupatis locis omnibus sic concluserant, (erant enim multo plures) ut aquam habere nullo pacto possent; quumque Romani in tantas difficultates incurrissent, ut labore, vulneribus, ardore Solis, ac siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent, aut alio secedere, sed in acie stantes atque iis in locis constituti arderent, multæ nubes derepente ita coactæ sunt, ut maximus imber ceciderit, non sine Dei beneficio.* Pergit Dio: τοῦ ὄμβρου καταῤῥαγέντος, πρῶτον μὲν ἄνω πάντες ἀνέκυψαν, καὶ ἐς τὰ σώματα αὐτῶν ἐδέχοντο· ἔπειτα οἱ μὲν τὰς ἀσπίδας, οἱ δὲ καὶ τὰ κράνη ὑποβάλλοντες, αὐτοί τε χανδὸν ἔπινον, καὶ τοῖς ἵπποις πίνειν ἐδίδοσαν. καὶ τῶν βαρβάρων σφίσιν ὑπιδεομένων, ἐπινόντε ὁμοῦ καὶ ἐμάχοντο· καὶ ἡδονῇ τινες τιτρωσκόμενοι, τό, τε αἷμα ἀνειχευόμενον ἐς τὰ κράνη καὶ τὸ ὕδωρ ἅμα ἄμα ἀνέῤῥόφουν. κἂν ἔπαθόν τι δεινὸν ὑπὸ τῶν πολεμίων ὑπικαιομένων αὐτοῖς ὠεὶ τὸ πίνειν οἱ πλείους ἠχολημένοι. εἰ μὴ χάλαζα ἰσχυρὰ καὶ κεραυνοὶ οὐκ ὀλίγοι τοῖς πολεμίοις ἐνέπεσον.

ἦν ἴδῃ ὁρᾶν ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ ὕδωρ τε ἅμα καὶ πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ φερόμενα· καὶ οἱ μὲν ὑγραίνοντό τε καὶ ἔπινον, οἱ δὲ ἐπυρέσσοντο καὶ ἔθνησκον. καὶ ὅτε τῶν Ῥωμαίων τὸ πῦρ ἥπτετο, ἀλλ' εἶπε καὶ προσέμιξε σφίσιν; εὐθὺς ἐσβέννυτο ὅτι τοὺς βαρβάρους ὁ ὑετὸς ὠφέλει, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ μᾶλλον τὴν φλόγα αὐτῶν, ὥσπερ ἔλαιον, ἤγειρεν· ὕδωρ τε ὑόμενοι ἐζήτουν· καὶ οἱ μὲν ἑαυτοὺς ἐπέτρωσκον, ὡς καὶ τῷ αἵματι τὸ πῦρ κατασβέσοντες, οἱ δὲ, καὶ πρὸς τοὺς Ῥωμαίους προσέτρεχον, ὡς καὶ μόνους σωτηρίαν ὕδωρ ἔχοντας. ἠλέησε γὰρ αὐτοὺς καὶ ὁ Μάρκος.

Cum primum pluvia caderet, omnes Romani *ſuspexere in cœlum, eamque in ora recepere: deinde ſcutis galeisque ſubjectis inde ſorbuerunt largiter, equisque ad bibendum dederunt. Quumque barbari in ipſos impetum facerent, illi ſimul biberunt & pugnarunt; compluresque ſaucii ſanguinem infuſum in galeas ſimul cum aqua abſorbuerunt. Hi propterea gravia damna accepiſſent, urgentibus hoſtibus, quod magna ex parte in bibendo erant occupati; niſi vehemens grando, compluraque fulmina in hoſtes cecidiſſent. Itaque videre licebat in eodem loco aquam ignemq; ſimul de cœlo cadere; atque eam ob cauſam humectari alios & bibere, exurique alios ac prorſus interire. Non attingebat ignis Romanos; aut, ſi forte interdum ad eos acceſſiſſet, extinguebatur ſubito. Neque imber juvabat barbaros, ſed immiſſas eis flammas etiam magis, velut oleum, excitabat: ut aquam requirerent, pluvia perfuſi; infligerentque pars ſibi vulnera, quo ignem ſanguine reſtinguerent, pars confugerent ad Romanos, quaſi illis tantummodo aqua ſalutaris eſſet; ita ut eorum Marcus etiam miſertus ſit.* Ad hunc modum Dio, rei geſtæ σύγχρονος, & præterea vir Conſularis, ipſisque Imperatoribus Auguſtis

Per quæ patras paſi ſunt inimicis ipſorum, per ademipſi, in difficultatibus verſantes, ſunt affecti beneficio. Sap. 11, 5. 6 vide etiam c. 16, 17. ſeqq.

gustis tum dignitate proximus, tum usu quotidiano familiaris.

LXXXIIX. Addit vero ibidem is, famam esse, quod Arnuphis qvidam, ex Ægypto Magus, Mercurio aliisq; dæmonibus invocatis, imbrem istum impetraverit. Quæ ita confirmat Svidas, in voco Ἰουλιανός, ut simul moneat, ab aliis Juliano Theurgo, Juliani, Chaldæi Philosophi, filio, id tribui. Verba Svidæ: τοῦτον (Ἰουλιανὸν) φασί τινες διψῆ ποτὲ καμνόντων τῶν Ῥωμαίων, ἐξαίφνης ποιῆσαι νέφη τε ἀγερέθηναι ζοφώδη καὶ ὄμβρον ἀφθονον λάβρον ἅμα βρονταῖς τε καὶ σέλασιν ἐπαλλήλοις. καὶ τοῦτο σοφίᾳ τινὶ ἐργάσασθαι τὸν Ἰουλιανόν. *Quidam tradunt, hunc* Julianum, *Romanis aliquando siti laborantibus, subito effecisse, ut atræ nubes congregarentur, & ingentem imbrem effunderent, cum crebris tonitribus & fulguribus: idque sapientia quadam effecisse Julianum.* Confer Ælium Lampridium in Heliogabalo, cap. IX. At Julius Capitolinus Marci ipsius precibus beneficium illud Deum indulsisse tradit, quando in vita ejus cap. XXIV, *Fulmen*, inquit, *de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluviam impetrata, cum siti laborarent.* Idem confirmat Themistius (sed Antoninum Pium cum Marco Antonino, patrem cum filio, confundens) orat. ad Theodos. ubi etiam vidisse se ait pictam in tabula hujus rei imaginem, quæ Imperatorem quidem in acie Deos precantem, milites vero galeis imbrem excipientes, & aquam cœlitus missam bibentes, exhibuerit. Claudianus pietati & sanctitati Imperatoris tantum miraculum imputat. Sic enim canit in Panegyri de VI Consulatu Honorii, vers. 339.

Beneficium impetratæ tunc pluviæ Gentiles vel Magis tribuunt, vel Imperatoris orationi & probitati.

Non tantis patriæ ſtudiis ad templa vocatus,
clemens, Marce, redis: cum gentibus undique cinctam
exuit Heſperiam paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla Ducum. Nam flammeus imber in hoſtem
decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
ſubſedit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.
Tunc contenta polo, mortalis neſcio teli,
pugna fuit. Chaldæa mago ſeu carmina ritu
armavere Deos; ſeu (quod reor) omne Tonantis
obſequium Marci mores potuere mereri.

Revera artem Chriſtianorum militum precibus id debetur.

LXXXIX. Verum enim vero, quod ſcriptores iſti Ethnici partim magicis artibus, partim pietati moribusque Antonini tribuunt, id revera Chriſtiani milites, qui Romani exercitui erant admixti, precibus ſuis a Deo obtinuerunt. Unde Joh. Xiphilinus, poſtquam recitata paulo ante Dionis verba adduxiſſet, falſitatis ipſum arguit, & quidem malitioſæ; cum non ignoraverit, legionem militum κεραυνοβόλον, cujus mentionem inter ceteras faciat ipſemet, non aliunde quam a miraculo iſthoc ſic fuiſſe appellatam: quod proinde perperam tribuatur Arnuphi mago; præſertim cum Antoninus Magorum præſtigiis delectatus fuiſſe nusquam legatur. Rem igitur ita ſe habere ſcribit Xiphilinus. Cum Marcus legionem haberet militum Melitenorum, qui omnes Christo addicti fuerint; in anguſtias conjecto Romano exercitu, Præfectum Prætorianorum Imperatorem monuiſſe, omnia precibus ſuis impetrare poſſe Chriſtianos, quorum integrum ipſe legionem in ſuo habeat exercitu.

ercitu. Hoc autem cognito Antoninum milites istos rogasse, ut Deo suo supplicarent. Quod ubi fecissent, subito hostes quidem fulmine percussos fuisse, at Romanos pluvia recreatos. Marcum miraculo hoc perculsum, κεραυνοβόλα nomen legioni isti indidisse: neque aliam hujus appellationis causam posse dari.

xc. Ubi quidem Xiphilinus recte dicit, M. Antoninum Magorum conversatione & præstigiis nequaquam fuisse delectatum. Id enim de semet ipse testatur Imperator, scribens statim sub τῶν εἰς ἑαυτὸν initium: Παρὰ Διογνήτου τὸ ἀχρεῖον σπουδὸν (ἔμαθον) καὶ τὸ ἀπιστικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν περιτρεχόντων, καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδὰς, καὶ περὶ δαιμόνων ἀποπομπὰς καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις. *A Diogneto didici, ne rebus inanibus studium impenderem; neve fidem iis haberem quæ a Præstigiatoribus & Magis de incantationibus, deque Dæmonibus averruncandis, ac aliis ejusmodi impostoris dicuntur.* Et notatu omnino dignum est, scriptum esse hunc librum, ut ipse auctor sub ejus finem annotat, apud Qvados ad Granuam, adeoque in ipsa illa expeditione de qua nunc agimus.

M. Antonino cum Magis nihil fuit commercii.

xci. Ceterum quod ait porro Xiphilinus, legionem κεραυνοβόλον a misso cœlitus in Qvados fulmine sic esse nuncupatam, nec ullam afferri posse rationem, cur legio aliqua κεραυνοβόλος cognominata sit, præter istud miraculum, fugit ipsum ratio. Etenim legio XII κεραυνοβόλος, cujus meminit Dio lib. LV, eamque sua ætate Cappadociæ provinciæ impositam fuisse ait, cujus item mentio est in vetustis inscriptionibus, quas post Lipsium recitat Baronius ad ann. CLXXVI, 18. jam tempore Trajani extitit; uti aperte ostendit inscriptio Tergestina,

Legio κεραυνοβόλος an à misso cœlitus in Qvados fulmine sic dicta fuerit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0243
DFG

na, quam exhibet Baronius laudato loco num. XIX, & Scaliger ad Eusebium, num. MMCLXXXIX. Tametsi (ut ὡς ἐν παρόδῳ id moneamus) quod Dione auctore Baronius constare scribit, jam Augusti tempore duodecimam legionem dictam esse fulminatricem, in illo rem acu tangere non videtur. Neque enim ait Dio, tempore Augusti XII legionem dictam esse fulminatricem; sed XIX legiones, e XXIII vel XXV illis, quæ Augusti tempore extiterant, sua ætate superstites, iis nominibus enumerat, quibus tunc, quando isthæc scribebat (scripsit autem sub Severo) insigniebantur. Jam, annon fieri potuit, ut tempore Augusti hæc vel illa legio aliter appellaretur?

Num duæ extiterint legiones κεραυνοβόλοι.

XCII. Sed quid? inqvies, ergo duæ forsan extiterunt legiones κεραυνοβόλοι, quarum altera antiquior, altera Marci demum Antonini ætate ob impetrata precibus suis e cœlo fulmina cognomen illud accepit? Sic certe dicendum videtur. At cur Dio, dum omnes Romani imperii legiones enumerat, non nisi unius κεραυνοβόλου, duodecimæ puta, meminit, illa, cui sub Marco demum appellatio hæc tributa creditur, plane prætermissa? Nodum hunc ita solvit, supra memorato loco, Baronius, ut dicat, quandoquidem ipsemet ibi Dio testetur, exhaustas bello militibus legiones simul aliis admisceri, duasque in unam redigi solitas, accidere potuisse, ut ex duabus fulminatricibus legionibus Severi tempore una confecta fuerit.

Conjectura Baronii.

H. Valesii sententia.

XCIII. Henricus Valesius, Annotat. in Historiæ Eccles. Eusebianæ librum V, cap. V, ita hac de re scribit: *De ipso quidem miraculo pluviæ a Christianis militibus impetratæ*

petratæ & Apollinari & Tertulliano teſtantibus facile credimus: legionem vero Melitinam ob id fulminatricem eſſe dictam a M. Antonino Imperatore, nondum mihi perſvaſit Apollinaris. Dicet forte aliquis, fulminatricem quidem legionem fuiſſe ante tempora M. Antonini; ſed Marcum ob acceptum a Melitina legione beneficium ei quoque fulminatricis cognomen indidiſſe. Verum ſi ita eſſet, ſecunda fulminatrix dici debuerat. Dio tamen nullam ejus mentionem facit, quamvis omnes legiones a ſuperioribus Principibus conſcriptas accurate recenſeat. Sed & fulminatricem illam in Cappadocia ſedes habuiſſe dicit: quod Melitinæ legioni apte convenit. In Notitia imperii Romani, ſub diſpoſitione Ducis Armeniæ recenſetur præfectura legionis 12 fulmineæ Melitinæ, id eſt, apud oppidum Melitinam conſtitutæ. Ex quo colligitur, Melitinam nomen legionis non fuiſſe, ſed oppidi in quo legio 12 fulminea conſiſtebat. Legiones vero a locis, in quibus præſidium agebant, denominare moris non fuit, ſed a regionibus in quibus erant conſcriptæ. Itaque quod de legione Melitina tradit Euſebius, parum mihi probabile videtur. Adde, quod Rufinus hoc legionis nomen, conſulto, ut arbitror, prætermiſit; quippe qui noſſet, Melitinam nomen eſſe oppidi minoris Armeniæ, in quo legio 12 fulminea adhuc ſua ætate prætenderet — Ut ingenue dicam quod ſentio, parum mihi probabile videtur, totam legionem militum Romanorum eo tempore Chriſtianam fuiſſe: quod tamen affirmare videtur Euſebius. Qui & in eo peccat, quod Apollinaris locum non protulit, nec librum ipſum, in quo hæc Apollinaris ſcripſerat, indicavit. Sed & verba, quibus totam hanc narrationem concludit,

satis indicant, ipsum de veritate rei dubitasse. Sic enim ait: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπη τις ἐθέλει τιθέτω. *id est: Sed de his quisque pro arbitrio suo judicet.*

De Christianorum militum miraculo testimonium Eusebii.

XCIV. Locus Eusebii, ad quem ista notat Valesius, sic habet: Μάρκον Αὐρήλιον Καίσαρα λόγος ἔχει Γερμανοῖς καὶ Σαρμάταις ἀντιπαρατατόμενον μάχῃ, δίψει πιεζομένης αὐτοῦ τῆς στρατίας, ἐν ἀμηχανίᾳ γενέσθαι· τοὺς δὲ ἐπὶ τῆς Μελιτινῆς οὕτω καλουμένης λεγεῶνος στρατιώτας διὰ πίστεως ἐξ ἐκείνου καὶ εἰς δεῦρο συνεστώσης, ἐν τῇ πρὸς τοὺς πολεμίους παρατάξει γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος, ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἱκεσίας τραπέσθαι. παραδόξου δὲ τοῖς πολεμίοις τοῦ τοιούτου δὴ θεάματος φανέντος, ἄλλότι λόγος ἔχει παραδοξότερον ἐπικαταλαβεῖν αὐτίκα· σκηπτὸν μὲν εἰς φυγὴν καὶ ἀπώλειαν συνελαύνοντα τοὺς πολεμίους· ὄμβρον δὲ ἐπὶ τὴν τῶν τὸ θεῖον παρακεκληκότων στρατιὰν, πᾶσαν αὐτὴν ἐκ τοῦ δίψους μέλλουσαν ὅσαν οὔπω διαφθαρήσεσθαι ἀνακτώμενον. ἡ δὲ ἱστορία φέρεται μὲν καὶ παρὰ τοῖς πόῤῥω τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου συγγραφεῦσιν, οἷς μέλον γέγονε τῆς κατὰ τοὺς δηλουμένους γραφῆς· δεδήλωται δὲ καὶ πρὸς τῶν ἡμετέρων. ἀλλὰ τοῖς μὲν ἔξωθεν, ἱστορικοῖς, ἅτε τῆς πίστεως ἀνοικείοις, τέθειται μὲν τὸ παράδοξον. οὐ μὴν καὶ ταῖς τῶν ἡμετέρων εὐχαῖς τοῦτο ὡμολογήθη γεγονέναι. τοῖς δέ γε ἡμετέροις, ἅτε ἀληθείας φίλοις, ἁπλῷ καὶ ἀκακοήθει τρόπῳ τὸ πραχθὲν παραδέδοται. τούτων δ' ἂν εἴη καὶ Ἀπολλινάριος· ἐξ ἐκείνου φήσας τὴν δι' εὐχῆς τὸ παράδοξον πεποιηκυῖαν λεγεῶνα οἰκείαν, τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως εἰληφέναι προσηγορίαν, κεραυνοβόλον τῇ Ῥωμαίων ἐπικληθεῖσαν φωνῇ. Μάρτυς δὲ τούτων γένοιτ' ἂν ἀξιόχρεως, ὁ Τερτυλλιανὸς, τῇ Ῥωμαϊκῇ συγκλήτῳ προσφωνήσας ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν. *Marcum Aurelium Cæsarem, cum adversus Germanos & Sarmatas pugnaturus*

aciem

aciem instrueret, & exercitus ipsius siti premeretur, pene ad inopiam consilii redactum esse memorant. Tum vero milites legionis Melitinæ, quæ fidei merito etiam nunc manet, dum acies adversus hostes ordinatur, flexis in terram genibus, ut nostris orantibus mos est, preces ad Deum fudisse perhibentur. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longe majori dignum admiratione accidisse narrant: hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atque exstinctæ sint; illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum qui Deum precati fuerant, jamjam siti periturus, præter spem recreatus est. Atque ea res, tum a scriptoribus a fide nostra penitus alienis, quibus curæ fuit res eo tempore gestas memoriæ mandare, tum a nostris etiam hominibus, refertur. Sed Gentilium scriptores, utpote a religione nostra dissidentes, hoc quidem miraculum commemorarunt; non tamen id nostrorum precibus factum esse confessi sunt. Nostri vero, utpote veritatis cultores, simpliciter atque ingenue rem ipsam literis tradiderunt. Ex his est Apollinaris: qui legionem ipsam, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo fulmineam (ita vocem Græcam κεραυνοβόλον heic vertit Rufinus, conformiter Notitiæ imperii: cum Onuphrius, Scaliger, aliique, *fulminatricem* reddant) *ab Imperatore cognominatam esse scribit. Sed & Tertullianus ejusdem rei idoneus testis est, in Apologetico, quem pro fidei nostræ defensione ad Senatum urbis Romæ Latino sermone conscripsit.*

XCV. Idem Eusebius in Chronico, ad annum Marci XIII, ita hanc in rem disserit: Ἀντωνῖνος αὐτοκράτωρ πυκνῶς

πυκνῶς τοῖς πολεμίοις ἐπέκειτο, αὐτός τε παρὼν, καὶ τοὺς πολεμάρχας ἀποστέλλων καὶ Περτίνακι, καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ ἐν Κουάδοις δίψῃ πιεζομένοις ὄμβρος ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐγένετο· καὶ τοῖς ἀντιτασσομένοις Γερμανοῖς, καὶ Σαρμάταις, σκηπτὸς ἐπέπεσεν, πολλοὺς τε αὐτῶν διέφθειρεν. λέγεται δὲ καὶ ὡς ὕστερον Φέρονται Μάρκου τοῦ Βασιλέως, ἐν αἷς μαρτυρεῖ, μέλλοντα τὸν στρατὸν αὐτοῦ διαφθείρεσθαι τοῖς τῶν χριστιανῶν εὐχαῖς διασεσῶσθαι. *Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus bellis sæpe ipse intererat, sæpe duces nobilissimos destinabat,* (sic Hieronymus; male quidem, ut observat Scaliger. debebat enim vertere: *Antoninus Imp. frequenter hostibus incumbebat, partim præsens, partim duces adversus eos mittens,*) *in quibus semel Pertinaci, & exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso, pluvia divinitus missa est; quum e contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant literæ M. Aurelii, gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.*

Tertulliani. XCVI. Tertulliani locus, quem Eusebius heic laudat, Apologetici capite v legitur, & ita habet: *De tot Principibus ad hodiernum* (Severum) *divinum humanumq; sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos e contrario edimus protectorem; si literæ Marci Aurelii, gravissimi Imperatoris, requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte* (particula hæc sæpius apud Tertullianum, Cyprianum, aliosque Afros, παρέλκει) *militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut non palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit;*

vit: ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Jungi possunt quæ idem habet auctor libro ad Scapulam cap. IV: *Marcus Aurelius, in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit.* Quæ Tertulliani cum partim ad ipsos Romanos Antistites scripta sint, partim ad Asiæ Proconsulem, & quidem eo tempore ubi in vivis adhuc erant qui de re tota testificari possent, atque a vero aliena tradentes palam mendacii convincere, quis non videt majora esse omni exceptione testimonia? Et qui verosimile sit, gravissimum hunc scriptorem rem secus ac gesta erat narrare voluisse, falsique se crimine fœdare, dum id unice agebat, ut Christianorum vitam innoxiam commonstraret, & a vitiis, qualia Pagani ipsis intentabant, alienam? Certe penitus causa se casurum intelligebat facile, si vel levissimi commenti a Christiani nominis hostibus argui posset: præsertim vero in maximam se criminationem incursurum perspiciebat, si, quæ Antonini pietate & precibus parta esset victoria, ipse Christianis tribuere auderet. Taceo, quod non incerto vulgi rumore, aut levi quadam opinione nixus hæc scribat Apologeta, sed ad ipsas Imperatoris literas provocet.

XCVII. Earundem literarum mentionem porro etiam facit Orosius, scribens libro VII Historiæ suæ cap. XV: *Hoc quidem bellum* (Marcomannicum) *providentia Dei administratum esse, cum plurimis argumentis, tum præcipue epistola gravissimi ac modestissimi Imperatoris apertissime declaratum est. Nam eum insurrexissent gen-* *Oroſii.*

tes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atq; omnis pene Germania, & in Quadorum usque fines progressus exercitus, circumventusque ab hostibus, propter aquarum penuriam præsentius sitis quam hostis periculum sustineret; ad invocationem nominis CHRISTI, *quam subito magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palam fecerunt, tanta vis pluviæ effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine iniuria refecerit, Barbaros autem, crebris fulminum ictibus territos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit. Quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes, glorioſissimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi parvoque militum numero, sed potentissimo* CHRISTI *auxilio, reportarunt. Extare etiam nunc apud plerosque dicuntur literæ Imperatoris Antonini, ubi invocatione nominis* CHRISTI *per milites Christianos & sitim illam depulsam, & collatam fatetur fuisse victoriam.*

Epistola quæ sub M. Antonini nomine ad calcem Apologiæ Justini hodie legitur, adulterina.

XCIIX. Sane hodie etiamnum sub M. Antonini nomine hujus argumenti literæ circumferuntur. Verum de eo sic judicat vir summus, Josephus Scaliger, ad Eusebium num. MMCLXXXIX: *Illa epistola, quæ nomine Marci Aurelii Antonini super hac re ad calcem Apologetici posterioris apud Justinum legitur, tantum abest ut ab ipso Imperatore Græce dictata, aut ex Latino ipsius in Græcum sermonem translata sit, ut infra seculum Justiniani Imperatoris ab imperitissimo rerum Romanarum Græculo confictam fuisse manifesto appareat. Inscitia autorem ipsum satis prodit.* Imo non extitit hæc epistola tempore Eusebii, aut certe ipsi ad manum non fuit: alias *eam*

Græce

Græce a se conversam (Latinis enim verbis concepta fuit, cum Imperator non alia lingua quam Latina ad Senatum scriberet) *in sua Historia Ecclesiastica posuisset: quæ est ejus diligentia, nulla ejusmodi monumenta prætermittere, ne Latina quidem, quæ ipse Græce convertere solet, ut multa ex Tertulliano*; rursus ait, memorato loco, Scaliger, apud quem plura huc facientia perquam erudita legi possunt. Videantur etiam, qui idem cum Scaligero heic sentiunt, Salmasius in Julii Capitolini Marcum Aurelium, & Huetius Demonstr. Evang. propos. III, 19.

XCIX. Card. Baronius, Annal. ann. CLXXVI, 14. de legione, quam nunc consideramus, fulminea etiam accipit, quæ Gregorius habet Nyssenus orat. II in XL milites martyres Sebastæ in Armenia passos; *Ab his*, inquiens, *militibus Christianis, qui tum insigne miraculum ediderunt, encomium auspicatus est* Gregorius, *ea nimirum occasione, quod gentiles ferme essent, nempe Armeni omnes. Nam quod ait Eusebius, Melitinam eam legionem fuisse ante dictam, id accidit, quod Melitinenses essent populi in Armenia, unde illi nomen deductum esse videtur.* & post recitata Nysseni verba: *Gregorius hæc pro concione narrans plane innuit, eos, quos celebrat, licet diversis temporibus ab istis claruerint, tamen his fidei imitatione fuisse conjunctos, qui & genere & patria æque gentiles essent, & fortasse ejusdem milites legionis. Nam apud Romanos vetus illa erat consuetudo, easdem perseverare nomine legiones, easque, nisi penitus periissent, loco mortuorum novis semper militibus suffici solitas.* At Gregorium audiamus. Ἦν τι τάγμα στρατιωτικὸν παλαιὸν, ait ille, κατὰ τὴν γείτονα πόλιν παντὸς τοῦ ἔθνους πρὸς τὰς τῶν βαρ-

Gregorii Nysseni de Christianorum militum miraculo testimonium.

βαρβάρων ὁρμὰς προσκρήμνων· ἐκείνοις ἓν ὑπῆρχε σωτηρίας πλεῖον ἡ πίστις τῶν ζακλικῶν ἐπισφάλλεσθαι, καὶ ἴσως οὐκ ἄκαιρον ἓν τι κατόρθωμα τῆς πίστεως τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων ἐν προδοσίᾳ διηγήσασθαι. Συσκηνῶν δὲ αὐτοῖς ποτε τὸ πρὸς τὰς βαρβάρους πλέον, καὶ τῶν ἀπαλλαγέντων προκαταληφθέντων ὑπὸ τῆς τῶν ἐναντίων σφαλίας, καὶ τῶν ὑδάτων ἐν τῇ τῶν ἐχθρῶν ἐξουσίᾳ γεγενημένων, εἰς ἔσχατον ἐλθόντες κίνδυνον, εἴτε δι' ἀπειρίαν τῶν τῆ ἡμέτερα στρατηγούντων, εἴτε διά τινα κρείττονα καὶ θειοτέραν οἰκονομίαν, ὡς ἂν μάλιστα καὶ διὰ τοῦτο φανείη τῶν χριστιανῶν τὸ πρὸς τὰς ἀλλοφύλους διάφορον· ἐπειδὴ οὐκ ἔχον ὅ, τι χρήσουσι τοῖς παροῦσι, καὶ πολλή τις ἦν ἡ ἀμηχανία, ἀδημίας αὐτοῖς πίδακον ἡ ἀπορροίας ὑδάτων ἐμφαινομένης τῷ τόπῳ, καὶ κίνδυνον ἦν ὑποκύψαι τοῖς ἐναντίοις ἐκπολιορκηθέντας τῷ δίψει· τότε καταλιπόντες οἱ γενναῖοι τὴν ἐκ τῶν ὅπλων βοήθειαν, ἔγνωσαν τὴν ἄμαχον καὶ ἀκαταγώνιστον ἐν τοῖς φοβεροῖς ἐπικαλέσασθαι συμμαχίαν. ἀφέντες δὲ ἐπὶ τὸ στρατόπεδον τὰς μήπω προδεδειγμένους τὴν πίστιν, καὶ ἐφ' ἑαυτῶν ἰδιάσαντες, μιμοῦνται τὴν ἐπὶ Ἠλίᾳ τοῦ προφήτου γενομένην θαυματουργίαν, κοινῇ τῇ φωνῇ καὶ συντεταγμένῃ λύσιν αὐτοῖς ἐξ ἀμηχάνων γενέσθαι τῆς συμφορᾶς αἰτησάμενοι. καὶ οἱ μὲν ἤυχοντο· ἡ δὲ εὐχὴ προσχῆμα ἔργον ἐγίνετο. ἔτι γὰρ αὐτῶν τῇ γονυκλισίᾳ προσκαρτερούντων, πνεύματι ἰσχυρῷ νεφέλη ποθὲν ἐπολῃσθεῖσα, μετέωρον ὑπὲρ τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον ἵστατο· εἶτα βρονταὶ ἐξαισίως ἐπικλυπήσασι, καὶ ἀστραπαὶ φλογώδεις ὕδωρ παμῶν ἀφθονώτερον, ὥστε τοῖς μὲν ὑπεναντίοις καὶ τῶν σκηπτῶν τὴν συνέχειαν, καὶ τὸ πλῆθος τῆς ἐμβολῆς ἄλυτον γενέσθαι παντελῶς καταφθοράς. τούτοις δὲ τοῖς διὰ τῶν εὐχῶν προδεδιαξαμένοις, ἱκανὸν πρὸς ἀμφότερα γενέσθαι, πρός τε τὴν νίκην τῶν αὐλιτεταγμένων, καὶ πρὸς τὴν προμυθίαν τῆς δίψης, τῆς τῶν χειμάρρων ἀπορροῆς ἀφθόνως αὐτοῖς τὸν

πάντα

ποτὸν χορηγήσης. *Erat vetus quædam circa vicinam urbem militum manus, præsidium totius gentis adversus impetus Barbarorum. Illis, ex quadam ante oblata divinitus apparitione, majori studio fides erat, quam res ac disciplina militaris. Ac forsitan non intempestivum fuerit, unum quoddam fidei virorum illorum facinus egregium obiter commemorare. Bello enim eis adversus Barbaros aliquando conflato, cum, omnibus locis oportunis ab exercitu hostium præoccupatis, aquæ etiam in eorum potestate essent, ad extremum periculum redacti; sive imperitia nostrorum Ducum, sive meliore ac divino magis consilio atque dispositione: ut vel per hoc maxime appareret, quid interesset inter Christianos atque externos & a fide alienos; cum nulla ratione rebus præsentibus mederi possent, magnaque trepidatio ac desperatio esset, cum nullus fons in eo loco, aut aliunde provenientis aquæ facultas eis appareret, periculumq; esset, ne siti expugnati ab adversariis subigerentur: tunc præclari illi atque egregii, omisso armorum præsidio, invictum, cuive resisti non posset, auxilium in rebus asperis animadverterunt. Relicti enim in castris qui nondum fidem receperant, ac per se separati, imitantur id quod tempore Eliæ Prophetæ factum est miraculum, communi atque coniuncta voce precibus petentes, ut ex rebus desperatis, in quas incidissent, eriperentur. Atque illi quidem precabantur; preces vero extemplo in opus convertebantur. Cum enim adhuc ipsi in oratione perseverarent, flatu violento nubes aliunde coacta sublimis in aëre castris hostium imminebat: deinde fragoribus ingentibus superintonans, & fulgurum in subjectos incendia immittens, aquam fluminibus vehementiorem præcipitabat, adeo ut ad-*

versariis quidem tum continentia fulmina, tum continuationis imbrium vis, extremi exitii causa existeret; his vero qui precum aciem opposuerant, ad utraque sufficeret, tam ad vincendos hostes, quam ad sitis levamen; quippe defluentibus torrentibus abunde potum suppeditantibus.

Locus ille de passis sub Licinio 40 militibus perperam a nonnullis accipitur.

c. Non desunt qui Gregorii locum hunc ita accipiant, quasi ab ipsis illis XL militibus, quorum memoriam oratione ea celebrat, miraculum istud editum fuisse diceret; ut historia narretur heic, non quæ sub Marco Antonino, sed diu post sub Licinio contigerit, quam vis priori illi simillima. Ceterum haud dubie falluntur hi. Ut enim non dicam, vix credibile esse, diversis adeo temporibus & locis accidere potuisse quæ in omnibus circumstantiis tam sibi accurate respondeant; certe ipsa Gregorianæ orationis series monstrat, alios esse quorum miraculum, alios quorum ibi celebratur martyrium. Postquam enim de *manu militum veteri* (τάγματι στρατιωτικῷ παλαιῷ) quæ paulo ante recitavimus narraverat, hæc subjungit: τούτοις δέουν συνεπάχθη ὁ ἡμέτερος τῆς στρατιᾶς χορὸς, ἀπ' ἐκείνων τῶν διηγημάτων καὶ αὐτοὶ πρὸς τὴν πίστιν κυρωθέντες, καὶ τοῖς ὁμοίοις ἐντραφέντες ἐπιτηδεύμασιν, εἰς τοσοῦτον μεγαλοφυΐας ἐπήρθησαν, ὥστε τῷ φθόνῳ τῆς ἀρετῆς, καθ' ἑαυτὸν ἀναζῆσαι τὸν φθόνον. *His igitur adjunctus est etiam noster cœtus, eorum qui de exercitu narrationibus illis etiam ipsi circa fidem confirmati, & in iisdem studiis & exercitiis innutriti, in tantam animi indolem ac magnitudinem evecti sunt, ut excellentia virtutis adversus sese invidiam excitaverint.* Et si miranda tanta patrassent milites illi martyres quadraginta, qui id tacuerint in consecratis eorum honori sermonibus Gregorius M. & Gaudentinus Brixianus?

ci. Ut

Impetrata Christianorum precibus a vero Deo beneficia Jovi suo tribuebant Gentiles.

CI. Ut vero ad propositum revertamur, ex hucusque dictis manifestum esse censemus, non magicis artibus aut probitati Cæsaris imputandum esse e cœlo obtentum illud pluviæ beneficium, sed ardentissimis Christianorum precibus. Quadrantque huc egregie quæ habet Tertullianus, libro ad Scapulam cap. IV: *Quando non geniculationibus & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Tunc & populus adclamans Deo Deorum, & qui solus potens, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit.* ac Apol. cap. XL: *Cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem* (Gentiles) *quotidie pasti, statimq; pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denunciatis, Cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus exspectatis, aversi ab ipso Deo & Cœlo. Nos vero, jejuniis aridi, & omni Continentia expressi, ab omni vitæ fruge delati, in sacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus: & cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur.* Quæ quidem heic etiam accidisse, monumentum docet in miraculi istius memoriam Jovi Pluvio dicatum: de quo vide Baronium ad ann. CLXXVI, 24. Casalium de Veteribus sacris Christianorum ritibus part. I, cap. III, Angeli Rocchæ Bibliothecam Vaticanam pag. 288. At non sunt inter vanitates gentium qui pluviam edant aut imbres; sed Ihova est qui nimbos efficit, Jer. XIV, 22. Zach. X, 1. Is est qui tonat voce sua mirabiliter, facitque res adeo magnas, ut non possimus cognoscere, Job. XXXVII, 4. seqq. qui depluit super improbos prunas, ignem, & sulphur, Ps. XI, 6. emittensque sa-

gittas suas dispergit illos, & fulgura jaculans fundit illos, Ps. XIIX, 15. Confer Gen. XIX, 24. Ex. IX, 23. seqq. Jos. X, 11. Ezech. XXXIIX, 22. 23. Et tantum de legionis κεραυνοβόλȣ prodigio. cum quo conferri possunt quæ leguntur II Maccab. X, 30. quæque habent Rufinus Histor. Eccl. lib. II, cap. XXIII, Socrates lib. V, cap. XXV, Augustinus lib. V de Civ. Dei cap. XXVI, Theodoritus lib. V, cap. XXIV, & lib. II, cap. XXX, Marcus Gazensis apud Baronium ad ann. CCCXCIIX, 101. seq. Cuspinianus in Heraclio.

M. Antoninus accusare Christianos tandem, & quidem sub capitali supplicio, vetuit.

CII. Ad propositum ut revertamur, effectum est, ceu jam supra dicere cœpimus, tam insigni maximeque memorabili Christianorum militum beneficio, ut mitius aliquanto cum nostris ageretur. Tametsi enim *non palam ab ejusmodi hominibus pœnam* Marcus *dimovit*; seu, tametsi edictum, quo pœnæ Christianorum inhiberentur, nullum publicavit, tamen *alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore*; quemadmodum Tertullianus scribit Apol. cap. V. Vide supra cap. IV, 18. Atque hinc imperante Commodo Apollonii delatori crurifragium inflictum Eusebius memorat Historiæ suæ lib. V, cap. XXI. Verba ejus: ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων πόλεως Ἀπολλώνιον, ἄνδρα τῶν τότε πιστῶν ἐπὶ παιδείᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ βεβοημένον, εἰς δικαστήριον ἄγει (ὁ δαίμων) ἕνα γέ τινα τῶν εἰς ταῦτα ἐπιτηδείων αὐτȣ̃ διακόνων, ἐπὶ κατηγορίᾳ τἀνδρὸς ἐγείρας. ἀλλ' ὁ μὲν δείλαιος παρὰ καιρὸν τὴν δίκην εἰσελθὼν, ὅτι μὴ ζῆν ἐξὸν ἦν κατὰ βασιλικὸν ὅρον τȣ̀ς τῶν τοιῶν δὲ μηνυτὰς, αὐτίκα κατάγνυται τὰ σκέλη, Περεννίȣ Δικαστȣ̃ τοιαύτην κατ' αὐτȣ̃ ψῆφον ἀπενέγκαντος. *Verum Romæ Apollonium quendam e numero fidelium, qui in humanioribus literis & in Philosophia eximius habebatur, in judi-*

In Apollonii delatorem crurifragio animadversum.

num. 105.

judicium adduxit Dæmon, *suscitato ei accusatore homine quodam perditissimo, qui ad hujusmodi flagitia idoneus inprimis minister Dæmonis videbatur. Sed miser, intempestive susceptâ accusatione, cum ex Imperatoris edicto capitalis pœna in eos qui talia detulissent esset constituta, confestim fractis cruribus occiditur, Perenne ejusmodi adversus ipsum sententiam pronunciante.*

CIII. Imo non desunt, qui miraculoso illo nimbo commotum Imperatorem, etiam ad honores aditum nostris aperuisse existiment. Quo referunt, quod ex Ulpiani libro III de officio Proconsulis habetur l. III. §. ult. D. de Decurionibus: *Eis qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divi Verus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitates eis imposuerunt quæ superstitionem eorum non laderent.* At quamvis per eos qui Judaicam superstitionem sequuntur, Christianos Ulpianum heic intelligere non negemus (vide librum I de Calumniis Paganorum cap. III, 7.) occasionem tamen sanctioni isti milites nequaquam dare potuisse Christianos, ad quorum preces imbrem exercitui Romano Deus indulsit, inde satis liquet, quod ejus auctor Lucius quoque Verus citatur, Marci collega, qui jam ante bellum Marcomannicum apoplexia correptus obierat.

Eundem Imperatorem, militum precantium miraculo inductum, etiam ad honores aditum Christianis patefecisse, quidam, sed lubrico fundamento nixi, existimant.

CIV. Neque etiam parta Christianorum militum beneficio Antonini benevolentia eo debet extendi, ac si prorsus & ubique sub illius imperio cessaverit Ecclesiæ persecutio. Aliud namque Theophili Antiocheni, qui, teste Eusebio in Chronico, tempore Marci Antonini vixit, & sub Commodo obiit, nos docet testimonium, libros suos ad Autolycum ita claudentis: τὰς σε-

Persecutio etiam post bellum Marcomannicum non prorsus cessavit sub M. Antonino.

βομένους αὐτὸν (ἄφθαρτον Θεὸν) ἐδίωξαν (οἱ Ἕλληνες) καὶ τὸ καθ' ἡμέραν διώκουσιν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῖς εὐφώνως ὑβρίζουσι τὸν Θεὸν ἄθλα καὶ τιμὰς τιθέασι. τοὺς δὲ σπεύδοντας πρὸς ἀρετὴν, καὶ ἀσκοῦντας βίον ὅσιον, οὓς μὲν ἐλιθοβόλησαν, οὓς δὲ ἐθανάτωσαν. καὶ ἕως τοῦ δεῦρο ὠμοῖς. αἰκισμοῖς περιβάλλουσι. *Illos qui ipsum* (Deum immortalem) *venerantur, hucusque persecuti sunt* Gentiles, *nec adhuc hodie persequi cessant; imo iis, qui verborum quibusdam illecebris Deum convitiantur, præmia & honores decernunt. Eorum autem qui festinant ad virtutem capessendam, sanctamque vitam agunt, quosdam lapidibus obruerunt, quosdam interfecerunt. Et adhuc hodie non cessant Christianos crudelissime ac immanissime virgis cædere.*

Melior conditio Ecclesiæ sub Commodo.

CV. Sub Commodo, Antonini Patris in imperio successore, melior Christianorum fuit conditio. Sic enim Eusebius Histor. Eccl. lib. v, cap. XXI: Κατὰ τὸν τῆς Κομόδου βασιλείας χρόνον μεταβέβλητο ἐπὶ τὸ πρᾷον τὰ καθ' ἡμᾶς, εἰρήνης σὺν θείᾳ χάριτι τὰς καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης διαλαβούσης ἐκκλησίας. ὅτε καὶ ὁ σωτήριος λόγος ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων πᾶσαν ὑπήγετο ψυχὴν ἐπὶ τὴν εὐσεβῆ τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ θρησκείαν· ὥστε ἤδη καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμης εὖ μάλα πλούτῳ καὶ γένει διαφανῶν πλείους ἐπὶ τὴν σφῶν ὁμόσε χωρεῖν πανοικί τε καὶ παγγενῆ σωτηρίαν. *Commodo imperium Romanum obtinente, res nostræ in tranquilliore statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum Ecclesias complexa. Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quamplurimos ad religiosum summi Numinis cultum pertrahebat: adeo ut multi ex iis qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa*

versa domo ac familia salutem consecuturi accurrerent. Quæ quidem tanto magis Commodi miranda moderatio, quanto crudeliorem cetera tyrannum fuisse eum constat; ut quem *Carnificem saviorem Domitiano, impuriorem Nerone,* teste apud Lampridium cap. XIX Maximo Mario, ipse Senatus proclamare non dubitavit. Videtur autem benevolentia hæc Martiæ tribuenda Concubinæ: quam Christianorum fuisse studiosam, &, quod apud Commodum magnæ esset existimationis, multa in eos beneficia contulisse, Dio Cassius, sive ex illo Xiphilinus, memorat.

Interim & tunc martyrio coronatus Apollonius.

CVI. Nec tamen adeo pacata tunc & tranquilla fuisse tempora, quin turbo interdum aliquis Ecclesiam inquietaret, docere possunt quæ supra recitatis statim subjicit Eusebius. Ubi enim de pace Christianorum sub Commodi imperio dixisset, οὐκ ἦν δὲ ἄρα, pergit, τοῦτο τῷ μισοκάλῳ δαίμονι βασκάνῳ ἔνδι τὴν φύσιν οἰσόν. ἀπεδύετο γοῦν αὖθις ποικίλας τὰς καθ' ἡμῶν μηχανὰς ἐπιτεχνώμενος. *Verum infestissimus bonis omnibus Damon & suopte ingenio invidus istud ferre non potuit. Rursus igitur varias adversus nos machinas commentus armatur.* Cumque de accusato Romæ Apollonio narrasset supra jam recitata, ejus mox passionem sic describit: ὁ θεοφιλέστατος μάρτυς, πολλὰ λιπαρῶς ἱκετεύσαντος τὸ δικαστὸ, καὶ λόγον αὐτὸν δοῦναι τῆς συγκλήτου βουλῆς αἰτήσαντος, λογιωτάτην ἐπὶ ἧς ἐμαρτύρει πίστεως ἐπὶ πάντων σοφωτάτων ἀπολογίαν, κεφαλικῇ κολάσει ὡς ἐπὶ δόγματος συγκλήτου τελειῶται. μὴ δ' ἄλλως ἀφεῖσθαι τὰς ἀπαξ εἰς δικαστήριον παρελθόντας, καὶ μηδαμῶς τῆς προθέσεως μεταβαλλομένους, ἀρχαίᾳ παρ' αὐτοῖς νόμῳ κεκρατηκότος. *Martyr Deo acceptissimus, cum*

num. 101.

cum Judex multis eum precibus obsecrasset, petiissetq; ab illo, uti coram Senatu rationem fidei suæ redderet, elegantissima oratione pro defensione fidei suæ coram omnibus pronunciata, capitali supplicio a Senatu damnatus est. Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi a proposito discederent, nequaquam dimitterentur.

CAPUT VI.

DE PERSECUTIONE SEXTA, SUB SEVERO.

Conf. Morhemii comm. de stat. apologetici Tertulliani, et initio persecutionis sub severo.

CONSPECTUS.

I. *Septimii Severi vita.*
II. *Tertulliani Apologeticus Severianæ persecutionis occasione scriptus.*
III. *Initio principatus Severi satis feliciter Christianorum res fuerunt comparatæ.*
IV. *Severus aliquando Christianis favit, & quare.*
V. *Quis ille Proculus, a quo Severum oleo curatum esse scribit Tertullianus.*
VI. *Ecclesia ante, quam ipse in eam Imperator sævire inciperet, multa a Plautiano aliisq; provinciarum Præsidibus perpessa fuisse videtur.*
VII. *Occasio Severianæ persecutionis.*
VIII. *Miles Christianus, lauream castrensem gestare detrectans, pacem turbat Ecclesiæ.*
IX. *Factum illud, fervide defensum a Tertulliano Montanista, Catholicis Christianis displicuit.*
X. *Coronarum & laurearum usum veteres respuebant Christiani.*
XI. *Dei servos sponte se persecutoribus offerre non debere, docet ex Joh. II, 53. Origenes.*

XII. Te-

XII. *Temeritas ejusmodi Quinto cuidam Phrygi male cessit.*
XIII. *Affectatis martyriis etiam locum Matth. 10, 23. opponit Origenes.*
XIV *Quemadmodum ante eum fecerat Clemens Alex.*
XV. *Gregorius item facit Naz.*
XVI. *Smyrnæi.*
XVII. *Cyprianus.*
XIIX. *Tertullianus etiam ipse fugam probavit initio.*
XIX. *Persecutionis Severianæ post promulgatum Cæsaris edictum atrocitas.*
XX. *Alexandrina persecutio. ubi passus Leonides, pater Origenis.*
XXI. *Origenes, martyrii cupidus, quo minus voti fieret compos, a matre prohibebatur.*
XXII. *Idem hærentem in vinculis patrem ad fidei constantiam est hortatus.*
XXIII. *Martyres ex schola Origenis.*
XXIV. *Basilides qua occasione ad martyrium pervenerit.*
XXV. *Potamiænæ martyrium, ejusq; matris Marcellæ.*
XXVI. *Perpetuæ & Felicitatis pro Christo certamen.*
XXVII, XXIIX. *Augustini de iis testimonia.*
XXIX. *Acta vetusta de Perpetua.*
XXX. *Eadem de Felicitate.*
XXXI. *De gravidarum differendo supplicio lex antiquissima.*
XXXII. *Passio Perpetuæ, Felicitatis, Revocati, Saturnini, Saturi.*
XXXIII. *Martyres Scillitani.*
XXXIV. *Martyres post pronunciatam sententiam gratias Deo agebant.*

I.

SExtus in Ecclesiam insurrexit SEPTIMIUS SEVERUS, rerum Romanarum ab anno Christi CXCIII moderator. In quo, dicente Herodiano, omnia mirabilia. Nempe, ut idem mox subjicit, & confirmat Dio Cassius (cujus Historiæ de Severo partem nobis præter Xiphilinum servavit Constantinus Porphyrogennetus in Col-

Septimii Severi Vita.

lectaneis περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, ab Henr. Valesio editis) ingenio fuit acutissimo & excellentissimo. Literis doctum fuisse, Philosophiæ scientiam ad plenum adeptum; præterea declamandi, imo cunctis liberalium deditum studiis, Eutropius testatur ac Aurelius Victor. Quibus per omnia consentiens Ælius Spartianus, inprimis Latinæ Græcæque linguarum scientiam in eo laudat, insuperque Matheseos peritissimum fuisse affirmat. Dio tamen lib. LXXVI, disciplinarum studiosum potius quam peritum fuisse ait, ac proinde sensibus magis quam verbis abundasse: uti quidem is locus plenius in Excerptis Valesianis legitur, quam in Xiphilini epitome. Tantus in eo discendi ardor fuit, ut, in Ægyptum profectus, res occultas ibi penitusque abditas perquireret. Nihil enim divinarum aut humanarum rerum fuit quod ille non voluerit perscrutari. Præterea libros omnes, quibus arcana continentur, quique potuerunt inveniri, ex omnibus fere adytis sustulit, ut narrat Dio lib. LXXV. Insigni fuit animi patientia, atque in laboribus perseverantia, vitæque assuetus duræ & asperæ. Hinc iter faciebat sine intermissione, algoris & æstus juxta patiens. Sæpe enim per altissimos montes hyeme sæva, nivibus cœlo ingruentibus, ibat aperto capite, ut milites ad alacritatem patientiamque laborum re ipsa cohortaretur, ceu scribit Herodianus. Quin adeo in rebus gerendis acrem & industrium fuisse ait Dio, ut dixerit moriens: agedum, si quid nos oporteat facere. Criminari solitus est incontinentes, ob eamque causam leges de mœchis tulit, ex quibus quamplurimi in jus vocati; adeo ut Dio testetur, se, ubi Consul esset, scriptum

ptum inveniſſe in tabulis, tria millia mœchorum eſſe accuſata. Felix fuit ac prudens, armis præcipue, adeo ut, dicente Aurelio Victore, nullo congreſſu niſi victor diſceſſerit. Hinc apud Herodianum clariſſimus audit omnium Imperatorum bellicis operibus; quod nec civiles nec externas totidem alius quisquam victorias reportaverit. Futura, ut Dio lib. LXXIV ait, prævidebat acriter, & quod erat in manibus, tutiſſime adminiſtrabat. Ad hæc obſcura quæque tamquam manifeſta deprehendere, ambigua negotia haud minus quam expedita diſcernere, denique difficillimum quidque nullo negotio conficere poterat. Nullam imperii partem, eodem Caſſio auctore, omiſit. Nam & cauſis audiendis vacavit, & cuncta, quæ ad imperium pertinent, adminiſtravit. Gratus erga amicos erat, graviſſimus inimicis, diligens in rebus gerendis, famæ ſuæ negligens. In prima pueritia, ut Spartianus narrat, nullum alium inter pueros ludum, niſi ad Judices, exercuit, cum ipſe, prælatis fascibus aut ſecuribus, ordine puerorum circumſtante, ſederet ac judicaret. Quamquam vero ob memoratas ante virtutes optimi Principis elogio vel maxime dignus videri poſſit Severus (unde fortaſſis etiam factum, ut eo præclariorem in republica fuiſſe neminem ſcribat Aurel. Victor) ſi tamen vitia ipſius cum virtutibus conferas, parum aberit quin calculum adjecturus ſis Dioni Caſſio, nihil in Severo fuiſſe boni Principis, ex facinoribus ejus Principem minime decentibus colligenti. Scilicet non homo ſolum perfidioſus fuit, plenus fraudis & inſidiarum, ſed iracundo quoque ingenio, ferox, immitis, ſanguinarius, nec magna cauſa indigens ad

ferendas injurias, ut scribit Herodianus; imo natura sævus; quod Eutropius ait & Orosius; ita ut esset Imperator vere nominis sui, vere Pertinax, vere Severus, dicente Spartiano. Etsi enim, ingressus in urbem, non solum, nullum Senatorem suo jussu interfectum iri juravit, sed publico etiam decreto sanxit, quod Imperator, si Senatorem morte afficeret, & is cujus opera ad hanc rem uteretur, liberique ipsorum, hostes reipublicæ essent futuri, primus tamen omnium legem istam violavit, multosque sustulit, narrante Dione Cassio. qui & ipse nonnullas a Severo perpetratas cædes postea commemorat, diligentius tamen ab Ælio Spartiano notatas. Nempe erat unus omnium mortalium ad amorem simulandum maxime factus, sic ut ne jusjurandum quidem fallere dubitaret, si ita usus posceret; longeque aliud in lingua promptum quam in animo reconditum gerebat, ut scribit Herodianus. Qui deinceps Seniorum quorundam de Severo judicium adducit, clanculum populo prædicentium, versipellem hunc esse hominem, nihil non astu & arte tractantem, simulatorem dissimulatoremque idoneum; nihil pensi habentem, dummodo efficeret quæ usui sibi aut emolumento fore arbitraretur. Levissima sæpe de causa eum sæviisse, indicio esse potest, quod Crispum occidit, Prætorianorum militum Tribunum, quia, defessus belli laboribus, ac ira incitatus, carmen quoddam Maronis cecinerat; & Lætum, quia vir prudentissimus, & militibus charus erat. Damnabantur plerique, cur jocati essent, alii, cur tacuissent, alii, cur pleraque figurata dixissent, ait Spartianus.

11. Hoc

11. Hoc Severo imperante sexta (Eusebio, Augustino, & Orosio, quinta) persecutio orta est. quæ ansam dedit Q. Septimio Florenti Tertulliano, Carthaginensi Presbytero, ut suum adversus Gentes Apologeticum ederet, Romanique imperii Antistitibus inscriberet, *cunctam*, ut ait alicubi Hieronymus, *seculi disciplinam continentem.* In quo ostendit, Christianos iniquissime tractari, & de perversa torquendi ratione, qua illi excruciabantur, deque odii, quo impetebantur, iniquitate, multum queritur: respondet item ad criminationes, quibus Christiani infamabantur; utpote quos vitam & societatem lædere humanam, Deorumque cultum & Imperatorum majestatem violare, Paganis erat persuasum. omnes, inquam, has calumnias Tertullianus suo illo opere refellit sigillatim, & Christianorum innocentiam, castitatem, pietatem in Deum, obsequium in Principes, contra adstruit. Idem quoque eodem libro supplicia Christianis in hac persecutione illata, & varia a Gentilibus excogitata mortis genera, passim recenset; ita magistratus urbis alloquutus cap. XII: *Crucibus & stipitibus imponitis Christianos; ungulis deraditis latera Christianorum. Cervices ponimus; ad bestias impellimur; ignibus urimur; in metalla damnamur; in insulas relegamur.* cap. XXX: *Nos ad Deum expansos ungula fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* cap. ultimo: *Sarmentitios & Semaxios appellatis* nos Christianos, *quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur.* ac paulo post: *Proxime ad lenonem damnando Christianam, potius*

Tertulliani Apologeticus Severiana persecutionis occasione scriptus.

ep. 84.

quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. Confer cum his libellum egregium, seu orationem, quam, hac persecutione urgente, ad Martyres in carcere constitutos idem misit Septimius. Nam & ibi diversa tormentorum genera enarrans, inter alia cap. IV ait: *Timebit forsitan caro gladium gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis.*

Initio principatus Severi satis feliciter Christianorum res fuerunt comparatæ.

III. Quo autem Severi tempore sævissima hæc in Christianos persecutio excitari cœperit, in contentione versatur. Sane initio principatus ipsius satis feliciter, Christianorum res fuisse comparatas, Nicephorus scribit Callistus Historiæ Eccles. lib. V, cap. II. Verba ejus: Ἦσαν μὲν δὴ κἂν τούτῳ ἠρέμα πως ἔχοντα τὰ ἡμέτερα· καὶ τὰ τῆς πίστεως ἤκμαζε καθημέραν· λόγοις τε καὶ διδασκαλίαις τῶν ἐκκλησιῶν διδασκάλοις ἐπιδιδόντα· καὶ μᾶλλον ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν πόλεων. αὗται δ' ἦσαν, Ἀλεξάνδρειά τε καὶ ἡ τὸν Ἀντίοχον ἔσχε δομήτορα. τά, τε περὶ τὴν Αἰλίαν πᾶσαν καὶ Παλαιστίνην, Ἔφεσόν τε καὶ Καισάρειαν, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑσπέραν, Θεσσαλονίκη, καὶ Ἀθηναῖ, καὶ Κόρινθος αὗται· καὶ τὰ περὶ Γαλλίας· καὶ τὸ πλέον ἐπὶ Ῥώμην αὐτήν. ὡς καὶ αὔτανδρα πλήθη καὶ οἴκους ὅλους προσιέναι τῇ πίστει· καὶ πάντα δρᾷν ἐν ἑτοίμῳ ἔχειν ἤ τι νεωτερίσαι κατὰ τῆς πίστεως. *Tum satis bono loco res nostræ fuere, indiesque fidei professio augmenta sua cepit, Ecclesiasticorum Doctorum scriptis atque doctrinis illam provehentibus; idque in maximis quibusque potissimum urbibus: nimi-*

nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, Æliæ, & per Palæstinam omnem, Ephesi, Cæsareæ, & occidentem versus Thessalonicæ, Athenis, Corinthi: in Galliis & Romæ maxime. Universæ enim multitudines & domus totæ ad fidem accedebant, quidvis facere & pati paratæ, quam ut quidquam contra religionem nostram agerent aut novarent.

Severus alias quando Christianis favit, & quare.

IV. Nimirum faviſſe aliquando noſtris Severum, Tertullianus libro ad Scapulam cap. IV indicium facit, & ita quidem, ut ſimul favoris illius cauſam prodat; *Severus*, inquiens, *pater Antonini* Caracallæ, *Chriſtianorum memor fuit. Namque & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Evhodeæ Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit usque ad mortem ejus: quem & Antoninus optime noverat, lacte Chriſtiano educatus. Sed & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit.*

Quis ille Proculus, a quo Severum oleo curatum esse scribit Tertullianus.

V. Ubi, quis ille ſit Proculus, qui oleo Severum ſanaſſe dicitur, non ſatis liquet. Tertullianus libro de Præſcriptionibus cap. LII, ſectas recenſens diverſas Montaniſtarum (inter quos nondum tunc nomen profiteri cœperat) etiam Procli meminit, Montani aſſeclæ primarii, & cujus ceteri ejus commatis hæretici nomen ferrent. Eundemque τῆς κατὰ Φρύγας αἱρέσεως ὑπερμαχῶντα, *Cataphrygarum* (iidem hi qui Montaniſtæ) *hæreſeos propugnatorem* Euſebius vocat lib. VI Hiſtor. Eccl. cap. XX (confer lib. II, cap. XXV, lib. III, cap. XXXI) quem Gajus, vir diſertiſſimus, oppugnaverit. Porro & Proculi alicujus mentionem Tertullianus injicit libro adver-

versus Valentinianos cap. v. quem *Virginis senectæ & Christianæ eloquentiæ dignitatem* appellat, *virisque sanctitate & præstantia insignibus, qui hæresiarchas instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt*; *Justino* puta, *Philosopho & Martyri*, *Miltiadi*, *Ecclesiarum Sophistæ*, *Irenæo*, *omnium doctrinarum curiosissimo exploratori*, ad latus sociat. Huncque posteriorem a priori nihil differre; sed eundem esse Proculum qui a Tertulliano, adhuc Catholico, inter Hæresiarchas, ab eodem vero jam Montanista inter summos Hæresiarcharum oppugnatores collocetur, Baronius, ad ann. CLXXIII, 36. seq. existimat. Cui subscribere Junium, ex iis quæ ad Tertulliani textum hunc notavit, satis colligitur. Sed & Halloixius sententiæ illi favet, in Notationibus ad vitam Apollinaris cap. II. Obstare autem videtur nominis diversitas; siquidem Proclus alter vocatur, alter. Proculus| Quamquam sane Hieronymus, libro de Scriptor. Eccl. cap. LXX, in Cajo, etiam Montani sectatorem, quicum disputavit Cajus (non Proclum, sed) Proculum appellat. Quomodo legit itidem Græcus Sophronii textus in editione Parisiensi: cum aliæ παλαόκλε habeant. quod nomen tribuit quoque hæretico isti Theodoritus Hæret. fabb. lib. III, 2. Ceterum cum ab eloquentia Proculus a Tertulliano laudetur, conjectant porro Baronius & Junius, Proculum innui Siccensem ex Africa, insignem illum Grammaticum, quo inter alios Latinos Magistro usum esse Marcum Antoninum Imperatorem, qui etiam usque ad Proconsularem dignitatem eum provexerit, Julius Capitolinus auctor est in Marco, cap. II; quemque *doctissimum sui temporis* virum

rum appellat Trebellius Pollio in Æmiliano, tyranno xxi. Atque hunc Proculum, quem & Montano suppetias tulisse, & in Valentinianos stylum armasse, & Marcum Imperatorum latinitate imbuisse, supra laudati auctores credunt, eumdem putant esse illum, qui, Torpacion cognominatus (*Torpæion* legendum censet Bochartus lib. 1 de colon. Phœnic. cap. xvi) Evhodeæ Procurator fuisse dicitur Tertulliano. Sed enim, quod ad Proculum Grammaticum, Marci informatorem, attinet, hunc perperam cum eo confundi cujus Tertullianus meminit libro adversus Scapulam, Isaacus Casaubonus in Notis ad Capitolinum judicat. Quod vero nec is, quem a cœlibatu & eloquentia Christiana idem commendat Tertullianus, Evhodeæ Procurator fuerit, Josephus Scaliger docet ad Eusebium num. MMCCXXIII. *Istum*, inquiens, *Proculum*, (cujus apud Tertullianum ad Scapulam mentio) *ridicule confundunt cum erudito illo, qui in hæreses scripsit, cujus meminit idem in Valentinianos cap.* v. Proculus noster, virginis senectæ & Christianæ eloquentiæ dignitas. *Cujus eloquentissimi & veteris Ecclesiæ scriptoris miror Hieronymum mentionem nullam fecisse. Iste vero Proculus, Euodiæ Procurator, qualium studiorum aut artium fuerit potius quam Theologus, argumento sit, quod feminæ Procurator, & villicus, aut dispensator erat.* Ubi notetur, quod Scaliger ait, Proculum fuisse feminæ Procuratorem. Ponit nimirum vir summus ut certum, recte in textu legi *Evodeæ*, idque esse nomen proprium feminæ; cum alii lectionem hanc suspectam habeant. Pithœus nempe *Evodi* substituendum putat. Quod etiam, præter alios doctissimos viros,

Rigaltio probatur, in Tertullianum commentanti. Verba ejus: *Placet emendatio P. Pithœi, quam & C. Baronius asserit*, Evodi. *Is fuit educatur Antonini Caracallæ, filii Severi, atque in ipsius Severi gratia floruit, ut ex Dione colligitur. Quare & locupletem fuisse, & ad curandas ac dispensandas facultates suas Procuratorem, & hunc quidem Proculum, habuisse, facile crediderim. Atq; ex ea occasione & Proculum istum Severo per oleum Chriano ritu medicinam fecisse. Evodum vero Christianum fuisse, neque ait Tertullianus, neque fit verisimile ex iis quæ per ipsum ad Plautiani cædem curasse Antoninum Dio scribit.*

Ecclesia ante, quam ipse in eam Imperator sævire inciperet, multa a Plautiano aliisq; provinciarum Præsidibus perpessa fuisse videtur.

VI. Sed e diverticulo in viam. Audivimus supra ex Tertulliano, Severum initio Principatus sui Christianis favisse, adeo ut clarissimas feminas & clarissimos viros, hoc est, qui erant Senatoriæ dignitatis in urbe (nam hi solum *clarissimi* tum dicebantur, nec alii dicti sunt ad Alexandri usque Severi tempora, ut in vita ejus monet, Maximum quoque auctorem laudans, Ælius Lampridius cap. XXI) sciens hujus sectæ esse, non modo non læserit, verum & testimonio exornaverit. Et sane in toto suo Apologetico Tertullianus, licet subinde conqueratur, Christianos tempore Severi dire fuisse vexatos, Imperatorem adversus Ecclesiam quidquam molitum esse nullibi dicit, sed eum *constantissimum Principem* appellare non dubitat, cap. IV. Interim, quia idem auctor, loco quem ex scripto ad Scapulam num. IV dedimus, Severum *populo* adversus Christum *furenti in os palam restitisse* ait, & præterea ex Apologetico ipsius de fuso sub Imperatore hoc uirstsi Chnei nonspv, abundē constat, suagi-

suspicantur viri eruditi, antequam ipse Severus Cæsariano gladio in Ecclesiam ferocire occiperet, (quod quando factum sit, deinceps dicemus) inique habitos fuisse nostros a Præsidibus, & præcipue a Plautiano, homine potentissimo & crudelissimo: cujus filiam Antonino filio suo in uxorem Severus dederat, & cui, suscepta adversus Parthos expeditione in orientem proficiscens, urbis regimen commiserat. De hoc nimirum ita Dio Cassius, qui Romæ tunc degebat, lib. LXXV: Πλαυτιανὸς, ὃς δυνατώτατος τῷ Σεβήρῳ, καὶ τὴν ἐπαρχικὴν ἔχων ἐξουσίαν, πλείστους τε ἀνθρώπων καὶ μέγιστα δυνηθεὶς, πολλοὺς μὲν τῶν ἐλλογίμων ἀνδρῶν καὶ ὁμοτίμων αὐτῷ ἐθανάτωσε. *Plautianus, cujus erat apud Severum maxima auctoritas, quique Præfecti potestatem habebat, eratque omnium hominum potentissimus, morte affecit magnum numerum privatorum hominum & optimatum.* Quos inter non paucos fuisse Christianos, probabilis conjectura est. Et notari meretur, quod Spartianus scribit cap. XV, Severum se excusasse de tanta civium cæde, quod ipse nequaquam jussisset. Convenire enim hæc videntur cum eo quod Tertullianus ait, ipsum populo furenti palam restitisse. Neque vero solus Plautianus, sed alii quoque provinciarum Præsides, absentiam Cæsaris nacti, carnificinam in Christianos exercuere, nominatim Vigellius Saturninus, Proconsul in Africa, (cujus meminerunt Acta Martyrum Scillitanorum, apud Baronium ad ann. CCII, & Tertullianus ad Scapulam cap III.) hujusque successor Scapula; ad quem ea de causa peculiarem librum scripsit Tertullianus, monens illum μὴ πρωτομαχεῖν, cum possit & officio jurisdictionis suæ fungi, & humanitatis meminisse, ceu loquitur cap. IV.

Occasio Severiana persecutionis.

VII. Ansam istis motibus inprimis dedisse videtur, quod criminis læsæ majestatis rei haberentur veri Dei cultores: siquidem Tertullianus, illorum defensionem suscipiens, tum in Apologetico, tum in libro ad Scapulam, in eo totus est, ut hanc calumniam amoliatur; demonstrans nimirum, Christianos ex præscripto legis & Ecclesiastica disciplina præ cunctis mortalibus Imperatores colere & venerari, ut pro quibus assidue manibus expansis preces ad Deum fundant, optantes illis *vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt*, ceu loquitur cap. xxx Apologetici. Ex cujus etiam libri cap. xxxv apparet, fraudi fuisse nostris, quod in præstandis in Cæsarum honorem lætitiæ publicæ officiis segniores viderentur. Scribit enim ibi auctor: *Propterea publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant; quia veræ religionis homines, etiam solemnia eorum conscientia potius quam lascivia celebrant. Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? hæccine solemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Qui observant disciplinam de Cæsaris respectu, ii eam propter Cæsarem deserunt: & malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriæ religio deputabitur? O nos merito damnandos! Cur enim vota gaudia & Cæsarum casti, & sobrii, & probi expungimus? cur die læto non laureis*

reis postes obumbramus? Honesta res est, & solemnitate publica exigente induere domi tuæ habitum alicujus novi lupanaris. & mox: *Convenimur Christiani, non celebrando vobiscum solemnia Cæsarum, quo more celebrari nec modestia, nec verecundia, nec pudicitia permittunt; sed occasio voluptatis magis, quam digna ratio persuasit.*

Miles Christianus lauream castrensem gestare detrectans, pacem turbat Ecclesiæ.

IIX. Speciatim vero Gentilium tunc animos exacerbavit temerarium Christiani cujusdam militis ac imprudens facinus. Nempe cum Imperatores, Severus & Caracalla, donativum militibus dari jussissent, idque jam Tribunus singulis ex ordine vocatis erogaret, quidam accessit lauream castrensem in manu tenens, quam in capite ejus gestabant commilitiones. Interrogatus causam, Christianum se esse respondit; proinde non licere sibi laureatum incedere. Raptus igitur in carcerem est, ut causam desertæ idololatriæ lueret. Rem omnem narrat Tertullianus sub initium libri de Corona, qui nihil aliud quam perpetua quædam pro milite isto apologia est. Ipsa viri verba dabimus. *Proxime*, scribit, *facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum. Expungebantur in castris milites laureati* (Nempe singuli milites ex catalogo seu tabella citati adibant, & singulorum nomina, prout quisque donativum accipiebat, expungebantur, ut constaret quis accepisset) *Adhibetur quidam illic magis Dei miles, ceteris constantior fratribus, qui se duobus dominis servire non posse præsumpserat, solus libero capite, coronamento in manu otioso. Vulgata jam & ista disciplina Christianorum relucebat. Denique singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus in nostrum. Tribuno defertur, & persona jam ex ordine accesserat. Statim Tribunus*

bunus; Cur, inquit, tam diversus habitu? Negavit ille cum ceteris sibi licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit. O militem in Deo gloriosum! Suffragia exinde, & res apud Acta, & reus apud Præfectos. Ibidem gravissimas penulas posuit, revelari auspicatus; speculatoriam morosissimam pedibo absolvit, terræ sanctæ insistere incipiens: gladium nec Dominicæ defensioni necessarium reddidit: laurea & de manu claruit. Et nunc russatus sanguinis sui spe, calceatus de Evangelii paratura, succinctus de acutiore Verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrii candida, laurea melius coronandus, donativum CHRISTI *in carcere exspectat.*

Factum illud, fervide defensum a Tertulliano Montanista, Catholicis Christianis displicuit.

IX. Tametsi autem huic militis facinori magno molimine patrocinatus est Tertullianus, ut qui in Montanistarum castra tunc jam secesserat (vide disquisitionem nostram anti-Baron. VII., 83.) Catholici tamen Christiani maxime id improbarunt, quod hoc pacto longa Ecclesiæ tranquillitas temere in discrimen adduceretur. Testis ipse Septimius, pergens supra expresso loco: *Exinde sententiæ super illo, nescio an Christianorum: non enim aliæ Ethnicorum; ut de abrupto, & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: solus scilicet fortis, inter tot fratres commilitones solus Christianus. Plane supereſt, ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias ejusdem Spiritus Sancti respuerunt. Mussitant denique, tam bonam & longam sibi pacem periclitari. Nec dubito, quosdam Scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem. Nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi & Pastores eorum in pace leones, in prælio cervos.*

X. Equi-

x. Equidem Coronarum, laurearum, sertorumque usum communiter veteres respuisse Christianos, negari non potest. Causa erat præcipua, quod sacra sua idololatrica Gentiles laurea coronati administrarent. Videatur, præter Tertullianum lib. de Corona cap. VII, X, XII, Cyprianus sub initium libri de Lapsis, Lactantius lib. VI, cap. cap. XXII, Clemens Alex. Pædagogi lib. II, cap. IIX, alii. Verum eousque id extendendum non erat, ut cum præsentissimo totius Ecclesiæ periculo recusaretur laurea, quam, nec ab idolo desumptam, nec eidem oblatam, sed velut insigne victoriæ in capite gestabant milites, si ovantes aut triumphantes cum Imperatoribus incederent. Quod sæpius fecisse Christianos non est dubium, cum & aliunde, & ex ipso Tertulliano, Apolog. cap. XXXVII, *castra implevisse* eos, sive non parvo numero sub Augustis militasse constet. Vide supra cap. III, 18. seq. & comment. in Epistolam Plinii de Christianis, ad verba: *Omnis ordinis.*

Coronarum & laurearum usum veteres respuebant Christiani.

XI. Graviter Origenes, testimonium Johann. XI, 35. Tom. XXXI commentarii sui expendens, ubi CHRISTUM non amplius palam versatum esse inter Judæos scribit, postquam de ipso interimendo Pharisæi & Sacerdotes primarii consultare cœpissent, ταῦτα, inquit, καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια ἀναγεγράφθαι νομίζω, βουλομένου τοῦ Λόγου ἐπιστρέφειν ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ θερμότερον καὶ ἀλογιστότερον ἐπιπηδᾶν τῷ ἐν τῷ ἕως θανάτου ἀγωνίζεσθαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ μαρτυρεῖν. περὶ τοῦ ὁμολογεῖν τὴν Ἰησοῦν ἀγῶνα, μὴ ἀναδύεσθαι αὐτὴν ὁμολογίαν, μηδὲ μέλλειν περὶ τὸ ὑπεραποθανεῖν τῆς ἀληθείας. οὐκ ἔλαττον δὲ τούτου καλὸν, καὶ τὸ μὴ διδόναι ἀφορμὴν τῷ τηλουτῷ πειρασμῷ, ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ περιίσασθαι

Dei servos sponte se persecutoribus offerre non debere, docet ex Johann. 12, 53. Origenes. Conf. Joh. 19, 39. Matth. 12. 14.

αὐτὸν

αὐτὸν, οὐ μόνον διὰ τὸ περὶ τῆς ἐν αὐτῷ ἐκβάσεως ἄδηλον ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ ἵνα ἡμεῖς πρόφασις γενώμεθα τοῦ ἁμαρτωλοτέροις γενέσθαι, καὶ ἀσεβεστέροις τοῖς οὐκ ἂν μὲν τῷ ἔργῳ τοῦ ἡμῶν ἐκκεχύσθαι τὸ αἷμα γενομένοις ἐνοχοῖς, εἰ τὰ παρ' ἑαυτοὺς ποιοῦντες ἐκκλίνομεν τοὺς μέχρι θανάτου ἡμῖν ἐπιβουλεύοντας, ἐσομένοις δὲ ἐν πλείονι, καὶ βαρυτέρᾳ κολάσει παρ' ἡμᾶς, εἰ φιλαυτοῦντες, καὶ μὴ κατὰ ἐκείνων σκοποῦντες ἐπιδιδώημεν αὐτοὺς τῷ ἀνειρεῖσθαι, οὐ τῆς ἀνάγκης εἰς τοῦτο καταλαβούσης. εἴπερ γὰρ καὶ ὁ πρόφασίς τινι μενόμενος ἁμαρτίας, τῷ αὐτὸς ἐπὶ ταύτην κεκινηκέναι τὸν ἁμαρτάνοντα, τίσει δίκας ἐπὶ τοῖς δι' αὐτὸν ἀνθρώπων τινὶ ἡμαρτημένοις, πῶς οὐχὶ καὶ ὁ παρὼν ἐκκλίναι, ἵνα μὴ ὁ δεῖνα προδότης χριστιανοῦ γένηται, καὶ ἐπίβουλος τῆς κατὰ τὸν Ἰησοῦν θεοσεβείας, μὴ ἐκκλίνας μὲν, καὶ προσπαροξύνας δὲ, οὐχὶ καὶ περὶ τῆς ἐκείνου ἁμαρτίας δώσει λόγον, κἂν τὸ ὅσον ἐπὶ τῇ εἰς τὸ μαρτυρεῖν προθυμίᾳ, καὶ τῇ εἰς τοῦτο ἀνδρείᾳ τιμῆς καὶ ἀποδοχῆς ἄξιος ἢ παρὰ τῷ εὐσεβουμένῳ Θεῷ, καὶ ὁμολογουμένῳ ὑπ' αὐτοῦ σωτῆρι. *Hæc & his similia scripta fuisse censeo, volente Jesu nos advertere, ne iracundius ac inconsideratius insiliamus in certamen mortis, pro veritate testimonium præbituri. Etenim honestum quidem est, si inciderit certamen pro confitendo* JESUM, *confessionem non differre, neque tardare mortem pro veritate oppetere. At non minus quam hoc honestum est, tali tantæque tentationi occasionem non dare; sed omnimodo vitare eam: non solum, quia tanta rei exitus incertus sit nobis, verum etiam, ne nos occasio simus, ut magis peccatores magisque impii fiant illi, qui nondum sanguinem nostrum quidem re ipsa effudisse rei sunt facti, si, quæ in nobis sunt, facientes, declinaverimus eos, qui insidias nobis vel ad mortem usque moliuntur; sed puniendi alioquin majori graviorique pœna nostri*

cau-

causa, si nostri amantes, rebus illorum posthabitis, exposuerimus nos ipsos interficiendos, nulla nos necessitate urgente. Nam si etiam, qui alicui occasio peccati factus fuerit, is pœnas dabit ob ea quæ sui causa peccaverint aliqui homines, quomodo non etiam pœnas daturus est, qui, cum declinandi facultatem habeat, ne proditor ille Christiani sit hominis, & insidiator cultus divini erga Jesum, non declinaverit; imo potius concitaverit? etiamsi, quod ad promptitudinem attinet fortitudinemq;, hæc in re honore ac laude sit dignus apud Deum, quem pie colit, apud Servatorem, quem confessus fuerit.

XII. Ubi quod ait Adamantius, occasionem tentationi dandam non esse, quia tantæ rei exitus incertus sit nobis; prudenter ab eo moneri, inter alia docet Quinti cujusdam exemplum, ab Ecclesia Smyrnensi, in epistola de Polycarpi martyrio encyclica, quam, ex parte recitatatam Eusebio, Usserius integram edidit, his verbis memoratum: εἷς ὀνόματι Κυῖντος φρὺξ, φροσφάτως ἐληλυθὼς ἀπὸ τῆς Φρυγίας, ἰδὼν τὰ θηρία ἐδειλίασεν. οὗτος δὲ ἦν ὁ παραβιασάμενος ἑαυτόν τε καὶ τινὰς προσελθεῖν ἑκόντας. τοῦτον ὁ ἀνθύπατος πολλὰ ἐκλιπαρήσας, ἔπεισεν ὀμόσαι καὶ ἐπιθύσαι. *Quidam oriundus e Phrygia Quintus nomine, qui nuper ex patria huc advenerat, cum bestias vidisset, pavore concussus est. Hic porro erat, qui alios pepulerat, ut ultro secum ad tribunal Judicis pergerent. Hunc Pro consul blandis persuasionibus illectum eo adduxit, ut juraret ac sacrificaret.* Quibus subjungunt Smyrnæi: διὰ οὗτο οὖν, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς, ἐπεὶ δὴ οὐχ οὕτως διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον. *Nos itaque, fratres, non probamus eos qui ultro accedunt, ac semetipsos produnt; cum aliter præcipiatur in Evangelio.*

Temeritas ejusmodi Quinto cuidam Phrygi male cessit.

Affectatis martyriis etiam locum Matth. 10, 24 opponit Origenes.

XIII. Nimirum ultro quæsitis martyriis, præter supra ex Johanne allatum CHRISTI, fuga sibi consulentis, exemplum, alibi, libro scilicet 1 contra Celsum, ejusdem quoque Salvatoris nostri præceptum ex Matth. x, 23. opponit Adamantius: ubi discipulos suos, ad evangelium in Israel annunciandum abituros, salutaribus monitis instruens, inter cetera, ὅταν, ait, διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. *Si persequantur vos in civitate hac, fugite in aliam*; mandatum ibi Apostolis fuisse dicens, μὴ εἰκῇ μηδὲ ἀκαίρως καὶ ἀλόγως χωρεῖν τοῖς κινδύνοις, *ne temere, neq; intempestive & inconsulto in pericula irruerent.*

Quemadmodum ante eum fecerat Clemens Alex.

XIV. In eundem locum jam ante Origenem ita scripserat Præceptor ejus & decessor Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. IV: Βούλεται (ὁ χριστὸς) ἡμᾶς μηδενὶ αἰτίους μηδὲ συναιτίους κακοῦ τινος γίνεσθαι, σφίσιν τε αὐτοῖς, πρὸς δὲ καὶ τῷ διώκοντι καὶ τῷ ἀναιροῦντι. τρόπον γάρ τινα πρισταγγέλλει ἑαυτὸν προϊέσθαι. ὁ δὲ παρακούων, τολμηρὸς, καὶ ῥιψοκίνδυνος. εἰ δὲ ὁ ἀναιρῶν ἄνθρωπον θεοῦ, εἰς θεὸν ἁμαρτάνει, καὶ τοῦ ἀποκτιννύοντος αὐτὸν ἔνοχος καθίσταται ὁ ἑαυτὸν προσάγων τῷ δικαστηρίῳ. οὗτος δ' ἂν εἴη ὁ μὴ πριστελλόμενος τὸν διωγμὸν, ἁλώσιμον διὰ θράσος παρέχων ἑαυτόν. οὗτός ἐστι, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, ὁ συνεργὸς γινόμενος τῇ τοῦ διώκοντος ποτηρίᾳ. εἰ δὲ καὶ προσερεθίζοι, τέλεον αἴτιος, ἐκκαλούμενος τὸ θηρίον. ὡς δ' αὔτως, κἂν αἰτίαν μάχης παράσχῃ τινὰ, ἢ ζημίας, ἢ δίκης, ἢ ἔχθρας, ἀφορμὴν ἐγέννησε διωγμοῦ. *Vult* Christus *nos nulli esse auctores, neque alicujus mali causa adjutores, nec nobis ipsis, nec ei qui persequitur, nec ei qui interimit. Denunciat enim quodammodo ut caveat. Qui autem non obedit, est audax & temerarius, & inconsulte*

se

se in manifesta pericula conjiciens. Si autem qui hominem Dei interimit, in Deum peccat, is quoq; ejus cædis reus tenetur qui se offert judicio. Talis autem erit qui non vitat persecutionem, capiendum se præbens per audaciam. Is est qui, quantum in se est, adjuvat improbitatem ejus qui persequitur. Quod si etiam irritet, plane causa est, ut qui provocet feram. Similiter etiam si præbeat aliquam pugnæ causam, vel damni, vel judicii, vel inimicitiarum, is occasionem peperit persecutionis, Idem jam supra dixerat: τοὺς ἐπιπηδήσαντας τῷ θανάτῳ — ἐξάγειν ἑαυτοὺς ἁμαρτύρως, κἂν δημοσίᾳ κολάζωνται, *eos qui de industria mortem quærunt, — seipsos e vita exigere, sine ullo martyrio ac testificatione, etsi publice puniantur.* quemadmodum infra λεγόμενοι illi μάρτυρες sunt, οἱ ἀφορμὰς παρέχοντες σφίσιν αὐτοῖς, ἐπιῤῥιπτοῦντες αὐτοῖς τοῖς κινδύνοις, *qui sibi ipsis occasionem* mortis *præbent, seque in pericula injiciunt.*

XV. Porro Gregorius quoque Nazianzenus, Invect. in Julianum 1, de Marco Arethusio refert, quod, Ethnicorum iras metuens, in fugam se dederit, οὐ δι' ἀνανδρίαν μᾶλλον, ἢ φεύγειν ἐκ πόλεως εἰς πόλιν κελεύουσαν ἐντολὴν, καὶ ὑποχωρεῖν τοῖς διώκταις, *non tam ignavia fractus, quam præcepto illo permotus, quo e civitate in civitatem fugere, & persecutoribus cedere jubemur.* χρῆναι γὰρ, inquit, μὴ τὰ ἑαυτῶν σκοπεῖν ὄντας μόνον χριστιανοὺς, μηδὲ εἰ λίαν εἶεν ἀνδρειότατοί τε καὶ καρτερικώτατοι, ἀλλὰ καὶ τῶν διωκόντων φείδεσθαι, ὡς τό γε εἰς αὐτοὺς ἧκον μέρος μὴ τῷ κινδύνῳ τὶ συνεισφέρειν τῶν πολεμίων. *Neque enim Christianos, quantumvis fortes, ac singulari tolerantia præditos, sui tantum rationem habere oportet; sed persecutoribus quoque consulere, ut ne, quantum in ipsis est, ad hostile pericu-*

Gregorius item facit Naz.

lum ex se ipsis aliquid conferant. Idem de fratre Cæsario, orat. x, scribit: τοῖς μὲν πονηροῖς ὑποχωρεῖ χρόνοις, καὶ τοῦ τὸ κατὰ τὴν ἡμετέραν νομοθεσίαν. ἐνστάντος μὲν καιροῦ διακινδυνεύειν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, καὶ μὴ προδιδόναι δειλίᾳ τὴν εὐσέβειαν· ἕως δ' ἂν ἐξῇ, μὴ προκαλεῖσθαι τοὺς κινδύνους κελεύουσαν, εἴτε δέει τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, εἴτε φειδοῖ τῶν ἐπαγόντων τὸν κίνδυνον. *Malis temporibus cedit; in eoque legi nostræ obtemperat, quæ hoc sancit, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem per ignaviam prodamus; quamdiu autem licet, pericula ipsa ne provocemus: sive animarum nostrarum metu, sive ut iis consulatur qui periculum nobis inferunt.* & orat. xx, in Basilium M. Νόμος, ait, μαρτυρίας, μήτε ἐθελοντὰς πρὸς τὸν ἀγῶνα χωρεῖν φειδοῖ τῶν διωκόντων καὶ τῶν ἀσθενερεύρων, μήτε παρόντας ἀναδύεσθαι. τὸ μὲν γὰρ θράσοις, τὸ δὲ ἀνανδρίας ἐστί. *Lex Martyrii hæc est, ut ultro ad certamen non accedamus; hac nimirum ratione tum persecutoribus, tum imbecillioribus athletis consulentes; nec tamen detrectemus. Illud quippe temerarii ac præcipitis est animi; hoc timidi & ignavi.*

Smyrnæi. XVI. Quibus plane gemina quæ habet Ecclesia Smyrnensis, sub ipsum statim initium supra laudatæ epistolæ: *num. 12* Περιέμενεν (ὁ Πολύκαρπος) ἵνα παραδοθῇ, ὡς καὶ ὁ Κύριος, ἵνα μιμηταὶ καὶ ἡμεῖς αὐτοῦ γενώμεθα· μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ τοὺς πέλαι. ἀγάπης γὰρ ἀληθοῦς καὶ βεβαίας ἐστὶν, μὴ μόνον ἑαυτὸν θέλειν σώζεσθαι, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς ἀδελφούς. *Exspectabat* Polycarpus, *donec traderetur, quemadmodum Dominus exspectavit, ut nos quoque imitatores eius essemus: non solum nostræ, verum etiam proximorum saluti consulentes. Veræ siquidem ac solidæ Caritatis proprium est, non suæ dumtaxat incolumi-*

lumitatis curam gerere, sed omnium fratrum salutem concupiscere. Et notetur, in eadem hac epistola Polycarpi martyrium hac ipsa de causa τὸ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μαρτύριον vocari, & μαρτύριον κατὰ τὸ εὐαγγέλιον χριστῷ γενόμενον, quod fuga sibi initio vir sanctus consuluerit, & secundum CHRISTI doctrinam pariter atque exemplum, donec traderetur, exspectaverit.

XVII. Cyprianus præterea, libro de Lapsis, *Dominus*, ait, *in persecutione secedere & fugere mandavit, atque, ut id fieret, & docuit & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi, quisquis, in* CHRISTO *manens, interim cedit, non fidem denegat, sed tempus exspectat.* Eadem habet libb. de Mortalitate & de laude Marytrii. Quemadmodum e secessu etiam suo ad clerum & plebem Carthaginensem scripsit, epist. LXXXIII: *Vos, fratres charissimi, pro disciplina, quam de mandatis Dominicis a me semper accepistis, & secundum quod, me tractante, sapissime didicistis, quietem & tranquillitatem tenete, ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro se Gentilibus offerat. Apprehensus enim & traditus loqui debet: siquidem in nobis Dominus positus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit quam profiteri.* Spectatque eodem insuper, quod vir sanctus, jam morti vicinus, Paterno Proconsuli, ubinam Presbyteri laterent, sciscitanti, respondit: *Cum disciplina prohibeat, ut quis se ultro non offerat, & tua quoque censura hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt; sed a te inquisiti invenientur;* uti habent Acta passionis ejus. Unde repetens illa Augustinus, libro contra se-

Cyprianus.

cundam Gaudentii epistolam cap. xxiii, *Sacris*, inquit, *literis eruditus beatus Cyprianus, in confessione sua dixit: disciplinam prohibere, ne quis se offerat.* Adde quæ Apud eundem Augustinum de argumento hoc leguntur in Breviculo contra Donatistas, collat. iii, cap. xiii, & in primis epist. clxxx, ad Honoratum, quæque pro eadem firmanda sententia habent Athanasius in Apologia de fuga sua, & alibi, Gregorius Nyssenus orat. in Gregorium Thavmaturgum, Lactantius Divin. Institut. lib. iv, cap. x, Hieronymus in Ierem. xxvi, 20. seqq. Petrus Chrysologus, serm. cl, seq. Referantur item huc quæ damus infra cap. iix, 35. seqq.

Tertullianus etiam ipse fugam probavit initio.

xiix. Quin ipsummet Tertullianum non aliter sensisse, adhuc Catholicum, clare locus docet lib. de Patientia cap. xiii. ubi de utilitate agens Patientiæ, inter cetera, *Carnis*, inquit, *patientia in persecutionibus præliatur. Si fuga urgeat, adversus incommoda fugæ caro militat.* Postquam autem *ad Montani dogma delapsus*, inter alia quæ *adversum Ecclesiam texuit volumina* (dicente in catalogo Scriptorum Hieronymo) etiam de Fuga in persecutione contrarii plane argumenti librum edidit.

Persecutionis Severiana post promulgatum Cæsaris edictum atrocitas.

xix. Sed redeundum unde sumus digressi. Diximus supra, absente Imperatore a provinciarum Præsidibus vexatam esse Ecclesiam, ejusque causam duplici publicato volumine egisse Tertullianum. Tantum vero abfuit ut Apologiis istis commoti ad saniorem mentem redirent, aut de furore quidquam remitterent Gentiles, ut potius magis magisque postea in Christianos fuerit sævitum; accedente præsertim ipsius Severi, ex Syria in Ægyptum contendentis, edicto. De quo

in

in vita ipsius cap. XVII, Spartianus: *In Syria Consulatum inierunt* Severus ejusque filius. *Post hoc dato stipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. In itinere Palæstinis* (Ethnicis Palæstinæ incolis) *plurima jura fundavit. Judæos fieri sub gravi pœna vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit.* (forte hoc illud est rescriptum, cujus mentionem facit Ulpianus l. 1. §. fin. D. de officio Præfect. urbi; *Divus Severus*, inquiens, *rescripsit, eos, qui illicitum collegium coisse dicuntur, apud Præfectum urbi accusandos.*) Isto, inquam, edicto promulgato, circa annum Severi X (ut habent Eusebius in Chronico, & lib. VI Hist. Eccl. cap. I, Hieronymus libro de Script. Eccl. cap. LIV, in Origene) tanta adversus Dei cultores exarsit persecutio, ut Antichristi adventus appropinquasse existimaretur. Ita enim scribit Eusebius lib. VI Hist. Eccl. cap. VII: ἐν τούτῳ Ἰούδας συγγραφέων εἰς τὰς παρὰ τῷ Δανιὴλ ἑβδομήκοντα ἑβδομάδας ἐγγράφως διαλεχθεὶς, ἐπὶ τὸ δέκατον τῆς Σεβήρου βασιλείας ἵστησι τὴν χρονογραφίαν. ὃς καὶ τὴν θρυλλομένην τοῦ ἀντιχρίστου παρουσίαν, ἤδη τότε πλησιάζειν ᾤετο· οὕτω σφοδρῶς ἡ τοῦ καθ' ἡμῶν τότε διωγμοῦ κίνησις, τὰς τῶν πολλῶν ἀνατεταράχει διανοίας. *Eodem tempore Judas scriptor de septuaginta apud Danielem hebdomadibus disserens, ad decimum usque annum imperii Severi supputationem temporum perducit. Qui etiam decantatum illum Antichristi adventum jamtum imminere existimabat: adeo commota tunc adversus nostros persecutio multorum animos vehementer conturbaverat.*

XX. Et inprimis quidem Alexandriæ vexatos fuisse Christianos, sub ejusdem libri VI initium Eusebius testatur. Tametsi enim per omnes ubique locorum Ecclesias generose pro pietatis doctrina certatum fuerit, *Alexandrina persecutio.*

præ-

præcipua tamen eo ex universa Ægypto ac Thebaide lectissimos athletas tamquam in amplissimum Dei stadium deductos esse scribit, qui omnis generis tormenta & mortes invicto animo perpessi, immortales post finitum feliciter certamen coronas acceperint. E quibus LEONIDES, pater Origenis, capite truncatus, relicto hoc filio, admodum adolescente, una cum uxore & sex aliis parvulis, idque in summa egestate, quod bona ejus omnia fisco addicerentur. Unde Vincentius Lerinensis, laudes Origenis prolixe persecutus Commonitorii cap. XXIII, *Quid eo nobilius*, ait, *qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio; deinde pro* CHRISTO *non solum patre, sed omni quoque facultate privatus?* uti Hieronymus scribit, epist. LXV, ad Pammachium & Oceanum; *Vult aliquis laudare Origenem? laudet ut laudo. Magnus vir ab infantia, & vere Martyris filius.*

ubi passus Leonides, pater Origenis.

XXI. Imo Origenes ipse, utut pene puer tunc, comes genitori ad martyrium ivisset, nisi a matre fuisset prohibitus. De hac enim Eusebius, libro VI, cap. II, τὰ μὲν πρῶτα, inquit, λόγοις ἱκετεύουσα, τῆς περὶ αὐτὸν μητρικῆς διαθέσεως φειδὼ λαβεῖν παρεκάλει· σφοδρότερον δ' ἐπιτείνοντα θεασαμένη (ὅτε γνοὺς ἁλόν τα τὴν πατέρα δεσμοτηρίῳ φυλάττεσθαι, ὅλος ἐγίνετο τῆς περὶ τὸ μαρτύριον ὁρμῆς) τὴν πᾶσαν αὐτοῦ ἀποκρυψαμένη ἐσθῆτα, οἴκοι μένειν ἀνάγκην ἐπῆγεν. *Primum verbis supplicando rogabat, ut materni affectus reverentia moveretur. sed cum illum vehementius incitatum vidisset (quippe ex quo patrem comprehensum in vinculis detineri intellexerat, toto animi impetu ad martyrium ferebatur) abscondita omni illius veste, domi manere invitum coëgit.*

Origenes martyrii cupidus, quo minus voti fieret compos, a matre prohibebatur.

XXII. Ta-

XXII Tametsi autem hoc pacto, quo minus ipse pro Deo sanguinem funderet, impediebatur adolescens, patrem nihilominus in vincula CHRISTI nomine conjectum animo plus quam viriliad constantiam est hortatus. Ita enim pergit Eusebius: ὁ δ', ὡς οὐδὲν ἄλλο πεάτ- ἴειν αὐτῷ παρὴν, τῆ πεοθυμίας ὑπερβαινούσης τὴν ἡλικίαν ἀπιεινομένης, οὐκ οἷός τε ὢν ἡρεμεῖν, διαπέμπεται τῷ πατρὶ πεοτρεπτικωτάτην πρὸς μαρτύριον συντάξας ἐπιστολὴν, ἐν ᾗ πρὸς λέξιν αὐτῷ τάδε γράφει λέγων· ἔπεχε μὴ δι' ἡμᾶς ἄλλό τι φρονήσῃς. *Ille, nihil aliud sibi relictum esse animadvertens, cum supra ætatem cupiditas intenderetur, quietis impatiens, literas ad patrem misit, quibus illum ad martyrium vehementissime cohortabatur, his inter cetera verbis eum admonens: Cave, mi pater, ne nostra causa sententiam mutes.* *Idem habentem in vinculis patrem ad fidei constantiam est hortatus.*

XXIII. Sed & ex discipulis Origenis, quos in Christianæ doctrinæ capitibus ille informaverat, martyrii palmam hac tempestate reportarunt, notante Eusebio, dicto loco cap. IV & V, Plutarchus, Serenus uterque, Heraclides Catechumenus, Heron neophytus, Herais (sic enim ex probatioribus codd. legit Valesius) Catechumena, & Basilides ille, qui pro CHRISTO passuram Potamiænam virginem ad supplicium duxit, hacque occasione martyrii honorem consequutus & ipse est. *Martyres ex schola Origenis.*

XXIV. Ea res quomodo se habuerit, ibidem Eusebius prolixe memorat. Nempe ubi Judicis sententia damnata Virgo hæc ad supplicium duceretur, plebsque vexare ipsam & obscenis ei verbis illudere conaretur, BASILIDES, unus ex apparitoribus, has ab illa injurias propulsavit, multaque humanitatis & misericordiæ erga eam indicia præbuit. Ipsa vero benignitatem homi- *Basilides qua occasione ad martyrium pervenerit.*

nis erga se libenter amplectēs, bono eum animo esse jussit. Se namq; post obitum salutem illius a Domino impetraturam, inq; se collata beneficia brevi remuneraturam esse. Martyrio sublatâ Potamiænâ, Basilides Christianum se profiteri cœpit, moxq; in vincula hoc nomine conjectus est. Ubi cum fratres quidam adirent ipsum, & subitæ illius insperatæq; conversionis causam scisciterentur, Potamiænam tertio post martyrium die noctu sibi adstitisse retulit, capitique suo coronam imposuisse, &, quod martyrium precibus suis a Domino ipsi impetraverit, significasse. Cui prædictioni eventus quoque respondit.

Potamiæna martyrium, ejusque matris Marcella.

XXV. Quod vero ad ipsius Potamiænæ spectat martyrium, ubi ab Aquila Judice illa sævissime excruciata esset, ferventi pice per varia corporis membra, ab imis pedibus ad ipsum usque capitis verticem, lente ac paulatim circumfusa, tandem, una cum MARCELLA matre, igne consumpta est, scribente, ubi supra, Eusebio. Videatur etiam Martyrologium Rom. a. d. XXIIX Junii.

Perpetuæ & Felicitatis pro Christo certamen.

XXVI. Porro eadem hac persecutione urgente Tuburbi in Mauritania sublatæ sunt PERPETUA & FELICITAS, nobiles feminæ: quarum apud veteres passim mentio, præsertim Augustinum; e quo loca notavit Baronius ad Martyrologium Rom. d. VII Martii, sic tamen, ut tres illos tractatus intercidisse doleat, quos in harum martyrum die natali Augustinum habuisse Possidius in Indiculo scribit. Verumtamen & hos sermones ab interitu vindicavit, post Baronii fata, suoque Parisiis anno clɔ lɔc LIV edito operum Augustini Supplemento, Tom. I, num. CIII, CIV, CV, sermonum de diversis, inserviit Hieronymus Vignier, Congregationis Oratorii Presbyter.

XXVII. Et

XXVII. Et ultimo quidem sermone de nominibus harum Martyrum differit Augustinus, *Perpetua*, inquiens, *& Felicitas nomina duarum* Martyrum, *sed merces est omnium. Neque enim omnes Martyres in certamine passionis atque confessionis ad tempus fortiter laborarent, nisi ut* PERPETUA FELICITATE *gauderent.* ac paulo post: *Sicut exemplo glorioſissimi certaminis, ut imitemur, hortantur: ita ſuis nominibus munus inſeparabile nos accepturos eſſe teſtantur. Ambæ invicem teneant, invicem nectant: alteram ſine altera non ſperamus. Nam nec prodeſt* PERPETUA, *ſi* FELICITAS *non ſit: &* FELICITAS *deſerit, ſi* PERPETUA *non ſit.* Sermonem primum ſic orditur: *Hodiernus dies anniverſaria replicatione nobis in memoriam revocat & quodammodo repræſentat diem, quo ſanctæ famulæ Dei,* PERPETUA *&* FELICITAS, *coronis martyrii decoratæ,* PERPETUA FELICITATE *floruerunt, tenentes nomen* CHRISTI *in prælio, & ſimul invenientes etiam ſuum nomen in præmio.* Sermonem denique ſecundum ita claudit: *Hoc erat nomen ambarum, quod munus eſt omnium. Nam cur omnia Martyres perferunt, niſi ut* PERPETUA FELICITATE *glorientur? Hoc ergo illæ vocabantur ad quod cuncti vocantur. Et ideo, cum eſſet in illo certamine plurimus comitatus, harum duarum nominibus omnium eſt ſignificata perennitas, omnium ſolemnitas.* *Auguſtini de iis teſtimonia.*

XXIIX. Eodem etiam ſecundo ſermone de martyrio ipſo harum feminarum acturus venerabilis Præſul, *Delectat piam mentem*, ait, *tale ſpectaculum contueri, quale ſibi beata Perpetua de ſe ipſa revelatum eſſe narravit.* Nimirum, ut ex ſequentibus patet, ad Acta reſpicit paſſionis SS. Perpetuæ & Felicitatis, hodie etiamnum extan-

tia; ubi Perpetua factam sibi in carcere dormienti visionem memorat, indeque inter cetera refert, quomodo Perpetuæ parentem, hominem Ethnicum, *verbis deceptionis instruxerit* veterator Diabolus, *ut religiosus* feminæ *animus, qui non molliretur voluptatis instructu, pietatis impetu frangeretur.* Verum, inquit Augustinus, *sancta Perpetua tanta patri moderatione respondit, ut nec præceptum violaret, quo debetur honor parentibus, nec dolis cederet, quibus altior agebat inimicus. Qui undique superatus, eundem patrem ejus virga percuti fecit: ut, cujus verba contempserat, saltem verbera condoleret. Ibi vero doluit illa senis parentis injuriam, & cui non præbuit assensum, servavit affectum. Oderat quippe in illo stultitiam, non naturam, & ejus infidelitatem, non originem suam. Majore igitur gloria tam dilectum patrem male suadentem fortiter repulit, quam vapulantem videre sine mœrore non potuit. Proinde & dolo ille nihil detraxit robori fortitudinis, & aliquid addidit laudibus passionis.*

Acta vetusta de Perpetua.

XXIX. In Actis ipsis hoc ita narrat Perpetua: *Supervenit de civitate pater meus, consumtus tædio. Ascendit ad me, ut me dejiceret, dicens: miserere, filia, canis meis; miserere patri: si dignus sum a te pater vocari, si his te manibus ad hunc florem ætatis provexi; si te præposui omnibus fratribus tuis. Ne me dederis in dedecus hominum. Aspice fratres tuos: aspice matrem tuam, & materteram: aspice filium tuum, qui post te vivere non poterit. Depone animos, ne universos nos exterminies. Nemo enim nostrûm libere loquetur, si tu aliquid fueris passa. Hæc dicebat pater, pro sua pietate, basians mihi manus, & se ad pedes me-*

os

os jactans; & lacrymis me non filiam nominabat, sed dominam. Et ego dolebam causam patris mei, quod solus de passione mea gavisurus non esset de toto genere meo, & confortavi eum, dicens: hoc fuit in illa cataſta quod Deus voluerit. Scito enim, nos non in nostra potestate esse constitutos, sed in Dei. Et recessit a me contristatus. Ac postquam dixisset amplius, alio die, cum pranderent, subito raptam se esse cum sociis in forum, & cataſtam ascendisse, pergit: *Apparuit pater illico cum filio meo, & extraxit me de gradu, supplicans: miserere infanti! Et Hilarianus Procurator, qui tunc loco Proconsulis Minuci Timiniani defuncti jus gladii acceperat, Parce, inquit, canis patri tui: parce infantiæ pueri. Fac sacrum pro salute Imperatorum. Et ego respondi: Non facio. Hilarianus, Christiana es? inquit. Et ego respondi: Christiana sum. Et cum staret pater ad me dejiciendum, jussus est ab Hilariano dejici: & virga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei, quasi ego fuissem percussa; sic dolui pro senecta ejus misera.*

xxx. De Felicitate porro in iisdem Actis hæc legimus: *Cum octo jam menses suum ventrem haberet (nam pragnans fuerat apprehensa) instante spectaculi die in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur; quia non licet pragnantes pœnæ repræsentari; & ne inter alios postea sceleratos sanctum & innocentem sanguinem funderet. Sed & commartyres graviter contristabantur, ne tam bonam sociam quasi comitem solam in via ejusdem spei relinquerent. Conjuncto itaque & unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores invaserunt. Et cum pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret, ait illi* *Eadem de Felicitate.*

li quidam ex ministris cataractariorum: Quæ modo doles, quid facies objecta bestiis; quas contemsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: Modo ego patior quod patior; illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia & ego pro illo passura sum. Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit. In antiquo Lectionario, apud Baronium ann. ccv, 26. Felicitas sic loquuta memoratur: *Naturæ debitas pœnas naturali tantum virtute persolvo: supplicia autem quæ submministrat impietas, divina gratia superabit.* Augustinus, ubi supra, *Exigebatur*, ait, *quod mulier debebat: opitulabatur quem Virgo pepererat.*

De gravidarum differendo supplicio lex antiquissima.

XXXI. Ceterum quod *non licere prægnantes pœnæ repræsentari* ajunt Acta, antiquissima est constitutio: quam ab Ægyptiis primo factam, ab his a Græcis acceptam, indeque ad Romanos tandem fuisse propagatam, Plutarchus indicium facit, libro de his qui sero a Numine puniuntur, τὸν ἐν Αἰγύπτῳ νόμον, inquiens, ἆρ' οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀποχράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον, ἂν ἁλῷ θανάτου, μέχρι τέκῃ φυλάττειν; *Legem Ægyptiam nonne videntur recte quidam Græcorum descripsisse, quæ jubet gravidam, si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat?* Vide l. *Prægnantis* D. de Pœnis, & Barnabæ Brissonii Opuscula varia pag. 76.

Passio Perpetuæ, Felicitatis, Revocati, Saturnini, Saturi.

XXXII. Ipsum tandem Perpetuæ & Felicitatis, quique una cum iis passi sunt, Revocati, Saturnini, Saturi, nobis laudata superius Acta scribunt: *Illuxit dies victoriæ illorum, & processerunt de carcere in amphitheatrum, quasi in cœlum hilares, vultu decori, si forte, gaudio paventes, non timore. Sequebatur Perpetua lucido incessu,*

ut

at matrona CHRISTI, *ut* DEI *delicata; vigore oculorum dejiciens omnium conspectum. item Felicitas, salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, a sanguine ab obstetrice ad retiarium lotura post partum baptismo secundo. Et cum ducti essent in portam, & cogerentur habitum induere, viri quidem Sacerdotum Saturni, feminæ vero sacratarum Cereri, generosa illa in finem usque constantia repugnavit. Dicebant enim: ideo ad hoc sponte pervenimus, ne libertas nostra obduceretur; ideo animam nostram adduximus, ne tale aliquid faceremus: hoc vobiscum pacti sumus. Agnovit Injustitia Justitiam: concessit Tribunus, ut, quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, caput jam Ægyptii calcans. Revocatus, & Saturninus, & Saturus, populo spectanti comminabantur de hoc. Ut sub conspectu Hilariani* (Judicis) *pervenerunt, gestu & nutu cœperunt Hilariano dicere: Tu nos, inquiunt, te autem Deus. Ad hoc populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit. Et utique gratulati sunt, quod aliquid & de Dominicis passionibus essent consecuti.* Posthac narratur, quomodo feris objecti omnes, & tandem, *ante osculati invicem, ut martyrium per solennia pacis consummarent*, ferro necati fuerint. Speciatim de Perpetua & Felicitate hæc ibi habentur: *Puellis ferociſſimam vaccam, ideoque præter consuetudinem comparatam, Diabolus præparavit, sexui earum etiam de bestia æmulatus. Itaq; dispoliatæ & reticulis indutæ producebantur. Horruit populus, alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recentem stillantibus mammis. Ita revocatæ, & discinctis indutæ, prior Perpetua jactata est, & concidit in lumbos. Et ubi sedit, tunicam a latere dississam ad velamen-*

lamentum femoris reduxit; puderis potius memor quam doloris. Dehinc requisita, & dispersos capillos infibulavit. Non enim decebat Martyrem sparsis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur. Ita surrexit, & elisam Felicitatem cum vidisset, accessit, & suscitavit illam. Et ambæ pariter steterunt, & populi duritia devicta, revocatæ sunt in portam Sanevivariam. Illic Perpetua a quodam tunc Catechumeno, Rustico nomine, qui ei adhærebat, susceptа, & quasi a somno expergita, (adeo in spiritu & in ecstasi fuerat) circumspicere cœpit; & instupentibus omnibus ait: Quando, inquit, producimur ad vaccam illam, nescio. Et cum audisset, quod jam evenerat, non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore habitu suo recognovisset, & illum Catechumenum. Exinde accersitum fratrem suum, & illum Catechumenum, allocuta est, dicens: In fide state, & invicem omnes diligite, & passionibus nostris ne scandalizemini. Quomodo & Saturus Pudenti dicebat militi (ut paulo post additur) *Vale, & memor esto fidei meæ: & hæc te non conturbent, sed confirment!* Atque ista de celebri illo & memorabili martyrio.

Martyres Scillitanei.

xxxiii. Non minus nobilis fuit & illustris agon martyrum Scillitanorum, initio persecutionis hujus sub Saturnino Proconsule passorum. Quorum Acta, ex vetustissimo codice descripta, Baroniique Annalibus ad ann. cciı intexta, sic habent: *Existente Claudio Consule, quartodecimo Kalendas Augustas, Carthagine metropoli, statuto forensi conventu, præceperunt magistratus adstare sibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam, & Vestinam. Et adstantibus eis, Saturninus Proconsul dixit: Potestis veniam a Dominis nostris Imperatoribus,*

Se-

Severo & Antonino, promereri, si bono animo conversi fueritis ad Deos nostros. Speratus dixit: Nos minime aliquando malum fecimus, neque iniquitatem sequentes, in peccatis egimus operationem, nec aliquando cuiquam malediximus; sed male suscepti a vobis, gratias egimus semper. Quamobrem Dominum verum & Regem adoramus. Saturninus Proconsul dixit: Et nos electi sumus, & mitissima est elegantia nostra: & juramus per genium Domini nostri Imperatoris, & pro salute illius intercedimus, quod & vos facere debuistis. Speratus dixit: Si tranquillas adhibeas mihi aures tuas, dicam mysterium mansuetudinis. Saturninus Proconsul dixit: Dicente te de mysterio non inferam mala: tantum jura per genium Regis nostri. Speratus dixit: Ego Imperatoris mundi genium nescio, sed cœlesti Deo meo servio, quem nullus hominum vidit, nec videre potest. Ego enim nec furatus sum aliquando, sed quodcunque emam, tributum do, quoniam cognosco eum dominum meum: sed adoro Dominum meum Regem Regum, & omnium gentium Dominum. Saturninus Proconsul dixit: De cetero a tumultu garrulitatum quiescite, & accedentes sacrificate Diis. Speratus respondit: Illa est mala concitatio, quæ facit homicidium & falsam accusationem adversus aliquem. Saturninus Proconsul ad alios conversus dixit: Nolite furoris hujus insipientiæ participes fieri, sed timete potius Regem nostrum, obedientes præceptis ejus. Cittinus dixit: Nos non habemus alium quem timeamus, nisi Dominum Deum nostrum, qui est in cœlis. Saturninus Proconsul dixit: Detrudantur in carcerem; ponantur in ligno in diem crastinum. Sequenti die Saturnus Proconsul, sedens pro tribunali, eos

praesentari jubet. Qui cum adstitissent, dicit ad feminas: Honorate Regem nostrum, & sacrificate Diis. Tunc Donata dixit: Honorem quidem Cæsari tanquam Cæsari, Deo autem nostro honorem & orationem offerimus. Stans Vestina dixit: Et ego Christiana sum. Secunda similiter dixit: Et ego credo in Deo meo, & volo in ipso esse: Diis autem tuis non servimus, neque adoramus. Saturninus Proconsul, auditis his, praecepit eas servari. Advocatis viris, dicit Sperato: Perseveras ut Christianus sis? Speratus dixit: Et jam persevero: & omnes audite, quia Christianus sum. Audientes omnes qui cum illo retenti fuerant, consenserunt confessioni illius, dicentes: Sumus & nos pariter Christiani. Saturninus Proconsul dixit: Nec liberationem, nec remissionem vultis? Speratus respondit: In certamine justo nulla est remissio. Fac quod vis: nos enim pro Christo gaudentes morimur. Saturninus Proconsul dixit: Qui sunt libri, quos adoratis legentes? Speratus respondit: Quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi, & Epistolas S. Pauli Apostoli, & omnem divinitus inspiratam Scripturam. Saturninus Proconsul dixit: Spatium trium dierum tribuo vobis, ut resipiscatis. Speratus dixit: Christianus sum, & omnes qui mecum sunt; & a fide Domini nostri Jesu Christi non discedimus: fac quod vis. Proconsul, videns etiam ipsorum mentis stabilitatem, & fidei firmitatem, dedit in eos sententiam per exceptorem dicens sic: Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Latantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam, & Secundam, Christianos se esse confitentes, & Imperatori honorem & dignitatem dare recusantes, capi-

te-

te truncari præcipio. Hæc cum essent ex tabella recitata, Speratus & qui cum eo erant omnes dixerunt: Deo gratias conferimus, qui dignatur nos hodie martyres accipere in cœlis pro confessione sua. His dictis ducti sunt, & flexis genibus unanimiter, cum iterum gratias Christo agerent, truncata sunt singulorum capita.

XXXIV. Ubi quod Speratus ejusque socii post recitatam sententiam gratias Deo egerunt, aliorum Martyrum praxi fuit conforme. Nam de Cypriano idem narrant Acta passionis ipsius, uti & Augustinus ac Prudentius; de Juliano, qui in Palæstina passus est, Eusebius Append. libri IIX Hist. Eccles. cap. XI, de Pionio & Euplio Acta illorum apud Baronium ad ann. CCLIV, 19. CCCIII, 149. de XL Martyribus Basilius M. homil. XX. Atque huc spectat illud Justini M. Apolog. I: τὸ ὄφλημα ἀποδιδόντες εὐχαριστοῦμεν. *Debitum persolventes* (de morte loquitur) *gratias agimus.* Confer quæ habet Clemens Alexandrinus Strom. IV. Solebant & ipsi iniquo Judici agere gratias generosi illi athletæ. Quo pertinet, opinor, quod ait, in Actis, Speratus: *Male susceptí a vobis* (Gentilibus) *gratias egimus semper.* Vide supra cap. V, 34.

Martyres post pronunciatam sententiam gratias Deo agebant.

CAPUT VII.

DE PERSECUTIONE SEPTIMA, SUB MAXIMINO THRACE.

CONSPECTUS.

I. *Maximini Thracis vita.*
II. *Persecutio sub Maximino Antistites Ecclesiæ potius quam Christianos promiscue vexavit.*
III. *Inde Sulpitius Severus aliique nonulli turbinem hunc ceteris persecutionibus non annumerant.*
IV. *De Maximini in familiam Alexandri odio Gentilium testimonia.*
V. *Alexander Mamææ Christianismo favit.*
VI. *Idem regula Christiana:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; *magnopere fuit delectatus. Quæ etiam probata Muhammedanis.*
VII. *Alexander ritus Christianorum imitatus est.*
VIII. *Mos eligendi Ecclesiæ Ministros antiquus.*
IX. *Alexandri mores probati.*
X. *Eundem Christianismo nomen dedisse, nonnulli putant.*
XI. *Sed perperam.*
XII. *Mamæa, Alexandri mater, cum Origene conversata.*
XIII. *Præter Alexandrinæ familiæ odium alia quoque causa Maximinum ad persecutionem induxit.*
XIV. *Motus terræ sub Maximino Christianis imputati.*
XV. *Ambrosius & Protoctetus sub Maximino Confessores.*
XVI. *Epiphanius a Scaligero reprehensus.*
XVII. *At immerito.*

SEPTI-

I.

SEPTIMUS Ecclesiæ antogonista publicus fuit JULIUS MAXIMINUS Thrax, ex opilione & milite Romanonorum Imperator, circa annum Christi ccxxxv; homo aspectu horrendus, vasto atque immani corpore, ut nemo illi vel exercitatissimorum Græcorum vel pugnacissimorum Barbarorum conferri possit, dicente Herodiano. Adhuc adolescens ab Imperatore Severo, ut sibi licentiam daret contendendi cum iis, qui jam non mediocri loco militarent, publice petiit. Qui, magnitudinem corporis miratus, primum eum cum lixis composuit, sed fortissimis quibusque; quorum sedecim uno sudore devicit; uti Julius narrat Capitolinus, addens deinde, sæpe eum in die vini capitolinam amphoram bibisse, comedisse XL vel etiam LX libras carnis; sudoris, si forte exciperet, & in vasculum mitteret, vel tres sextarios ostendisse: pollice fuisse adeo vasto, ut uxoris dextrocherio pro annulo uteretur; hamaxas manibus attraxisse, rhedam onustam solum movisse, equis dentes pugno excussisse, calce crura fregisse, lapides thophicos friasse, arbores teneriores scidisse. Hinc, ut idem Capitolinus testatur, alii Herculem, alii Achillem, alii Ajacem, alii Crotoniatem Milonem, alii Antæum, illum vocarunt. Tribunum adhuc agens, Alexandro adeo solertem & laboriosum se præstitit, ut quinta quaq; die juberet milites decurrere, simulacra bellorum agere, gladios, lanceas, loricas, galeas, scuta, tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumspicere. Quin ipse cum militibus luctã exercuit, quinos, senos, & septenos, jam grandævus ad terram pro-

Maximini Thracis vita.

ster-

sternens. Cumque forte Tribuni quidam ei dicerent: *Quid tantum laboras, quum ejus loci jam sis, ut Ducatum possis accipere?* dixisse fertur: *Ego vero quo major fuero, tanto plus laborabo.* Hæc iterum Capitolinus. Qui tamen paulo post, inter has virtutes tam crudelem fuisse ipsum ait, ut alii Cyclopem, alii Burisidem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem illum vocarent. Unde, quod idem porro memorat, Senatus eum tantum timuit, ut vota in templis publice privatimque mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille unquam urbem Romam videret. Audiebat enim, alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris objectos, alios fustibus elisos. Erat nempe ei persuasum, nisi crudelitate imperium non teneri. Simul & verebatur, ne propter humilitatem generis barbarici a Nobilitate contemneretur. Meminerat præterea, se Romæ etiam a servis nobilium contemptum esse, ita ut ne a Procuratoribus quidem eorum videretur. Itaque ignobilitatis tegendæ causa omnes conscios generis sui interemit; nonnullos etiam amicos, qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis causa pleraque donaverant. Sine judicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit, omnium bona sustulit; & plus quatuor millibus hominum occisis se satiare non potuit. Capitolino consentit Herodianus. Nam & is graviorem multo suis ac truculentiorem quam ipsis hostibus Maximinum fuisse scribit; quandoquidem longe plures in ipsa Roma subjectisque nationibus illo imperante cædes quam inter barbaros editæ fuerint. Eodem auctore omnis tunc, non modo libertas, sed insti-

ſtigatio quoque, delatoribus permiſſa, ut circumvenire quos vellent, renovareque etiam, (ſi ita uſus poſceret) usque a progenitoribus ignota atque indeprehenſa ad eam diem crimina liceret. Neque delicti alicujus quispiam arceſſebatur, quin idem continuo reus peragere-tur, ac cenſu fortunisque omnibus expelleretur. Itaque quotidie cerneres, ait, qui pridie opulentiſſimi fuiſſent, eos nunc emendicare ſtipem. Tanta videlicet tyrannidis avaritia inceſſerat, asſiduas erga militem largitiones obtendentis. Erant præterea illius aures omnibus calumniis patulæ, ſic ut nullius vel ætatis vel dignitatis rationem haberet.

Perſecutio ſub Maximino Antiſtites Eccleſiæ potius quam Chriſtianos promiſcue vexavit.

II. Huic Maximino, *quo*, ut Capitolinus ait, *non fuit crudelius animal in terris;* quique, Herodiano dicente, *patrio inſtituto* (barbaris nempe parentibus erat genitus) *cædis avidisſimus* fuit, ſeptimam Eccleſiæ perſecutionem, (ſecundum Euſebii, Auguſtini, Oroſii, computationem ſexta eſt) tribuimus. De qua ſic Euſebius Hiſtoriæ Eccl. lib. VI, cap. XXIIX: Μαξιμῖνος καῖσαρ -- κατὰ κότον τὸν πρὸς τὴν Ἀλεξάνδρου οἶκον ἐκ πλειόνων πιστῶν συνεστῶτα, διωγμὸν ἐγείρας, τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας μόνους, ὡς αἰτίους τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας, ἀναιρεῖσθαι προστάττει. *Maximinus Cæſar, --gravi odio ſuccenſus adverſus familiam Alexandri, in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos Eccleſiarum Antiſtites, utpote Evangelicæ prædicationis auctores, interfici juſſit.* Idem in Chronico, Maximinum *adverſum Eccleſiarum Sacerdotes perſecutionem feciſſe* ait. Quamquam in Græco abſolute eſt: Μαξιμῖνος κατὰ χριστιανῶν διωγμὸν ἐκίνησεν. Sed textum heic a Georgio Syncello mutilatum eſſe, Joſephus Scaliger in

in suis Animadversionibus monet. Et sane Orosius etiam, de Maximino agens lib. VII, cap. XIX, *Maxime*, inquit, *propter Christianam Alexandri, cui successerat, & Mamææ, matris ejus, familiam, persecutionem in Sacerdotes & Clericos, id est, Doctores, vel præcipue propter Origenem Presbyterum, misit.*

Inde Sulpitium Severum aliique nonnulli turbinem hunc cetera persecutionibus non annumerant

III. Imo Sulpitius Severus, Historiæ Eccles. lib. II, hac ipsa de causa, quod *Maximinus nonnullarum* dumtaxat *Ecclesiarum Clericos vexavit*, inter reliquas persecutiones hunc turbinem numerare noluit. Videturque cum ipso heic facere Cyprianus, dum tranquillitatem, in qua ante persecutionem Decianam ad tempus Ecclesia egerat, *pacem* vocat *longam*, libro de Lapsis. Etenim si a temporibus Severi usque ad Decium nulla persecutio exstitit, XL annos in pace Christiani vixerunt; secus, si Maximinianæ persecutionis ratio habeatur: ita enim non nisi XIV annis halcyonia durassent. Refer eodem, quod Firmilianus, Cappadociæ Episcopus, epistola ad Cyprianum, quæ inter hujus epistolas est LXXX, persecutionis hujus obiter mentionem faciens, eam *non per totum mundum, sed localem fuisse* scribit.

De Maximini in familiam Alexandri odio Gentilium testimonia.

IV. Ceterum quod odio familiæ Alexandrinæ bellum Christianis indixerit Maximinus, præter nostros, aperte id prodentes, ipsi etiam auctores οἱ ἔξω, quamquam obscurius, innuunt. Julius nempe Capitolinus, in vita ipsius cap. IX, *Omnes*, inquit, *Alexandri ministros variis modis interemit; dispositionibus ejus invidit; &, dum suspectos habet amicos & ministros ejus, crudelior factus est.* Uti ante Capitolinum scripserat de illo Herodianus, lib. VII, cap. I, quod amicos, Consiliarios, &

& miniſtros Alexandri, quibus tot annis ille uſus erat, partim ex aula ejecerit, partim etiam interemerit. Etenim in his multos fuiſſe Chriſtianæ religioni addictos, dubitare non ſinunt, & quæ jam ſupra allata, & quæ porro adducentur.

Alexander Mamæa Chriſtianiſmo favit.

V. Alexandrum videlicet Severum, Mamææ filium, Maximini deceſſorem, Principem *cunctis hominibus amabilem, pium, ſanctum, utilem*; ut eum laudat Ælius Lampridius, vel, quod alii malunt, Spartianus, cap. IV; Alexandrum, inquam, hunc non obſcure Chriſtianis faviſſe, prorſus perſuadent quæ in vita ejus refert modo laudatus Lampridius. Etenim, ut ille ſcribit cap. XXIX, non tantum *Chriſtianos eſſe paſſus eſt*, ſed & *in larario ſuo*, præter *Orphea, & Apollonium*, Tyaneum ſcilicet iſtum, cujus vitam octo libris deſcripſit Philoſtratus, & cujus magicas impoſturas veris noſtri Salvatoris miraculis oppoſuiſſe Gentiles, eique venerationis plurimum detuliſſe, ex Patrum ſcriptis, & antiquis Hiſtoricis, Flavio præſertim Vopiſco in vita Aureliani cap. XXIV, conſtat, *CHRISTUM quoque & Abraham habuit* (plane eum in modum, quo Marcellina, Carpocratianæ ſectæ mulier, *imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ*, coluiſſe dicitur, apud Auguſtinum hær. VII.) Quin *CHRISTO templum facere voluit, eumq; inter Deos recipere*, rurſum Lampridio teſte cap. XLIII. Et *cum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*; ibid. cap. XLIX.

Vide lib. 3. de Calumn. Pag. c. 4. n. 2.

Idem regula christiana: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; *magnopere fuit delectatus,*

VI. Porro, narrante eodem Lampridio cap. LI, *clamabat sæpius* Alexander, *quod a quibusdam sive Judæis sive Christianis audierat, & tenebat; idque per Præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat:* QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. *Quam sententiam usque adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus, præscribi juberet.* Vide Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. & Tobiæ IV, 16. Præterea in vetustissimis quibusdam Mss. Græcis verba hæc extare etiam Act. XV, 20. lectaque fuisse insuper in codicibus quibus Irenæus & Cyprianus usi, observat ibidem in Annotationibus suis Beza. uti quoque lecta fuisse oportet in exemplari quo usus est auctor præfationis ante Leges Alvredi, Saxonum Regis, quam, antiquissima lingua Alemanica scriptam, Boxhornius edidit. Sanctionem enim de sanguine, suffocato, & scortatione, Apostolicam sic ibi recitat, ut addat: *and that ge willen that odre men eowe ne don, ne dod ge that odrum monum. Et quod vultis alios vobis non facere, ne facite id aliis.* subjungens mox: *On disrum anum dome mon mæge gedencean, that he agwelere on riut gedemed: ne dear fehe nanra odera. Hujus unius judicii quis potest reminisci, ut unumquemque juste judicet: non opus habet ullo altero.* Quibus postremis (ut obiter id notemus) plane gemina Lactantii isthæc, Epitomes Divinarum Institutionum cap. II: *Radix Justitiæ & omne fundamentum æquitatis est illud: ut ne facias ulli quod pati nolis; sed alterius animum de tuo metiaris. Si acerbum est, injuriam ferre, & qui eam fecerit videtur injustus, transfer in alterius personam quod in te sentis, & in tuam quod de altero judicas; & intelliges, tam te injuste facere, si alteri*

ri noceas, quam alterum, si tibi. Hæc si mente volvemus, innocentiam tenebimus, in qua Justitia velut in gradu consistit. Atque hinc non solum ex Paganis Alexander monitum istud tantopere suspexit, sed Muhammed etiã, cetera impostor omnium maximus, inter quadraginta illa capita, quæ futuris Paradisi incolis præscripsit, ultimũ esse voluit, ut faciant aliis quidquid sibi fieri cupiant; quemadmodũ Muhamed ben Abibecer tradit, apud Hottingerũ Histor. Orient. lib. II, cap. III. cũ quo confer Philippi Locineri Turcicã Historiam; ubi libro II, cap. I, inter octo fundamentalia Turcicæ religionis præcepta tertium hoc esse dicitur: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Circa quam legem Turcas inculcare scribit auctor, *ut erga vicinos suos quivis pius, fidelis, pacificus, proximum suum sociumq; ut seipsum diligat, erga quemvis aperti sit animi, magistratui obedientiam præstet: tum etiam, ut cum quavis gente, cum qua negotiationes vel contractus quovis modo exercentur, candor & fidelitas colatur: & si forte lædendi vel quovis modo defraudandi alium cogitatio in animum irrepat, ut protinus iste secum accurate cogitet, si adversus ipsum alius similem intendat machinam, num etiam æquo animo injuriam istam laturus sit. Hisce enim cogitationibus facile unumquemq; sic affici, ut ab omni injuria proximo inferenda abstineat.* *Quæ etiam probata Muhammedanis*

VII. Verum e diverticulo in viam, & ad Alexandrum, ut redeamus, non præcepta solum & monita Christianorum illum suspexisse, sed & praxi ipsa consuetudines eorum ritusque laudabiles expressisse, notabili admodum exemplo Lampridius cap. XLV ostendit; *Ubi*, inquiens, *aliquos voluisset vel Rectores provinciis da-* *Alexander ritus Christianorum imitatus est.*

re, vel Præpositos facere, vel Procuratores; id est, Rationales, ordinare, nomina eorum proponebat; hortans populum, ut, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque, grave esse, qvum id Christiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.

Mos eligendi Ecclesiæ Ministros antiquum.

IIX. Cui loco lucem afferre potest illustrem epistola a Cypriano aliisque in Synodo quadam Africana congregatis Episcopis ad Clerum & plebes Hispaniarum scripta, quæ inter Cyprianeas est LXIIX. Inde enim intelligitur inprimis, quid sit illud, quod Alexander dicit, apud Christianos *prædicari Sacerdotes.* Verba huc facientia sic habent: *Videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio*
Num. 20, 25. *comprobetur; sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit, dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni synagoga: & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni synagoga jubet Deus constituti Sacerdotem, id est, instruit & ostendit, ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita* PRÆDICENTUR: *& sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata. Quod postea secundum divina magisteria observatur in Actis Apostolorum; quando de ordi-*
Act. 1, 15. *nando in locum Judæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur:*

Sur-

Surrexit, inquit, Petrus in medio discentium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos, animadvertimus. De quo & ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis. Quod utique idcirco tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet. Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias universas, tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos Hispanos *factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, ut de universæ Fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur.* Act. 6, 1.

Ubi vides, & in Hispaniis, & in Africa, & *fere per provincias universas*, morem istum Cypriani ævo obtinuisse, ut plebe præsente Ministrorum fieret ordinatio, & cuique liberum esset, objicere, si quod patrassent aliquando crimen, muneris sacri Candidatis. Quam consuetudinem ad Gregorium I usque, imo ad tempora Caroli & Ludovici Imperatorum, perduravisse, in suis ad hunc locum adnotationibus ostendit Pamelius. Videantur etiam testimonia, quæ notavit ad canonem CXXCIV Codicis Canonum Ecclesiæ univ. Christoph. Justellus.

Alexandri mores probati.

IX. Sed denuo ad propositum. Satis, opinor, ex dictis constat, Alexandrum Christiani nominis professoribus haud parum faviſſe, &, quamquam Deorum cultui adsueviſſet, Gentilibusque superstitionibus a puero esset imbutus, aliquali tamen ratione nostrorum instituta fuisse imitatum. Libet nihilo minus & alia quædam ex Historicis subjungere, unde, quod ad Christianorum mores vitam suam comparare instituerit Princeps optimus, haud obscure colligetur. Scilicet, qvum jam Heliogabalus adorari more Persarum cœpisset, ipse adorari se vetuit, imo nec caput coram se flecti voluit. In matrem Mamæam unice pius fuit, adeo ut Herodianus lib. VI, cap. I, scribere non dubitet, hoc tantum reprehendi in Alexandro posse, quod manſuetudine nimia, & reverentia majore quam oportuerit, matri obsecutus sit. Cui tamen ipsi graviter succensuisse Imperatorem, eamque incusasse, quod esset pecuniæ avidior, & opum cumulandarum studiosior videretur, idem auctor paulo ante dixerat. Injuriam porro nemini intulit, neminem indemnatum morti tradidit. Et quamquam vitam Alexandri Magni præcipue imitaretur, crudelitatem tamen & ebrietatem in eo damnavit. Amicos, non primi solum aut secundi loci, sed inferiores etiam ægrotantes invisit. Pauperibus plerisque sine usuris pecunias dedit ad agros emendos, reddendas de fructibus. Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari jussit, deportatis omnibus impuris, aliquibus etiam naufragio mersis, cum quibus impurus ille Heliogabalus consuetudinem habuerat. Omnes item quos bestia ista ex genere hominum turpissimo reipubli-

cæ

cæ præfecerat, removit, ejectis insuper aulico ministerio cunctis obscenis & infamibus. Quin neminem nisi honestos & bonæ famæ homines ad salutationem admisit: matrem quoque & uxorem a mulieribus famosis salutari vetuit. Inprimis autem & supra modum furti crimen detestatus est, adeo ut, si judices & magistratus, qui hac infamia laborarent, casu aliquo vidisset, præanimi commotione stomachi choleram evomeret, toto vultu ita inardescente, ut loqui non posset. Unde & per Præconem edici jussit, ut nemo salutaret Principem, qui sefurem esse nosset, ne aliquando detectus, capitali supplicio subderetur. Notarium quendam, qui falsas literas scripserat, incisis digitorum nervis, ut scribere amplius non posset, deportavit. Dies denique nunquam transiit, quin aliquid mansuetum, civile, pium, faceret: prout hæc omnia in ipsius vita narrat Lampridius.

Alexandrũ Christianismo nomen dedisse nonnulli putant.

x. Atque ex his Alexandri moribus, inprimis vero inde, quod, ut supra diximus, CHRISTI ac Abrahami imagines in larario suo habuit, illique templum facere voluit, & inter Deos ipsum referre, quodque Christianis benignum valde & æquum se præbuit, ac nonnulla eorum instituta imitatus est, Christianæ religioni ipsum fuisse addictum aliqui colligunt. *Et certe*, scribit Ægid. Bucherius, libro VI Belgii Romani Ecclesiastici & Civilis, cap. IIX, 3. *si mater Catholica dicto audientem in omnibus filium, Herodiano, Lampridio, aliisque Gentilibus testibus, habuit; si vias omnes adeo obsepsit, ne adsentatorum vitiis inquinaretur; nullane in salutem eius cura fuisse putanda est? præsertim cum in familiam suam plurimos adsciviſſet Christianos.* Et Hermannus Crombachius, Ursulæ vin-

vindicatæ lib. IV, cap. XXX, memorat, Alexandrum, *cum adhuc circa Euphratem contra Persas ageret, cum Abagaro, Edessæ Rege Christiano, de* CHRISTI *fide non minus disseruisse, quam eodem ipso tempore Mammæam, ejus matrem, cum Origene: a quo tandem ut aquis illa genitalibus expiata sit, ita & filius, matris aliorumque Christianorum consuetudine delinitus, fidem sit amplexus.*

Sed perperã. XI. Verumenimvero non videntur illa tanti esse momenti, ut facile cuiquam persvadeant, Alexandrum fuisse Christianum. Quod enim CHRISTUM inter Deos referre voluit, id sane non magis Christianum ipsum fuisse probat, quam Tiberium: qui itidem tale quid decreverat, nec tamen ideo Christianus a quoquam habitus est. Quin hoc ipsum, quod a fide alienissimus fuerit Alexander, manifesto evincit: siquidem Christiani ita colunt CHRITUM, ut præter eum non agnoscant alios Deos. Quales porro ineptiæ, Alexandrum prædicare Christianum, quod Abrahami imaginem in larario suo habuit, eumq; sacrificiis coluit? Num hoc est hominis Christiani? Et coluit sane ibi Orphea quoque, coluit Apollonium: an ut Christianus, obsecro? Imo a nulla re magis abhorrebant CHRISTI servi, quam ab idololatria, præsertim tam crassa. Quod porro Christianorum instituta in quibusdam imitatus est, nihil aliud probat, quam quod naturæ legi & æquitati ea consentanea judicaverit. Et si ex eo, quod bene voluit Christianis, plurimosque illorum in suam adscivit familiam, argumentum pro Christianismo ipsius peti potest, cur non & Valerianus Christianis annumeratur? de quo Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium Histor. Eccles. lib. VII, cap. X, οὐδὲ ἄλλος

τις

τις ὅτω τῶ πρὸ αὐτοῦ βασιλέων εὐμενῶς καὶ δεξιῶς πρὸς αὐτοὺς διετέθη, οὐδ' οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι, ὡς ἐκεῖνος οἰκειότατα ἐν ἀρχῇ καὶ προσφιλέστατα φανερὸς ἦν αὐτοὺς ἀποδεχόμενος. καὶ πᾶς ὁ οἶκος αὐτοῦ θεοσεβῶν πεπλήρωτο, καὶ ἦν ἐκκλησία Θεοῦ. *Nullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio Principatus sui. Totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei ecclesia esse videbatur.* Quæ de Alexandri cum Abgaro, Rege Christiano, habitis colloquiis Crombachius narrat, eadem facilitate rejici possunt, qua ab ipso afferuntur, cum nullo idonei scriptoris testimonio ea confirmet. Bucherius quidem ex Zonara fidem iis conciliare audet, sed frustra; cum apud hunc auctorem nihil eorum legatur. Mamæam operam dedisse, ut Alexandrum ad fidem perduceret, sicut dubitandum non est: ita, num voti illa sui compos facta heic fuerit, aliunde sciri non potest, nisi ex scriptorum fide dignorum testimoniis; quibus vero penitus heic destituimur.

XII. Exploso igitur Christianismi Alexandrini commento, in hoc acquiescamus, quod ex actorum ἀξιοπίστων testimonio constat, natam esse, quæ Maximino imperante in Ecclesiam detonuit, persecutionem ex ipsius in familiam Alexandri odio: quodque peculiariter Doctores Christianos ea vexavit, Origenis præsertim occasione factum esse, ut refert Orosius. Nimirum, auctore Eusebio Historiæ Eccl. lib. VI, cap. XXI, τοῦ αὐτοκράτορος μήτηρ, Μαμαία τοὔνομα, γυνὴ θεοσεβεστάτη, εἰ καί τις ἄλλη, γεγονυῖα, καὶ εὐλαβὴς τὸν τρόπον, τῆς Ὠριγένους πανταχόσε

Mamæa, Alexandri mater, cum Origene conversata.

χόσε βοωμένης φήμης, ὡς καὶ μέχρι τῆς αὐτῆς ἐλθεῖν ἀκοῶν, περὶ πολλοῦ ποιεῖται τῆς τοῦ ἀνδρὸς θέας ἀξιωθῆναι, καὶ τῆς ὑπὸ πάντων θαυμαζομένης περὶ τὰ θεῖα συνέσεως αὐτοῦ πεῖραν λαβεῖν. ἐπ' Αντιοχείας δῆτα διατριβοῦσα, μετὰ στρατιωτικῆς δορυφορίας, αὐτὸν ἀνακαλεῖται. παρ' ἣ χρόνον διατρίψας, πλεῖστά τε ὅσα εἰς τὴν τοῦ κυρίου δόξαν καὶ τῆς τοῦ θείου διδασκαλείου ἀρετῆς ἐπιδειξάμενος, ἐπὶ τὰς συνήθεις ἔσπευδε διατριβάς. *Mater Imperatoris* Alexandri, *Mamæa nomine, pia inprimis ac religiosa femina, cum Origenis nomen ubique jam celeberrimum haberetur, adeo ut ad ipsius quoque aures perlatum esset, conspectu ejus frui, & scientiam rerum divinarum, quam omnes in eo viro magnopere admirabantur, certissimo experimento cognoscere concupivit. Igitur illa Antiochiæ degens, misso militari satellitio hominem accersit. Qui apud eam aliquamdiu commoratus, cum innumera illi documenta exhibuisset ad Domini gloriam & ad divinæ illius prædicationis potentiam declarandam, ad consvetas mature sedes regressus est.* De eadem re testantur & alii. Ita Hieronymus, libro de Script. Eccl. cap. LIV, de Origene loquens, *Ad Mameam*, inquit, *matrem Alexandri Imperatoris, religiosam feminam, rogatus venit Antiochiam, & summo honore habitus est.* Vincentius Lerinensis, in suo Commonitorio cap. XXIII, de eodem, *Quam non solum privatæ conditioni*, ait, *sed ipsi quoque fuerit reverendus imperio, declarant historiæ, quæ eum a matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt, cœlestis utique sapientiæ merito, cujus & ille gratia & amore flagrabat.*

Præter Alexandrinæ familiæ odium alia quoque

XIII. Et hucusque de causa veluti domestica, qua motus Maximinus persecutionem adversus Ecclesiam excitavit. Superest alia, quam cum reliquis persecutoribus

bus communem habuit. Nempe persuasum erat idolatris, Deos, Christianorum impietate exasperatos, mala omnia, quibus terrarum orbis prematur, humano generi immittere, nec nisi illorum sanguine ea posse expiari. Vide librum III de Calumniis Paganorum cap. XV. Cum igitur Maximino imperante terra non semel concuteretur, pro more, id Christianismo deberi, clamarunt Gentiles (vide Eusebium lib. VI, cap. XIII.) atque sic Imperatori, jam ante in hoc satis proclivi, ad persequendam Ecclesiam ansa fuit data. *causa Maximinum ad persecutionem movit.*

XIV. Rem ita se habere, fidem facit epistola, quam, in controversia de Baptismo hæreticorum, contra epistolam Stephani, Episcopi Romani, ad Cyprianum dedit Firmilianus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus; quæq; inter Cyprianeas est LXXV. ubi nimirum hæc leguntur: *Ante viginti & duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multæ isthic conflictationes & pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis: terræ etiam motus plurimi & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam & per Pontum multa subruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ dirupti soli hiatu devorarentur, ut ex hoc persecutio amque gravis adversum nos Christiani nominis fieret.* Confirmat idem Origenes, Tract. XXIX in Matthæum, in explicatione cap. XXIV, 9. ita scribens: *Propter multitudinem Christianorum dicunt fieri bella, & fames, & pestilentias. Frequententer enim famis causa Christianos culparunt Gentiles, & quicunque sapiebant quæ gentium sunt: sed & pestilentiarum causas ad* CHRISTI *ecclesiam retulerunt. Scimus autem, & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas; ita ut qui erant* *Motus terræ sub Maximino Christianis imputati*

impii extra fidem, causam terræ motus dicerent Christianos: propter quod & persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, & incensæ sunt: non solum autem illi, sed & qui videbantur prudentes, talia in publico dicerent: propter Christianos fiunt gravissimi terræ motus.

Ambrosius & Protoctetus sub Maximino Confessores.

XV. Eundem quoque Origenem hoc tempore librum de Martyrio concinnasse, Ambrosio & Protocteto, Cæsariensis ecclesiæ Presbytero, inscriptum, eo quod uterque in illa persecutione non mediocre discrimen subiisset, maximamque gloriam ob confessionem nominis Christi retulisset, Eusebius Historiæ Eccles. libro VI, cap. XXIIX, auctor est. Ubi præterea annotat, quod Origenes, tum XXII tomo Commentariorum in Johannem, tum in diversis epistolis, hujus persecutionis tempus indicet.

Epiphanius a Scaligero reprehensus.

XVI. Obiter monemus, Epiphanium reprehendi a Josepho Scaligero, Animadv. Euseb. num. MMCCLII, quod turbinem, de quo in præsenti agimus, *persecutionem primam* vocaverit. Ita namque scribit: *Epiphanius parum caute hanc persecutionem διωγμὸν πρῶτον vocavit, hæresi LIX, hoc est, Novatianorum. Sed multis ejusmodi nævis Epiphanium insignitum esse sciunt qui eum legerunt.*

de immerito.

XVII. Ubi miratum me esse fateor, Scaligeriana ista dum inspexi. Quamquam enim frequentes Epiphanii lapsus, præsertim in Historicis & Chronologicis, non ignorabam, quorum etiam aliquos supra notavi ipsemet, adduci tamen non potui ut crederem, adeo sive rudem sive negligentem fuisse virum hunc, ut, quæ sub Maximino grassata est, primam fuisse Christianorum persecutionem scripserit: quippe quæ nimis absurda foret

Vid. c. 2. n. 16. c. 5. n. 32

ret hallucinatio. Et sane Epiphanium quisquis evolverit, ipsius Scaligeri mirabitur ἀβλεψίαν, alia omnia ibi deprehensurus quam quæ Eusebianæ Animadversiones lectori persvadere conantur. Sic enim Epiphanii habent verba: ὁ Νοβᾶτος ἦλθε τῆς Ρωμαίων ὑπῆρχεν, ἐν καιρῷ δὲ διωγμοῦ τοῦ περὶ Μαξιμίνου γενομένου πρώτου. τάχα οἶμαι Δεκίου τότε ἦν, ἢ Αὐρηλιανοῦ. Quæ ita vertit Petavius: *Novatus Romæ persecutionis illius tempore fuit, quæ eam antecessit quam Maximinus excitavit: quæ Decii, ut opinor, aut Aureliani fuit.* Ubi sane nulla habetur mentio persecutionis Maximini, quæ fuerit διωγμὸς πρῶτος, sed δὲ διωγμοῦ τοῦ περὶ Μαξιμίνου γενομένου πρώτου, id est, πρωτέρου (Superlativum enim Comparativi non raro significationem induere, præsertim quando regit Genitivum singularem, quis ignorat?) persecutionis quæ Maximinianam præcessit, Decianæ puta vel Aurelianeæ. Unde porro id etiam liquet, cum Decius & Aurelianus post Maximinum Thracem imperaverint, non de hoc sermonem Epiphanio esse posse, sed de Maximino ipsum loqui qui post Diocletiani abdicationem in Christianos desæviit. Vide Eusebium Append. libri IIX Historiæ Eccles. cap. IV.

CAPUT IIX.

DE PERSECUTIONE OCTAVA, SUB DECIO.

CONSPECTUS.

I. *Decii vita.*
II. *Persecutio Deciana ex odio adversus antecessorem Philippum orta.*
III. *Philippus Arabs Christianus fuisse creditur.*
IV. *Sed nimis temere.*
V. *Tacent namque de ipsius Christianismo scriptores Ethnici.*
VI. VII. *Reclamant vita ejus & mores.*
IIX. IX. X. *Repugnat Origenes.*
XI. *Contradicunt denique Lactantius & Sulpitius Severus.*
XII. *Quid habendum de testimoniis veterum, qui Philippum Christianismo imbutum fuisse scribunt.*
XIII. *Causa Decianæ persecutionis a Nysseno allata.*
XIV. *Alia a Cypriano.*
XV. *Salviani locus elegans de utilitate adversitatum & persecutionum.*
XVI. *Visiones Cypriani ante motam hanc persecutionem.*
XVII. *Acerbitas persecutionis Decianæ a Cypriano descripta.*
XIIX. *Ingeniosa Gentilium persecutorum crudelitas.*
XIX. *De persecutionis hujus æstu testimonia Gregorii Nysseni & Nazianzeni,*
XX. *Augustini.*
XXI. *Cur adeo in Christianos fuerit sævitum sub Decio.*
XXII. *Martyres sub Decio: Metra, Quinta, Apollonia, Serapio.*
XXIII. *Dionysii Alex. de persecutione hac testimonium.*
XXIV. *Martyres Alexandrini post promulgatum Decii edictum passi: Julianus, Cronion, Besas, Macar, Epimachus, Alexander, Dioscorus, Milites quinque, Feminæ & viri alii.*
XXV. Hie-

XXV. *Hieronymi de Ægyptiaca persecutione testimonium.*

XXVI. *Cyphonismus, supplicii genus.*

XXVII. *Origenes etiam multa passus est in persecutione Deciana.*

XXIIX. *Pedicis ligneis Martyrum crura inserta; quæ Cippi Latinis dicuntur.*

XXIX. *Epiphanii de Origenis lapsu narratio.*

XXX. *Eam improbat Baronius.*

XXXI. *Tuetur vero contra ipsum Petavius,*

XXXII. *Et Huetius.*

XXXIII. *An sub Decio contigerit Origenis lapsus.*

XXXIV. *Epiphanii auctoritas sola sufficere non videtur firmandæ de Origenis lapsu narrationi.*

XXXV. *Dionysii Alex. fuga.*

XXXVI. *An & quatenus Episcopis imminente persecutione fugere liceat.*

XXXVII. *Dionysius eiusque comites a militibus comprehensi & abducti.*

XXXIIX. *Secessus multorum in deserta loca hac tempestate. In quibus Chæremon, Nili Episcopus,*

XXXIX. *Gregorius Thaumaturgus,*

XL. *Paulus Thebæus, vitæ anachoreticæ auctor,*

XLI. *Cyprianus.*

XLII. *Qui proscriptus tunc bonisque omnibus fuit exutus.*

XLIII. *Quid in secessu suo Cyprianus egerit.*

XLIV. *Quanto solatio Confessoribus fuerint scriptæ hinc ad ipsos epistolæ.*

XLV. *Mappalicus martyr, cum sociis.*

XLVI. *Babylas martyr. Unus, an plures hujus nominis fuerint.*

XLVII. *Babylas sub Numeriano Episcopus, Nicephori commentum.*

XLIIX. *Chrysostomus de Babylæ martyrio.*

XLIX. L. *Translatio reliquiarum Babylæ. Theodorus adolescens sub Juliano martyr admirabilis.*

LI. *Fabianus Rom. martyr; Moses item, Presbyter Rom. Victoria, Anatolia, Agatha, Calocerus, Parthenius, Secundianus, Marcellianus, Verianus, Timotheus, Maura, Alexander Ierosol.*

LII. *Confessores, Aurelius, Numidicus, Lucianus, Celerinus.*

LIII. *Quam forti pectore illatas*

ob

ob Christum iniurias sancti Martyres toleraverint.

LIV. LV. *Lapsi sub Decio.*

LVI. *Eorum duo genera: Sacrificati & Libellatici.*

LVII. *De Libellaticis receptior sententia,*

LIIX. *Baronio improbata.*

LIX. *Argumentum Baronii primum.*

LX. *Examen.*

LXI. *Argumentum Baronii alterum.*

LXII. *Libellatici non omnes ejusdem fuere conditionis.*

LXIII. *Sententia de iis Albaspinæi,*

LXIV. *Æg. de Coninck,*

LXV. *Forbesii.*

LXVI. *Quæ licet in aliquibus discrepent, omnes tamen Baronio adversantur.*

LXVII. *Decii persecutoris pœna.*

LXIIIX. *Decio exstincto, pax Ecclesiæ reddita est. Pro qua gratias Deo agendas esse, Cyprianus monuit.*

LXIX. *Gallus, Decii successor, Ecclesiæ persecutionem resuscitavit.*

I.

Decii Vita. Octavus tyrannide immani Ecclesiam Christi presit Decius, circa annum CCXLIX Imperator præter spem & opinionem creatus. Exorta nimirum seditione in Mysia, Philippus illum, utut invitum ac repugnantem, eo abire, & seditionis auctores punire jussit. Quem advenientem statim milites strictis ensibus accipere imperium coëgerunt. Et quamquam per literas Philippum, ne inopinato hoc casu perturbaretur, adhortabatur, promittens, se, ubi Romam venisset, positurum imperii signa; Philippus tamen id non credens, bellum ei intulit, commissoque prælio, in prima acie dimicans, una cum filio Philippo cecidit. Quibus sublatis, universi se ad Decium contulerunt, uti narrat Zonaras. Vir fuit artibus cunctis virtutibusque instru-

instructus, placidus ac civilis domi, & in armis promptissimus, adeo ut Senatus judicio Trajano adæquaretur, nomenque OPTIMI Principis mereretur, teste Pomponio Læto. Animositatem Decii exinde perspicere licet, quod, de obitu filii, qui una cum patre adversus Gothos in pugnam descenderat, certior factus, strenue dixisse fertur: *unius militis sibi videri exiguam jacturam*; uti refert Aurelius Victor. Modestiæ ejus indicium fuit, quod jus quintæ relationis, Proconsulare imperium, jus Tribunitiæ potestatis, arbitrio Senatus populique Romani permisit, permisit quoq; censuram amplissimo ordini, nusquam institutis adversatus, nec quidquam agere cupiens, nisi quantum Senatus juberet: quemadmodum hæc & alia apud supra memoratos auctores legi possunt.

Persecutio Deciana ex odio adversus anteccessorem Philippum orta.

II. Quamquam vero cetera laudem gloriamque mereatur Decius, summa tamen notatus est infamia, dum *furere contra Deum cœpit* (ut ait Lactantius de Mortibus persecutorum cap. IV) & tempestatem ordine octavam, (Eusebio, Hieronymo, Augustino, Orosio, Sulpitio Severo, septimam) Ecclesiæ CHRISTI concitavit. Cujus causam fuisse odium ejus in anteccessorem Philippum, Eusebius tradit in Chronico ad ann. I Decii, Δέκιος, inquiens, διὰ τὸ κατὰ Φιλίππου ἔχθος πικρὸν ἤγειρεν κατὰ χριστιανῶν διωγμόν. Quod Hieronymus ita expressit: *Decius, quum Philippum patrem & filium interfecisset, ob odium eorum, in Christianos persecutionem movet.* Eadem habet libro VI Historiæ Eccles. cap. XXXIX. Nec aliter Orosius, qui Historiæ suæ libro VII, cap. XXI, scribit: *Anno ab urbe condita millesimo quarto Decius, civilis belli incentor & repressor, occisis Philippis, XXV. ab Augusto invasit im-*

perium, tenuitque annis tribus. Idem continuo, in quo se etiam ob hoc Philippos interfeciſſe docuit, ad perſequendos interficiendosq; Chriſtianos VII poſt Neronem feralia diſperſit edicta, plurimosque ſanctorum ad coronas Chriſti de ſuis crucibus miſit. Imo Hieronymus lib. de Script. Eccl. cap. LIV, in Origene, *perſecutionem adverſus Chriſtianos ſub Decio conſurrexiſſe* ait, *eo quod in religionem Philippi deſæviret.* Confer quæ habet Jornandes lib. 1 de regnorum ac temporum ſucceſſione.

Philippus Arabs Chriſtianus fuiſſe creditur.

III. Nimirum ponunt iſti omnes tamquam certum, M. Julium Philippum Arabem Chriſtianæ religioni fuiſſe addictum. Id quod etiam alibi conceptis verbis docent. Nam Hieronymus in Chronico Euſebiano, num. MMCCLX, *Philippus*, ait, *primus omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit.* Idem iisdem plane verbis tradunt Oroſius lib. VII, cap. XX & XXIIX, ac Jornandes, ubi ſupra. Junge Caſſiodorum in Chronico, nec non Chronicon Alexandrinum ad ann. MMMMMDCCLX, Acta item Pontii, memorata Baronio, ad ann. CCXLVI, 9. Martyrologium Romanum, Adonis, & Uſuardi, ad d. XIV Maji. Sed inprimis huc ſpectat locus Euſebii lib. VI Hiſtoriæ Eccleſ. cap. XXXIV. ubi famam eſſe ſcribit, cum Philippus, utpote Chriſtianus, in poſtrema Paſchæ vigilia precationum in eccleſia particeps ſimul cum reliquo populo fieri vellet, Epiſcopum, qui tunc eccleſiæ præerat, non prius illi aditum permiſiſſe, quam commiſſa a ſe ſcelera confeſſus, lapſis ſe in Pœnitentium ordine conſiſtentibus adjunxiſſet. καὶ πειθαρχῆσαί γε, inquit, προθύμως λέγεται, τὸ γνήσιον καὶ εὐλαβὲς τῆ περὶ τὸ θεῖον φόβου διαθέσεως ἔργοις ἐπιδεδειγμένον. *Et libenter obtemperaſſe dicitur*

tur Imperator, *sincerumque ac religiosum affectum timoris Dei operibus ipsis declarasse.* Hæc Eusebius, qui paulo etiam post, cap. xxxvi, duarum Epistolarum Origenis meminit, quarum una ad Philippum, altera ad uxorem ejus Severam fuerit scripta: uti earundem epistolarum Hieronymus quoque, libro de Scriptoribus cap. LIV, facit mentionem, verum ita, ut alteram earum (non ad *uxorem*, sed) ad *matrem* Philippi datam ait. Verba sunt: *Ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem ejus, literas fecit* Origenes, *quæ usque hodie extant.* Vincentius Lerinensis *Christiani magisterii auctoritate* istas literas fuisse scriptas affirmat. In laudibus enim Origenis magnifice prædicandis occupatus, Commonitorii cap. xxiii, inter alia, *Quam*, inquit, *non solum privatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus imperio, — ejusdem epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit, Christiani magisterii auctoritate conscripsit.*

IV. Quamvis autem de Philippi Christianismo tot tantorum virorum tamque illustria extent testimonia, negari tamen nequit, argumenta suppetere non aspernanda, quibus falsitatis convinci posse videatur quidquid de eo traditum legimus. *Sed nimis temere.*

V. Et initio quidem rem totam facit suspectam Ethnicorum auctorum de nova a Philippo suscepta religione silentium. Neque enim verisimile est, si publice Christianorum fidem is fuisset professus (uti sane præ se fert narratio Eusebii) tacituros id scriptores τὰς ἔξω, quos utique in Constantinum M. ut contemptorem *Tacent namque de ipsum Christianismo scriptores Ethnici.*

Numinum, sacrorumque desertorem, magna acerbitate identidem invectos esse constat. Vide inter alios Zosimum Histor. lib. II.

Reclamant vita ejus & mores.

VI. Deinde non parum probabilitati vulgatæ opinionis detrahunt vita & mores Philippi, in quibus nihil Christiana integritate dignū, sed contraria potius omnia deprehendas. Atroci namque scelere & nefaria fraude dominum suum Gordianum, Imperatorem optimum, ut imperium ipse invaderet, interfecit. Quod cum reliqui scriptores omnes, & ipse quoque Eusebius in Chronico, affirmet, quia tamen cum Christi fide male convenire intelligebat, in Historia Ecclesiastica, ubi de Christianismo ejus complura verba fecit, dissimulat. Dissimulat itidem Orosius, utut cetera de Philippi Christianismo ex Eusebii Chronico exscribat. *Ne, illi magnam injuriam sacrosancto Christi cultui faciunt, qui primi hunc latronem Araba, domini sui, Imperatoris innocentissimi, & reipublicæ maxime necessarii, interfectorem, idolorum cultorem, & ex cujus vita nihil tale colligi potest, Christianum ausi sunt dicere, & epistolas Origenis ad eum & Severam ejus uxorem commenti sunt, ut mimo fides haberetur;* scribit Jos. Scaliger ad Eusebium num. MMCCLX.

VII. Ubi quod Philippum idolorum cultorem vocat Scaliger, parum Orosii relationi respondet: ut qui, libro VII Historiæ cap. XX, cum millesimum urbis annum in imperium Philippi incidisse, atque adeo ludos seculares magnifice ab eo celebratos esse, commemoret, negat tamen, *adscensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias*, ab ullo auctore ostendi. Licet in eo fallatur: siquidem hoc ostendit Aurelius Victor, ab Andrea

drea Schotto editus, quando ait: *Qvum Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis utero maris feminarum genitalia apparuere. Id Haruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati. Quod frustratum iri æstimans Imperator Philippus, tum quia forte præteriens filii similem ephebum conspexerat, usum virilis scorti removendum honestissime consultavit.* Hæc, inquam, Victor. Unde profecto non apparet, quomodo *millesimus Romæ annus* CHRISTO *potius quam idolis dicatus* fuerit: quod Orosius dicto loco cap. XXIIX affirmat.

IIX. Porro pro eorum sententia, qui Philippum Christianæ religioni addictum fuisse negant, non leve ex iis argumentum peti potest quæ circa finem operis sui adversus Celsum disputat Origenes. Edidit nempe Celsus iste, Epicureus Hadriani tempore Philosophus, contra Christianos simul ac Judæos vehementissimam invectivam, sub titulo Λόγου ἀληθοῦς, sive *Sermonis Veri*, qua utrorumque religionem omni ex parte impugnarat, præsertim vero incredibili dicacitate ac petulantia calumnias dolose concinnatas & mendacia artificiose velata in Christianam doctrinam evomuerat: inque hoc suo commentario Christianis objecit, quod dicerent, si præsentes Imperatores ad fidem suam pertraxissent, etiam alios ex aliis pertractum iri. Verba Celsi sunt: οὐ μὴν οὐδὲ ἐκεῖνο ἀνεκτόν σου λέγοντος, ὡς ἂν οἱ νῦν βασιλεύοντες ἡμῶν σοὶ πεισθέντες ἁλῶσι, τοὺς αὖθις βασιλεύονται πείσεις. εἰ δ' ἄλλους ἂν κἀκεῖνοι ἁλῶσι, καὶ ἄλλους ἐπ' ἄλλοις, μέχρι πάντων τῶν σοὶ ποιθομένων ἁλισκομένων. ἅμα τὶς ἀρχὴ σωφροσύνης, (σωφρονήσασα) καὶ προειδομένη τὸ συμβαῖνον, πάντας ὑμᾶς, πρὶν αὐτὴ προαπολέσθαι, παγγενεὶ διολέσει. *Nec hæc quidem ve-*

Repugnat Origenes.

stra vox ferenda: si præsentes Imperatores ad fidem nostram pertraxerimus, pertrahentur rursum alii. Quod si alios illi pertraherent, & alios insuper atq; alios, donec omnes ad tuam fidem pertraherentur; tandem aliquis Princeps, prudentius se gerens, quid sit futurum prævidebit, & totum genus vestrum, priusquam se deperditum eat, exstirpabit. Hæc vero Celsiana ubi recitasset Origenes, sub finem libri IIX contra eundem, mox subjungit: ἐπεὶ ὃ πρὸς Ἑλλήνων οὐκ ἐρεῖ λόγος· ὁ μὲν λέγει ὡς ἡμῶν ἐπὶ τῶν νῦν βασιλευόντων, ὅτι ἐὰν πεισθέντες ἀλῶσι, Ἕλληνες μετ' ὀλίγον πάλιν πείσομεν· κἀκείνων ἁλόντων πάλιν Ἕλληνες ἐξῆς πείσομεν. *Ad hæc respondere nihil est opus; cum nemo nostrûm sic loquatur: si præsentes Imperatores ad nostram religionem pertraxerimus, pertrahentur universi, alii post alium.* quemadmodum paulo ante dixerat, quod Celsus, talia effutiens, affingat nobis ἃ οὐδεὶς ἡμῶν ἀνέγραψε, *quæ nemo nostrûm scripserit.* Ubi cogita, an verosimile sit, si Philippus Christianæ fidei mysteriis fuisset initiatus, Origenem, qui, teste Eusebio lib. VI, cap. XXXVI, suam Apologiam sub hoc Imperatore edidit, ita responsurum Celso, & non potius dicturum, jam tum factum esse quod nunquam fore calumniator auguratus fuerat, siquidem Imperator Philippus Christianum se nunc profiteatur.

IX. Porro Celsus in sua Invectiva Christianos erat adhortatus, βοηθεῖν τῷ βασιλεῖ παντὶ σθένει, καὶ συμπονεῖν αὐτῷ τὰ δίκαια, καὶ ὑπερμαχεῖν αὐτοῦ, καὶ συστρατεύειν αὐτῷ ἂν ἐπείγῃ καὶ συστρατηγεῖν, *ut opem ferrent Imperatori totis viribus, & gererent ejus auspiciis justa piaque bella, neve detrectarent militiam, si res ita postulet.* Ad hæc Origenes, supra expresso loco, λεκτέον πρὸς ταῦτα, inquit, ὅτι

ὅτι δεήσομθα καὶ ὑπὲρ τῶν βασιλεύοντων, θείων (ἵν' οὕτως εἴπω) ἄρηξιν, καὶ παναοπλίαν ἀναλαμβάνοντες θεῦ. καὶ ταῦτα πειθόμθα, πειθόμθοι ἀποστολικῇ φωνῇ, λεγούσῃ· παρακαλῶ οὖν πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας, ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, ὑπὲρ βασιλέων καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων. καὶ ὁσῳγὰρ εὐσεβέστερός ἐστιν, τοσούτῳ ἀνυσιμώτερον ἐν τῷ δεήσει τοῖς βασιλεύουσι παρεμτάσεις ἐξιόντας στρατιώτας, καὶ ἀναιρέτας ἐς ἂν δύνωνται τῶν πολεμίων. *Respondemus, ferre nos Imperatori auxilia suo tempore, sed divina, ut ita loquar, nimirum armatura fretos non humana: idque facimus Apostoli monitis obedientes, cujus hæc verba sunt: Obsecro vos, primum ut faciatis deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus in potestate collocatis. Et quo cuiusque insignior est pietas, eo majorem opem Imperatori fert, magis quam stantes in procinctu milites, & occidentes quotquot possunt ex hostibus*; quæque porro ibi sequuntur in hanc sententiam plura. An vero talia tam confidenter potuisset scribere, si Philippus, qui nuper innocentissimum Imperatorem Gordianum fraudulenter adeo occiderat, fuisset Christianus? 1. Tim. 2, 1.

x. Tandem ubi Celsus, ut magistratus in patria gererent, nostros monuisset, Origenes, sub finem libri IIIX, ἰᾶς δυναλᾶς, inquit, λόγῳ καὶ βίῳ ὑγιεῖ χωρεμένους ἄρχειν ὅτι τὸ ἄρχειν ἐκκλησιῶν παρακαλῶμθ. — ἀδὲν παρὰ ἕτο μολύνονλες τῶν ἢ τῶν νόμων, καὶ ὁ φεύγοντές γε ἐς κοινοτέρας τῷ βίῳ λειτουργίας χριστιανοὶ ἐς ταὐτὸ περιίστανλαι· ἀλλὰ ἱερῶντες ἑαυλοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ ἐκκλησίας θεῦ, ὅτι σωτηρίᾳ ἀνθρώπων. *Nos eos, qui vita & doctrina sa-*

sana ut præsint sunt idonei, hortamur ad præfecturas Ecclesiarum. — Nec hoc faciunt Christiani, quod ista publica vitæ munia refugiant; sed quod se servent diviniori-bus & magis necessariis muniis Ecclesiæ, ad salutem hominum. Quod si autem Philippus Ecclesiæ tunc fuisset membrum, annon dicturum credas Origenem, tantum abesse ut Politica munera nostri refugiant, ut ipsum etiam imperii clavum Christianus teneat?

Contradicūt denique Lactantius & Sulpitius Severus.

XI. His si addideris, quod Lactantius, sub initium Divinarum Institutionum, Constantinum M. alloquens, *Primus*, ait, *Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri & cognovisti & honorasti*; quodque Sulpitius Severus, Historiæ sacræ libro II, *Constantinum primum omnium Romanorum Principum Christianum fuisse*, palam asseverat, quam firmo stet talo vulgaris illa de Christianismo Philippi Arabis opinio, judicare in proclivi est.

Quid habendum de testimoniis Veterum, qui Philippum Christianismo imbutum fuisse scribunt.

XII. Sed quid? inquies, an ergo supra laudatos magni cetera nominis auctores adeo heic vanos fuisse dicemus, ut pro historica veritate mera nobis commenta obtrudere voluerint? Difficultati huic non uno modo a viris doctis obviam iri videas. Nempe Pomponius Lætus & Cuspinianus ajunt, Philippum, *Punica fraude deteriorem, ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulasse.* Casaubonus in Notis ad VI scriptores Historiæ Augustæ, pag. m. 446. existimat, duos Philippos, Augustum videlicet, & Præfectum Augustalem Ægypti, Evgeniæ martyris patrem, hominem Christianum, &, si credimus Zonaræ, ac Martyrologio Rom. ad diem XIII Septemb. sub Severo martyrem, ab antiquis

quis rerum Ecclesiasticarum scriptoribus fuisse confusos. Et sane non defuisse, qui Philippum Imperatorem opinati sint Evgeniæ patrem esse, exemplo sit Cedrenus, cum quo forte heic lapsi sunt alii, quos Tom. II Annalium in Philippo Imperatore redarguit Zonaras. Observari quoque potest, Eusebium, primum Christianismi Philippi assertorem, sibi non satis constare videri; cum lib. IV de vita Constantini cap. LXII, diserte scribat: Μόνος τῶν ἐξ αἰῶνος αὐτοκρατόρων Κωνσταντῖνος, χριστοῦ μαρτυρίοις ἀναγεννώμενος ἐτελειῶτο. *Solus ex omnibus qui unquam fuerunt Imperatoribus Constantinus in Christi martyriis renatus & consummatus est.* Nisi dicere malis, auctorem hunc, quidquid de Philippi Christianismo narrat, non de suo, nec tamquam omnino certum proferre, ut qui ῥῆσει hac: λόγον κατέχειν, sive, *sermonem quendam ita perhibere*, manifesto utitur. Qua etiam usus est Chronographus Græcus Casauboni, quem Eusebio Scaliger subnexuit. Sic enim in Philippo loquitur: τὸν κατὰ χριστὸν λόγον χριστιανὸν γεγονέναι. Notanter item Zonaras ait, Philippum Christianam fidem amplexum esse κατ' ἐνίους, *secundum quosdam.* Imo præcipuus illorum temporum scriptor, & Philippi σύγχρονος, Dionysius Alexandrinus, de Christianismo ipsius aperte dubitavit, cum in epistola ad Hermam, apud Eusebium lib. VII, cap. X, scripsit, nullum superiorum Principum tanta humanitate ac benevolentia nostros complexum fuisse, quantam Valerianus initio præ se tulerit: ὡδὲ τὰς λεχθείσας ἀναφανδὸν χριστιανὰς γεγονέναι. Baronius ad ann. CCXLVI, 9. hoc pacto conciliationem instituendam putat, ut Philippus sub initium imperii Ethnicus fuisse, postea vero

ad Christianismum accessisse dicatur, conversus a Pontio, qui sub Valeriano & Gallieno martyrii palmam adeptus, ut habent Martyrologium Rom. ad diem XIV Maji, & Acta Pontii, ex quibus nonnulla affert Baronius laudato loco. Hoc itaque posito dici posset, impia illa facinora, quibus vitam contaminavit & infamavit Philippus, fuisse ab eo perpetrata antequam Christo nomen daret. Quam conjecturam arridere video Lucæ Osiandro, ut qui in sua Epitome Historiæ Ecclesiasticæ cent. III, lib. II, cap. XII, *Ego*, inquit, *pleraque Philippi Patris scelera ante ipsius conversionem commissa, & a profanis scriptoribus odio religionis Christianæ exaggerata fuisse puto.* Dici item posset, commentarium Origenis adversus Celsum ante Philippi conversionem, epistolas autem ad Imperatorem ejusque conjugem eodem jam converso fuisse scriptas. Quod tamen an ex ordine, quem in enumerandis Origenis scriptis observat Eusebius, *necesse sit affirmare*, ut vult Baronius memorato loco num. VII, non immerito quis dubitaverit.

Causa Decianæ persecutionis a Nysseno allata.

XIII. Sed tempus est, ut e diverticulo sic satis longo in viam tandem revertamur. Diximus supra, Eusebium, & cum ipso alios, motæ a Decio persecutionis causam in odium ejus adversus antecessorem Philippum transferre. At Gregorius Nyssenus, Imperatorem felici religionis Christianæ per totum orbem propagatione & sacrorum idololatricorum eversione adeo irritatum fuisse scribit. Verba ejus, oratione de laudibus Gregorii Thavmaturgi, sic habent: Πανταχοῦ ἤδη διαπεφοιτηκότος τοῦ θείου κηρύγματος, καὶ πάντων κατά τε τὴν πόλιν,

καὶ

καὶ τὸν περίοικον, πρὸς τὴν εὐσεβῆ τοῦ δόγματος πίστιν μετατεθέντων, βωμῶν τε καὶ ἱερῶν καὶ εἰδώλων ἐν αὐτοῖς ἀνατετραμμένων, καθαρθείσης δὲ ἤδη τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς τῶν περὶ τὰ εἴδωλα μιασμάτων καὶ τῆς μιαρᾶς τῶν θυσιῶν κνίσης ἀποσβεσθείσης, καὶ τοῦ ἐπιβωμίου λύθρου καὶ τῶν ἐκ τῆς ζωοθυσίας μολυσμάτων ἀποκλυσθέντων. πάντων δὲ κατὰ τόπον πάντα εὐκτηρίοις ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ χριστοῦ κατὰ σπουδὴν ναοὺς ἀνεγειρόντων, θυμὸς καὶ φθόνος εἰσέρχεται τῷ τηνικαῦτα τῆς ἀρχῆς τῶν Ῥωμαίων ἐπιστατοῦντι, ἐφ οἷς ἠμελεῖτο μὲν αὐτοῦ τὰ πάτρια τῆς ἀπάτης σεβάσματα, ἠυξεῖτο δὲ τῶν χριστιανῶν τὸ μυστήριον. καὶ εἰς πλῆθος ἐπεδίδου πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἡ ἐκκλησία, διὰ τῶν ἀεὶ προστιθεμένων τῷ λόγῳ, πρὸς μέγεθος ἄυξουσα· καὶ νομίσας δυνατὸν εἶναι τῇ θείᾳ δυνάμει τὴν ἰδίαν ἀντιστῆσαι πικρίαν, καὶ ἐπισχεῖν μὲν τοῦ μυστηρίου τὸ κήρυγμα, καταλῦσαι δὲ τῶν ἐκκλησιῶν τὰ συστήματα, μεταστῆσαι δὲ πάλιν ἐπὶ τὰ εἴδωλα τοὺς προκεχωρηκότας τῷ λόγῳ. πέμπει τοίνυν πρὸς τοὺς τῶν ἐθνῶν καθηγουμένους πρόσταγμα, φοβερὰν κατ' αὐτῶν τὴν ἀπειλὴν τῆς τιμωρίας ὁρίζων, εἰ μὴ παντοίοις ἀικισμοῖς τοὺς τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ προσκυνοῦντας διαλωβήσοιντο, καὶ προσαγάγοιεν πάλιν αὐτοὺς φόβῳ τε καὶ τῇ τῶν ἀικισμῶν ἀνάγκῃ τῇ πατρώᾳ τῶν δαιμόνων λατρείᾳ. *Cum jam in omnes partes divini verbi prædicatio divulgata esset, & omnes, tam qui urbem habitarent, quam qui agrum vicinum incolerent, ad piam doctrinæ fidem traducti essent, altaribus atq; delubris, quæque inibi erant simulacris eversis, atque humana vita jam ab inquinamentis simulacrorum expurgata, impuro hostiarum nitore extincto, altarium spurcitia atque ex mactatione & immolatione animalium contractis inquinamentis abstersis, omnibus item in omni loco templa adorandum sub nomine* CHRISTI *studiose extruentibus, furor quidam atque invidia invasit illum qui tunc præerat imperio Romanorum, eo quod patrii qui-*

dem falsi cultus & religiones negligerentur, cresceret autem mysterium Christianorum, & in multitudinem ubique terrarum propagaretur Ecclesia, per eos qui semper sermoni adjungerentur, in magnitudinem excrescens, & arbitratus, fieri posse, ut sua sævitia divinæ potentiæ resisteret, & mysterii quidem prædicationem inhiberet, & constitutas ecclesias everteret, traduceret autem rursus eos, qui sermoni adjuncti essent, ad simulacra. His de causis mittit ad rectores gentium edicta, quæ terribilium pœnarum in eos statuendarum minas continebant, nisi omni genere tormentorum atque suppliciorum mactassent eos, qui CHRISTI *nomen invocarent ac adorarent, metuque ac tormentorum vi rursus eos ad patrium dæmonium cultum adduxissent.* Ita Nyssenus.

Alia a Cypriano.

XIV. Altius immanis hujus persecutionis causas repetit Cæcilius Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, qui præsens hæc omnia exploratissima habuit. Ita nimirum scribit, tractatu de Lapsis, sedata jam persecutione edito: *Habenda est, fratres dilectissimi,* (Confessores & Stantes alloquitur) *ratio veritatis, nec sic mentem debet & sensum persecutionis infestæ tenebrosa caligo cæcasse, ut nihil remanserit lucis & luminis, unde divina præcepta perspici possint. Si cladis causa cognoscitur, & medela vulneris invenitur. Dominus probari familiam suam voluit. Et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene dixerim dormientem, censura cælestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius pati mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne quod gestum est, exploratio potius quam persecutio videretur. Studebant augendo patrimonio sin-*

singuli, & obliti, quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates. Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere Gentilibus membra Christi: *non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare: Præpositos superbo timore contemnere: venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere: Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet ceteris & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari: esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fenus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur? cum jam pridem pia monuerit ac dixerit censura divina: Si dereliquerint legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: si justificationes meas profanaverint, & præcepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum. Prænunciata sunt ista nobis & ante prædicta: sed nos, datæ legis & observationis immemores, id egimus per nostra peccata, ut, dum Domini mandata contempsimus, ad correctionem delicti & probationem fidei remediis severioribus veniremus.* Similia leguntur e- *Ps. 89, 31.*

pistola VIII, durante adhuc persecutionis æstu scripta. *Intelligendum est*, ait ibi sanctus Martyr, *& confitendum, pressuræ istius tam turbidam vastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est, & hucusque populatur, secundum peccata nostra venisse: dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cœlestia mandata servamus. Fecit Dominus noster voluntatem Patris, & nos non facimus Domini voluntatem; patrimonio & lucro studentes, superbiam sectantes, æmulationi & dissensioni vacantes, simplicitatis & fidei negligentes, seculo verbis solis & non factis renunciantes, unusquisq; sibi placentes, & omnibus displicentes. Vapulamus itaque ut meremur, cum* Luc. 12, 47. *scriptum sit: Servus autem ille, qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non paruerit voluntati ejus, vapulabit multis.*

Salviani locus elegans de utilitate adversitatũ & persecutionum.

XV. Quibus Cyprianeis gemina plane Salviani ista, de Gubernatione Dei libro VI: *Si quando exoratus sua ipsa misericordia Deus (neque enim umquam nos ita vivimus, ut exorari mereamur) sed si quando, ut dixi, a se ipse exoratus pacificos nobis dies, proventus uberes, divitem bonis omnibus tranquillitatem & abundantiam dederit super vota crescentem, tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium pravitate vitiamur, ut & Dei penitus obliviscamur, & nostri. Et* 1. Tim. 2, 2. *cum omnem fructum datæ a Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate, ad hoc tantum data a Deo quiete utimur, ut in ebrietate, ut in luxuria, ut in flagitiis, ut in rapinis, ut in omni scelere atque improbitate vivamus. Quasi vero beneficium datæ pacis vacatio sit probro-*

brositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus, ut licentius securiusque peccemus. Indigni itaque cœlestibus donis sumus, qui beneficiis Dei non bene utimur, & facimus rem bonorum operum materiam tantum esse vitiorum. Quo fit, ut ipsa pax contra nos sit: quia sic agitur a nobis, ne expediat rem accipere, qua deteriores sumus. Quis hoc credere queat? Mutamus naturam rerum iniquitatibus nostris; & quæ Deus bona fecit munere pietatis suæ, ea nobis facimus mala esse moribus malis. Sed videlicet qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis: & quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit moderatos. Confer Eusebium Histor. Eccles. lib. IIX, cap. 1.

Visiones Cypriani ante motam hanc persecutionem.

XVI. Ut vero ad Cyprianum redeamus, is porro, proxime expresso loco, mentionem facit quarundam visionum, longe ante motam hanc persecutionem sibi exhibitarum, quibus ad vitæ emendationem Christiani fuerint invitati. *Scire debetis*, inquit (*sicut Dominus ostendere & revelare dignatus est*) *dictum esse in visione: Petite, & impetrabitis. Tunc deinde præceptum plebi assistenti, ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent. In petendo autem fuisse dissonas voces, & dispares voluntates: & hoc displicuisse illi qui dixerat: petite, & impetrabitis; quod plebis inæqualitas discreparet, nec esset fratrum consensio una & simplex, & juncta concordia.* ac deinde: *Et illud ostensum est, quod sederet paterfamilias, sedente sibi ad dexteram juvene, qui juvenis anxius & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens, mœsto vultu sedebat. Alius vero, in sinistra parte consistens, rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, mi-*

minabatur: & cum miraretur, quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei: juvenem, qui ad dextram sic sederet, contristari & dolere, quod præcepta sua non observarentur; illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio, ut a patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas vastitatis hujus oriretur. rursum: *Et hoc nobis non olim* (ita Pamelius legit & Rigaltius, cum Erasmi & Cambronensis editio, *jam olim*, habeant) *per visionem, fratres carissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus.* Atque istis revelationibus se compulsum Cyprianus dicit, ut has literas scriberet, quibus ad serias preces veramque pœnitentiam ardentissimo zelo fideles adhortatur. Ita nimirum incipit: *Quamquam sciam, fratres carissimi, pro timore, quem singuli debemus Deo, vos quoq; illic assiduis orationibus & enixis precibus instanter incumbere; admoneo tamen etiam ipse religiosam sollicitudinem vestram, ut ad placandum atque exorandum Dominum, non voce sola, sed & jejuniis, & lacrymis, & omni genere deprecationis, ingemiscamus.* Ejusmodi plura leguntur per totam epistolam, quam tandem his verbis claudit: *Unusquisque oret Deum, non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus: sicut Dominus orare nos docuit, ubi non singulis privatam precem mandavit, sed oratione communi & concordi prece pro omnibus jussit orare. Si nos Dominus humiles & quietos, si nobis invicem copulatos, si circa iram suam timidos, si præsenti tribulatione correctos emendatosque conspexerit, tutos ab inimici infestationibus exhibebit. Præcessit disciplina, sequetur & venia. Nos tantum sine cessatione poscendi, & cum*

fide

fide accipiendi, simplices & unanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, sicut deprecari oportet eos, qui sint positi inter plangentium ruinas & timentium reliquias; inter numerosam languentium stragem, & exiguam stantium paucitatem. Rogemus pacem maturius reddi, cito latebris nostris & periculis subveniri, impleri quæ famulis suis Dominus dignatur ostendere, redintegrationem Ecclesiæ suæ, securitatem salutis nostræ, post pluvias serenitatem, post tenebras lucem, post procellas & turbines placidam lenitatem, pia paternæ dilectionis auxilia, divinæ majestatis solita magnalia; quibus & persequentium blasphemia retundatur, & lapsorum pœnitentia reformetur, & fortis & stabilis perseverantium fiducia glorietur.

Acerbitas persecutionis Decianæ a Cypriano descripta.

XVII. In eadem porro lectu dignissima epistola acerbitatem ac vehementiam Decianæ persecutionis ita depingit vir sanctissimus: *Tormenta venerunt, & tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis; tormenta, quæ ad coronam non facile dimittant; sed tamdiu torqueant, quamdiu dejiciant, nisi si aliquis divina dignatione subtractus, inter ipsa cruciamenta profecerit, adeptus gloriam, non termino supplicii, sed velocitate moriendi.* quemadmodum epistola etiam IIX scribit: *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera.* Quibus adde locum ex sermone de Lapsis; ubi ipsa tormentorum genera enumerantur, quibus Christiani tunc excarnificati. Innuit nimirum ibi Cyprianus, tantam

fuisse persecutionis atrocitatem, ut *jam fatigatum, jam lassum corpus, nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret.* sicut eodem quoque spectant quæ habet libro ad Demetrianum, Africæ Proconsulem; quem sic ibi compellat: *Innoxios, justos, Deo charos, domo privas; patrimonio spoliας, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, & simplici ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta; multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia; nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis; excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas.* Junge epistolam LIII; ubi adeo in nostros sævitum esse ait, ut *cupientibus mori non permitteretur occidi; sed tamdiu fessos tormenta laniarent, quamdiu, non fidem, quæ invicta est, vincerent, sed carnem, quæ infirma est, fatigarent.* perinde ut epistola scribit II: *Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus unum supplicia plura quam membra sunt.* & libro de bono Patientiæ: *In persecutionum certamine patrimonia reliquenda sunt, subeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera, fide & virtute Patientiæ perferenda.*

Ingeniosa Gentilium persecutorũ crudelitas.

XIIX. Ubi notetur, quod Demetriano Cyprianus objicit, *usitatis* eum *tormentis* non esse contentum, sed novas pœnas *ingeniosam* ipsius *crudelitatem excogitare*; id iisdem pene verbis expressisse in Divinis suis Institutio-

tionibus Lactantium. Ait enim, libro VI, cap. XVII: *Spectatæ sunt spectanturque pœnæ cultorum Dei: in quibus excruciandis nova & inusitata tormenta excogitata sunt.* uti libro V, cap. XI scripserat: *Quis voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? — Dici non potest, Judices quanta & quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent.* Ipse autem Cyprianus, *ingeniosæ crudelitatis* faciens mentionem, Magistrum suum Tertullianum hac ῥήσει imitari voluisse videtur; apud quem. libro de Anima cap. I, *ingenium crudelitatis* legimus. quemadmodum *ars dolorum* tyrannis illa audit Prudentio in agone Vincentii, seu hymno περὶ στεφ. II, 136. cui & hinc Datianus, eodem isto carmine, vers. 254. *Crucis peritus artifex* dicitur, & alius Judex, in Cassiano, hymn. XII, 33. *pœnarum artifex.* uti *necis artifices* ejusmodi homicidas vocat Ovidius, de Arte amandi lib. I, 658. ἐπινοητὰς κακίας, *malorum excogitatores*, Eusebius, Append. libri IIX Historiæ Eccl. cap. VII. Confer ejusdem huc faciens testimonium ex ipso libro IIX, cap. XII, quod damus infra cap. X, 35.

XIX. Porro vehementiam persecutionis, de qua agimus, ex Gregorii quoque Nysseni verbis æstimare in proclivi est, quibus oratione de Gregorio Thaumaturgo utitur: Οὐδὲν ἦν ἕτερον τηνικαῦτα δημόσιόν τε καὶ ἴδιον πρᾶ τῶν τὰ κοινὰ διὰ χειρὸς ἑκόντων γινόμενόν τε καὶ σπουδαζόμενον, πλὴν τοῦ πολυορκεῖν τε καὶ τιμωρεῖσθαι τοὺς ἀντεχομένους τῆς πίστεως. ἦν δὲ οὐκ ἐν ταῖς τῶν λεγομένων ἀπειλαῖς μόνον τὰ φόβητρα, ἀλλὰ μετὰ τούτων ἡ ποικίλη τῶν κολαστηρίων κατασκευὴ, πᾶσαν ἐπῆγεν κατάπληξιν, καὶ πρὸ τῆς πείρας ἐμποιοῦσα τοῖς ἀν-

De persecutionis hujus æstu testimonium Gregorii Nysseni.

θρώποις τὸ φόβον. ξίφη τε, καὶ πῦρ, καὶ θηρία, καὶ βόθροι, καὶ τὰ στρεβλωτικὰ τῶν μελῶν ὄργανα· καὶ σιδηραὶ κατὰ πυρὸς καθέδραι, καὶ ξύλα ὄρθια, οἷς ἐντεινόμενα τῶν ἐνισταμένων τὰ σώματα ταῖς τῶν φοβερῶν ὀνύχων προσβολαῖς κατεξαίνετο. καὶ ἄλλα μυρία πρὸς τὰς πολυειδεῖς βασάνους τῶν σωμάτων ἐξευρημένα παρ' αὐτοῖς ἐπενοεῖτο. καὶ σπουδὴ τοῖς τῶν ἐξουσιῶν τούτων ἐπειλημμένοις ἦν μία, τὸ μηδένα τοῦ ἑτέρου ἐν ὑπερβολῇ πικρίας ἐπιδειχθῆναι πρᾳότερον. καὶ οἱ μὲν εἰσήγγελλον· οἱ δὲ ἐπεδείκνυον· οἱ δὲ, ἠρεύνων τοὺς κεκρυμμένους. ἄλλοι τοῖς φεύγουσιν ἐπετίθεντο, ἄλλοι δὲ πρὸς τὰς κτήσεις τῶν πιστῶν ὁρῶντες, ὡς ἂν ἐγκρατεῖς γένοιντο τῶν πραγμάτων, ἐπὶ τῷ προσχήματι τῆς εὐσεβείας, ἤλαυνον τοὺς ἀντεχομένους τῆς πίστεως. *Nulla res alia vel publice vel privatim tunc ab iis, qui cum imperio erant, gerebatur aut curabatur, quam ut oppugnarent aut punirent eos qui fidem amplecterentur. Et erant non in verborum tantum minis terrores, sed una cum his varius carnificinarum apparatus animos percellebat, etiam ante periculum formidinem injiciens, enses nempe, ignis, bestiæ, scrobes & foveæ, instrumenta item, quibus membra constringerentur & torquerentur; tum ferreæ cathedræ ignitæ, & ligna erecta, in quibus stantium corpora dum extendentur, ungulis admotis horribiliter lacerabantur. Sed & alia innumera corporum tormenta excogitabantur, & studium iis, qui hanc provinciam susceperant, hoc unum erat, ne quisquam crudelitate altero inferior videretur. Nam alii quidem deferebant fideles, alii demonstrabant, alii scrutabantur eos qui erant absconsi, alii fugientes sectabantur, alii deniq; cum oculos & animum ad facultates fidelium adjecissent, ut rebus eorum potirentur, pietatis & religionis prætextu eos exagitabant qui fidem amplecterentur.* & nonnullis inter-

terjectis: οὐκ ἦν ἱκανὰ τὰ δεσμωτήρια χωρεῖν ἐν ἑαυτοῖς τῶν διὰ τὴν πίστιν τιμωρουμένων πλῆθος ἀγοραί τε πᾶσαι καὶ σύλλογοι, κοινοί τε καὶ ἰδιάζοντες, ἀντὶ τῆς συνήθους φαιδρότητος, τὰς τοιαύτας μεταλάμβανον συμφοράς. τῶν μὲν ἐφελκομένων τῶν δὲ ἀπαγομένων· ἄλλων ἐπὶ τοῖς γινομένοις ἢ γελόντων ἢ δακρυόντων, οὐ νηπίων ἦν ἔλεος, οὐ τιμὴ πολιᾶς, οὐκ ἀρετῆς αἰδὼς εἰσήει τοῖς δυσμένεσιν· ἀλλ' ὡς ἐν αἰχμαλωσίᾳ, πᾶσα ἡλικία τοῖς πολεμίοις τῆς πίστεως ἔκδοτος ἦν. οὐδὲ ταῖς γυναιξὶν ἐδίδου ἡ φυσικὴ τοῦ γένους ἀσθένεια, τῶν τοιούτων ἀναγκῶν ἐκτὸς μένειν· ἀλλ' εἷς ἦν κατὰ πάντων ὁ τῆς ὠμότητος νόμος, ἴσῳ τῷ μέτρῳ τῆς τιμωρίας τῶν γινομένων, ὑπάγων τὴν τῶν εἰδώλων ἀλλοτριούμενον, μὴ διακρίνων τὴν φύσιν. *Carceres capere non poterant eorum multitudinem, qui propter fidem puniebantur, omniaque fora atque conventus tam publici quam privati pro consueta hilaritate atque lætitia ejusmodi invicem casus atque calamitates accipiebant; cum alii quidem arriperentur, alii vero abducerentur, ceteri ob ea, quæ fiebant, lacrymarentur. Non misericordia infantium, non honor canitiei, non virtutis verecundia in mentem veniebat infensis: sed tamquam in urbe capta omnis ætas hostibus fidei quasi dedita & obnoxia erat; ne mulierum quidem naturali sexus infirmitati indulgebatur, ut ejusmodi periculis exemptæ manerent: sed una adversus omnes crudelitatis erat lex, eodem pœnæ modo, nullo discrimine sexus habito, subjiciens eum, qui a simulacris esset alienus.* iterumque post pauca: Πανταχῇ κατὰ τὸ ἔθνος διηρευνῶντο πάντας ὁμοίως ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας, ὅσοις τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ τὸ σεβάσμιον ἦν· καὶ εἷλκον ἐπὶ τὴν πόλιν, καὶ τὰ δεσμωτήρια κατεπλήρουν, ἄντ' ἄλλης τινὸς ἀδικίας, ἔγκλημα ποιούμενοι κατ' αὐτῶν τὴν εὐσέβειαν, ὡς μηδενὶ τότε τῶν κοινῶν προσ-

ἀσχολεῖσθαι τὰ δικαστήρια, ἢ τοῦτο μόνον διὰ σπουδῆς τοῖς κρατοῦσιν εἶναι, τὸ πάντας αἰκισμοὺς καὶ παντοίας στρεβλώσεις δι' ἐπινοίας ἐπάγειν κατὰ τῶν ἀντεχομένων τῆς πίστεως. *In omnibus partibus provinciæ perscrutabantur omnes, tam mulieres & pueros, quam viros, quicunque nomen* CHRISTI *venerarentur, ac trahebant ad urbem, & carceres complebant, pietatem eis alterius cujuspiam loco maleficii crimini dantes, adeo ut in nullo alio publico negotio judicia tunc occupata essent, præterquam quod id solum magistratus agebat, ut omne genus suppliciorum variaq; tormenta solerter excogitata adhiberent iis qui fidem amplecterentur.* Hæc, inquam, Gregorius Nyssenus. Quibus conformiter Gregorius Nazianzenus, orat. XIIX, in Cyprianum, Ἐμαίνετο, ait, καθ' ἡμῶν Δέκιος, καὶ πάσας ἰδέας κολάσεων ἐπενόει· καὶ τὰ μὲν ἤδη παρῆν τῶν δεινῶν, τὰ δὲ ἔμελλεν. ἴσον δὲ ἀγώνισμα ποιεῖται καὶ χριστιανοὺς ἑλεῖν, καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ διώκτας ὑπερβαλεῖν, *Furebat adversus nos Decius, omniaque tormentorum genera conquirebat, ac gravissima quæque supplicia, partim jam inferebat, partim intentabat; parique contentione in utrumque horum incumbebat, ut & Christianos opprimeret, & priores omnes persecutores crudelitate superaret.*

Gregorii Naz.

Augustini.

XX. Sed & B. Augustinus ad Decianam respicere persecutionem videtur, quando, Expos. partis primæ Psalmi XC, *Imperatores*, ait, *& Reges seculi putaverunt, se persequendo tollere posse de terra nomen* CHRISTI, *& nomen Christianorum; jusserunt, ut, quisquis se confiteretur Christianum, feriretur. Quicunque noluit feriri, negavit se Christianum, sciens quid mali faceret, pervenit ad illum sagitta volans per diem. Quicunque autem non curavit*

præ-

præsentem vitam, sed certus speravit futuram, declinavit sagittam volantem per diem, confessus est se Christianum; percussus carne liberatus est spiritu, exspectare cœpit, positus apud Deum in quiete, etiam redemptionem corporis sui in resurrectione mortuorum. Evasit autem tentationem illam a sagitta volante per diem. Ergo quicunque confessus fuerit Christianum, feriatur: quomodo sagitta volans per diem fuit. Nondum erat dæmonium meridianum flagrans vehementi persecutione, & faciens magnos æstus etiam fortibus. Audite enim quid secutum sit. Cum vidissent inimici, quod multi festinarent ad martyrium, & tanto plures crederent in Christum, *quanto plures patiebantur; dixerunt apud se: Nos occisuri sumus genus humanum; tot millia qui credunt in hoc nomine? Si occiderimus omnes, prope nullus in terra remanebit. Cœpit fervere Sol, cœpit fervescere æstus. Audite enim quid jusserint. Quomodo autem jusserant? Quicunque confessus se fuerit Christianum, feriatur. Jusserunt postea: quicunque se confessus fuerit Christianum, torqueatur; & tamdiu torqueatur, donec neget se esse Christianum. Comparate sagittam volantem per diem, & dæmonium meridianum. Sagitta volans per diem quid erat? Qui se confessus fuerit Christianum, feriatur. Quis fidelis eam mortis celeritatem declinaret? Illud autem: Qui se confitetur Christianum, non occidatur, sed torqueatur donec neget; si se negaverit, dimittatur; dæmonium meridianum erat. Multi ergo non negantes in tormentis deficiebant. Tamdiu enim torquebantur, donec negarent. Perseverantibus autem in non negando* Christum, *quid facturus erat gladius, uno ictu occidendo corpus, animam*

ad

ad Deum mittendo? Hoc faciebant & diuturna tormenta. Sed quis tandem inveniretur, qui duraret adversus tantos & tam longos cruciatus? Multi defecerunt.

Cur adeo fuerit in Christianos sævitum sub Decio,

XXI. Mirum autem non est, tanto fervore in Christianos fuisse tunc animadversum, cum, ut Gregorius Nyssenus loco supra num. XIII expresso memorat, edictum Decius promulgarit, quo ipsis Præsidibus extrema quæque minabatur, nisi quantocyus Christianos omnes vel delevissent, vel ad antiquam idololatriam retraxissent. Cujus edicti Dionysius quoque Alexandrinus meminit, epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum, apud Eusebium lib. VI Histor. Eccles. cap. XLI, idque horrificum adeo & terribile fuisse scribit, ut ipsis etiam electis fraudi esse potuisset. Tametsi, integro jam anno ante edictum hoc Cæsareum gravem tumultum Alexandriæ in Christianos excitatum fuisse, idem Dionysius ipso illo loco affirmat, Φθάσας, inquiens, ὁ κακῶν τῇ πόλει ταύτῃ μάντις καὶ ποιητὴς, ὅστις ἐκεῖνος ἦν, ἐκίνησε καὶ παρώρμησε καθ' ἡμῶν τὸ πλῆθος τῶν ἐθνῶν, εἰς τὸ δεισιδαιμονίαν αὐτὸς δεισιδαιμονίαν ἀναῤῥιπίσας. οἱ δὴ ἐρεθισθέντες ὑπ' αὐτοῦ, καὶ πάσης ἐξουσίας εἰς ἀσεβείαν λαβόμενοι, μόνην εὐσέβειαν τὴν θρησκείαν τῶν δαιμόνων ταύτην ὑπελάβον, τὸ καθ' ἡμῶν φονᾶν. *Infaustus quidam Vates ac Poëta, quisquis ille fuit, commoverat jam antea atque incitaverat adversus nos Gentilium turbas, ad innatam genti superstitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine stimulati, omnemq; ad patranda scelera licentiam nacti, hanc solam pietatem cultumq; Dæmonum suorum existimabant, si cædibus adversus nostros sævirent.*

Matth. 24, 24.

Martyres sub Decio;

XXII. In eadem porro epistola sua martyres recen-

censet Dionysius, quos furens hæc & repentina grassatio abstulit. Suntque illi: METRA, vir senex. Quem, ubi impia proferre verba (ἄθεα λέγειν ῥήματα) frustra juberent, fustibus verberantes, acutisque arundinibus pungentes, deductum in suburbium lapidibus occiderunt. QVINTA. Quam, cum idola venerari nollet, constrictis pedibus per aspera silice constratos totius ubis vicos raptam saxis illisam molaribus, flagrisque præterea cæsam, lapidibus & ipsam tandem obruerunt. APOLLONIA, provectæ jam ætatis Virgo. Quæ, postquam omnes ei dentes excussissent, accensoque extra urbem rogo, vivam se illam combusturos, εἰ μὴ συνεκφωνήσειεν αὐτοῖς τὰ τῆς ἀσεβείας κηρύγματα, *nisi una cum ipsis impia verba pronunciaret*, minati essent, veniam deprecari paulisper visa, atque interim dimissa, celeriter in ignem insiliens conflagravit. SERAPIO. Quem acerbissimis tormentis excruciarunt, membrisque omnibus confractum ex cenaculo præcipitem dejecerunt.

Metra.

Quinta.

Apollonia.

Serapio.

XXIII. Generatim vero de persecutione ista sic ibi scribit Dionysius: ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες ὥρμησαν ἐπὶ τὰς τῶν θεοσεβῶν οἰκίας· καὶ ὃς ἐγγὺς ἔκαστοι γείτνιῶντας, ἐπιστεύδοντες ἦγον, ἐσύλων τε καὶ διήρπαζον τὰ μὲν ἁπαλώτερα τῶν κειμηλίων νοσφιζόμενοι, τὰ δὲ εὐτελέστερα, καὶ ὅσα ἐκ ξύλων ἐπεποίηϛο, διαῤῥιπτοῦντες, καὶ κατακαίοντες ἐν ταῖς ὁδοῖς, ἑαλωκόσι τοῦ πολεμίων πόλεως παρεῖχον θέαν. *Omnes uno impetu in domos Christianorum irruere cœperunt; & quos quisq; sibi vicinos noverat, eos illico properantes agebant, spoliabant, ac diripiebant: ea quidem quæ maxime pretiosa essent, in sinum suum congerentes; viliora autem & lignea quæque dispiciebant, ac per vias concremabant, capta ab hostibus*

Dionysii Alex. de persecutione hac testimonium.

urbis ſpeciem atque imaginem exhibentes. & rurſum: Οὐδεμία ὁδὸς, ἢ λεωφόρος, ἢ στενωπὸς ἡμῖν βάσιμος ἦν, ἢ νύκτωρ, ἢ μεθημέραν· ἀεὶ καὶ πανταχοῦ πάντων κεκραγότων, εἰ μή τις δύσφημα τοῖς ἀνυμνοῦσι ῥήματα, τὸν εὐθέως δεῦρο σύρεσθαί τε καὶ πίμπρασθαι. *Nusquam non per viam publicam, non per angiportus, incedere aut noctu aut interdiu nobis licebat: cum omnes ubique & aſſidue clamitarent; quicumq; impia illa verba proferre abnuiſſet, eum illico trahendum eſſe, & flammis ultricibus abſumendum.*

Martyres Alexandrini poſt promulgatum Decii edictu paſſi.

XXIV. Pergit deinde Martyres nonnullos recenſere Dionyſius, qui poſt promulgatum Decii edictum Alexandriæ paſſi. Julianus videlicet, vir podagræ doloribus conſtrictus, ut nec ſtare poſſet, nec incedere, & Cronion, per univerſam urbem camelis vecti, flagris verberati, & igne tandem cremati ſunt. Miles vero, qui ipſis, dum ad ſupplicium ducerentur, adſtabat, & contumeliam inferentes propulerat, Besas nomine, conclamante adverſus eum populo, in jus adductus, capitisque ſupplicio eſt affectus. Macar præterea vivus combuſtus eſt. Epimachus & Alexander, cum poſt diuturnum carceris horrorem, ferreos ungues, flagra, ac mille dolorum genera pertuliſſent, vivæ calcis incendio & ipſi colliquefacti perierunt. Dioscorum, adoleſcentem quindecim annos natum, ad fidem abnegandam blandis primum verbis inducere, mox tormentis adigere ſategerunt: is vero nec perſuaſione quidquam commotus eſt, neque Judicis omnino ceſſit ſententiæ. Qui proinde, cum propter ſingularem animi magnitudinem, quam palam oſtenderat, tum propter prudentiſſima reſponſa, quæ

Julianus. Cronion.

Beſas.

Macar. Epimachus. Alexander.

Dioſcorus.

ad singula rogata dederat, eum magnopere admiratus dimisit, affirmans, se propter ætatem certos dies illi velle concedere, quibus resipiscendi haberet facultatem. Memorantur insuper a Dionysio quinque milites, Ammon, Zeno, Ptolemæus, Ingenuus, Theophilus: qui, cum quidam Christianorum, cruciatuum acerbitatem exhorrescens, jam ad fidei negationem propenderet, præ rei indignatione dentibus frendere, vultu nutare, manus extendere, toto denique corpore gestus quosdam agere cœperunt. Quando itaque omnium ora in eos essent conversa, priusquam ullæ iis injicerentur manus, ipsi ad subsellia accurrere, seque Christianos profiteri, ut tum Præfectus, & assessores, qui aderant, timore obstupescerent, tum Christiani, in quos jam inquirebatur, ad tormenta, quæ post essent passuri, toleranter sufferenda maxime confirmarentur, tum denique Judices, qui essent contra eos sententiam pronunciaturi, ingenti metu exhorrescerent. Isti vero e foro gloriantes abscedere, & propter testimonium, quod Christo perhibuerant, summo gaudio exultare, Deo per illos gloriose triumphos agente. Tandem martyria quoque consummarunt tunc temporis Alexandriæ Ammonarium, Mercuria, Dionysia, Christianæ feminæ; Heron item, Ater, Isidorus, Nemesion, & Ischyrion. Atque hæc de Martyribus Alexandrinis ex Dionysiana epistola.

xxv. Meminit Ægyptiacæ persecutionis Hieronymus etiam, in vita Pauli Eremitæ, his verbis: *Sub Decio & Valeriano persecutoribus multas apud Ægyptum & Thebaidam ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti.* *Hyeronymi de Ægyptiaca persecutione testimonium.*

Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non permitebatur occidi. Cujus ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subjecimus. Perseverantem igitur in fide martyrem, & inter eculeos laminasque victorem, jussit melle perungi, & sub ardentissimo Sole ligatis manibus post tergum resupinari: scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium juvenili ætate florentem in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique inter lilia candentia & rubentes rosas, cum leni juxta murmure aquarum serperet rivus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super exstructum plumis lectum resupinari, &, ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cum, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, &, quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia, ut, corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret. Quid ageret miles CHRISTI, *& quo se verteret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem, cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit; ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.* Eadem narrat, sed compendiosius, Martyrologium Romanum, ad diem XXIIX Julii.

Cyphonismi, supplicii genus.

XXVI. Quæ ut illustrentur, recitare heic placet quæ in Asino suo aureo, ut vocant, libro IIX, Apulejus memorat. *Severus quidam* (ait) *cui cunctam familiæ tutelam dominus permiserat suus, quique possessionem maximam, illam, in quam diverteramus, villicabat, habens*

bens ex eodem famulitio conservam conjugem, liberæ cujusdam extraneæque mulieris flagrabat cupidine. Quo dolore pellicatus uxor ejus instincta (sic legendum, docet Pricæus) *cunctas mariti rationes, & quidquid horreo reconditum continebatur, admoto combussit igne. Nec tali damno tori sui contumeliam vindicasse contenta, jam contra sua sæviens viscera, laqueum sibi nectit, infantulumq, quem de eodem marito jamdudum susceperat, eodem funiculo nectit, seque in præaltissimum puteum, appendicem parvulum trahens, præcipitat. Quam mortem dominus eorum ægerrime sustinens, arreptum servulum, qui causam tanti sceleris uxori suæ præstiterat, nudum ac totum melle perlitum firmiter alligavit arbori ficulneæ: cujus in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant, & ultro citroq, commeabant multijuga scaturigine. Quæ, simul dulcem ac mellitum corporis nidorem persentiscunt, parvis quidem, sed numerosis & continuis morsiunculis penitus inhærentes, per longi temporis cruciatum ita carnibus atque ipsis visceribus adesis, homine consumpto, membra nudarunt, ut ossa tamen viduata pulpis, nidore nimio candentia, funestæ cohærerent arbori.* Eandem miseriam expertus est Marcus, Arethusius Episcopus: uti narrant Theodoritus lib. III Hist. Eccl. cap. VII, Sozomenus lib. V, cap. X, Gregorius Nazianzenus Invectiva I in Julianum. Vocaturque hoc cruciamenti genus *Cyphonismus*, a *cyphone*; quod erat vinculum ligneum vel ferreum, quo ad ignominiam ligatus & melle delibutus reus muscis exponebatur. Quo spectant hæc Cœlii Rhodigini, lib. X Lect. antiqu. cap. V: *Apud quosdam ita cautum animadverto, ut, quisquis per audaciam legum placita*

cita risui habuisset, diebus viginti in Archivo vinctus cyphone perseveraret nudus, melle ac lacte delibutus, ut apibus muscisq; esset pabulum: dilapsis vero iis, muliebri indutus veste deturbaretur in praceps.

Origenes etiam multa passus est in persecutione Deciana.

XXVII. Porro in Deciana persecutione multa quoque passum esse Origenem, Eusebius Historiæ Eccles. lib. VI, cap. XXXIX, testatur. Detrusus videlicet est in profundum carcerem; torquis ferreus collo ipsius injectus; crura ligneis pedicis grandi intervallo invicem remotis inserta sunt, sic ut misere distractum corpus per multos dies dirissime torqueretur.

Pedicis ligneis martyrum crura inserta.

XXIIX. Ubi nota, quod compedibus ligneis Martyrum crura & alibi passim apud Ecclesiæ Historiographos inserta legantur. Vide Lugduno-Viennensem epistolam Martyrologicam apud Eusebium lib. V, cap. I, & excerpta ex Phileæ ad Thmuitas epistola apud eundem Eusebium lib. IIX, cap. X, ubi de passis in Diocletianea persecutione martyribus agens auctor, inter cetera, ἦσαν, inquit, μέν τινες ἀκινδύνως ὑπὸ τὸ ξύλον κείμενοι διὰ τεσσάρων ὀπῶν διατεταμένοι ἄμφω τὼ πόδε. *Quidam post tormenta in nervo jacuerunt, pedibus ad quatuor usque foramina divaricatis.* Eodem spectant Prudentii ista, in agone Vincentii, hymno περὶ στεφ. II, 249.

In hoc barathrum conjicit
truculentus hostis martyrem,
lignoque plantas inserit
divaricatis cruribus.

Cyppus.

Cyppum Latinis lignum illud dici, Svidas auctor est, Ποδοκάκκη, scribens, ξύλον, εἰς ὃ ἐν εἱρκτῇ τοὺς πόδας ἐμβάλλοντες συνέχουσιν. ὃ καὶ Ῥωμαίοις κύππος καλεῖται. Ejus men-

mentio in Martyrologiis passim. Loca notavit, inter alios, Carolus du Fresne, in Glossario. *Soleas ligneas* vocat Cicero lib. II de Invent. cap. II, & auctor Rhetor. ad Herennium cap. XIII.

XXIX. Verum ad Origenem ut revertamur, de eo Epiphanius, hæresi LXIV, 2. memorat, quod, cum ob eximiam sanctitatem & eruditionem in summam fuisset invidiam adductus, eaque res magistratus & Præfectos majorem in modum acuisset, illud Diaboli calliditate improbitatis artifices commentos esse, ut ad turpitudinis necessitatem hominem adigerent, atque ejusmodi pœnam statuerent, ut ad illius corpori stuprum inferendum Æthiopem compararent. Adamantium vero, fraudulentum illud diaboli consilium non sustinentem, duobus istis propositis, quod sacrificare malit, indicium fecisse. *Epiphanii de Origenis lapsu narratio.* ἐμὴν δὲ, scribit Epiphanius, ἑκουσίᾳ γνώμῃ μᾶλλον τοῦτο ἐπετέλεσεν, ὡς πολὺς ἄδελφος λόγος· ἀλλ' ἐπειδὴ ὅλως καθωμολόγησε τοῦτο πρᾶξαι, βαλόντες δεῖ χεῖρα αὐτοῦ λίβανον, εἰς τὸ τοῦ ἐωμοῦ πυρὸν καθῆκαν. *Non autem omnino sponte illud sua præstitisse vulgo dicitur: sed ubi semel, hoc se esse facturum, assensus est, tus in manum illius impositum in subjectum aræ focum excussisse Gentiles, affirmant.* Addit auctor, hoc modo & a martyrii gloria, Confessorum Martyrumque, qui tunc erant, judicio excidisse, & ab Ecclesia dejectum esse Origenem; idque accidisse Alexandriæ. Ubi cum exprobrantium ludibria ferre non posset, abiisse illinc, & in Palæstina domicilium constituisse ait. Forte autem contigisse, ut, Jerosolymam profectus, ad verba in ecclesia facienda vi propemodum impeteretur. ubi vero, cum hæc e psalmo XLIX,

He-

(Hebr. L) recitasset verba: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras Justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum?* complicatum librum reddiderit, flensque & lacrymans resederit, flentibus cum eo qui aderant universis.

Eam improbat Baronius.

xxx. De his Epiphanii quid habendum sit, inter eruditos disquiri solet. Certe Baronius, ad ann. CCLIII, 120. seqq. conficta ea, nec genuina Epiphanii, sed aliunde assuta esse pronunciat. Habent item pro fabulosa narrationem isthanc Halloixius Orig. defens. lib. IV, quæst. III, Raynaudus Hoplothecæ sect. II, ser. I, cap. II, Valesius Annot. Euseb. lib. VI, cap. XXXIX. Rationum summa hæc est: si ita se res haberet, ut narrat Epiphanius, non prætermissuros ejus mentionem, vel objiciendo, Origenis antagonistas, Theophilum Alex. Hieronymum, alios; vel refutando, ipsius fautores, Eusebium, Pamphilum, Rufinum; vel Doctores vetustos, Augustinum, Vincentium Lerinensem, & similes, qui fuse de illo egerint: in controversiis item Justiniani ævo adversus Origenem tanto studio agitatis fieri non potuisse ut sicco pede præteriretur istud facinus: nec denique impium illum Ecclesiæ hostem gloriæque Christianismi invidum Porphyrium, qui Ammonium a Christi fide ad Gentilismum transiisse commentus est, intactum relicturum Adamantii factum hoc, quem tantopere suspiciebat.

Tuetur Vero contra ipsum Petavius.

xxxi. Ceterum Dionysius Petavius in suis ad Epiphanium Animadversionibus, unius hujus scriptoris auctoritatem sufficere heic posse putat, qui de Origene velut compertam rem minimeque dubiam illudipsum retulerit. In quo magnopere ponderandum istud esse ait, quoties ejusmodi aliquid proponit Epiphanius, quod

ad

ad alicujus, etiam alioquin hæretici, ac nefarii hominis, invidiam ignominiamque pertinet, id si dubiæ minimeque constantis famæ sit, nonnulla cum excusatione ac titubanter ab illo significari, atque hoc inprimis caveri, ne incerta re commemoranda certam alicui infamiam, ac dedecus imponat; hoc autem loco nullam istiusmodi cautionem ipsum adhibuisse. Addit, ceteros, qui vel antiquiores Epiphanio, vel illius temporis suppares fuere, partim Origenis amore dissimulasse, partim, quod ad rem minime faceret, scribendo prætermisisse. Atque Eusebium quidem, utpote Origenis admiratorem, consulto, ut omitteret, feciſſe videri, quippe qui nihil eorum tacuerit quæ ad illius commendationem, nihil attulerit quod ad minuendam existimationem valeret: reliquos, tam fautores quam adversarios Origenis, cum de impiis ejus dogmatibus atque erroribus in certamen disputationemque veniſſent, facile contempsisse cetera. Sileri etiam de eo crimine a sanctissimis viris, æquum fuisse, cujus tantopere illum pœnituisse scirent; ne hominis memoriæ insultare, obtrectarique velle potius, quam errores damnare viderentur: de aliis, quorum scripta non extant, pronunciari non nisi temere posse. Quod porro intextam Epiphanio laciniam illam esse suspicatur Baronius, in hoc quoque frustra eum esse Petavius judicat, cum neque de stylo ipso dubitari possit, & quibus id argumentis efficitur, levia sint, imo nulla.

XXXII. Petaviana isthæc suo comprobat calculo & Petrus Daniel Huetius, Origenianorum libro I, cap. IV, 4. &, ad causas, cur Origenis lapsum reticuerint ipsius adversarii, has etiam accessisse putat, quod, licet sacri- *Huetius*

ficaturum se recepisset, non ipse tamen, sed qui eum circumstabant facinoris auctores & impulsores, manibus ejus apprehensis & excussis ipsi viderentur foco thus intulisse: quod, licet ab Ecclesia fuisset ob illam causam ejectus Demetrii compluriumque Episcoporum judicio, ab Alexandro tamen & Theoctisto Episcopis tanta esset charitate susceptus, ejusque patrocinium tanto studio complexæ essent Arabiæ, Palæstinæ, Phœniciæ, & Achajæ Ecclesiæ, ut ea re fere criminis depulsio contineretur: quod, licet capitalis sit vel tenuis admissæ idololatriæ suspicio, & graviter peccasse Origenem fatendum sit, minime tamen hoc nomine is posset accusari, quin ejus ingens pudicitiæ studium prædicaretur: quod denique, diris sub Decio singulari constantia toleratis tormentis, prioris criminis noxam satis correxisse, ejusque luisse pœnas, & pristinam mollitiem expiasse videretur. Atque iisdem fere rationibus, quo minus id Christianis exprobraret, absterritum fuisse Porphyrium, Huetius existimat. Eusebium porro, cur rem illam scribendo prætermitteret, fuisse impulsum ait, quod in Apologia pro Origene hoc & ejusmodi plurima fuisset complexus, quæ ad Historiæ suæ propositum non omnino accommoda, quippe quæ res ad universam Ecclesiam spectantes exequeretur, repetere insuper habuerit.

An sub Decio contigerit Origenis lapsus.

XXXIII. Ubi dum sub Decio toleratis tormentis prioris noxam Adamantium correxisse scribit Huetius, quæ de Origenis perduellione Epiphanius narrat, minime sub Decio accidisse, indicium facit: secus ac visum Nicephoro Callisto, qui in Deciana persecutione, post-

quam

quam initio gravissimis tormentis frustra ad ἀποστασίαν solicitatus fuisset, tandem tamen turpissimum illud supra a nobis memoratum facinus Origenem commisisse, libro v Historiæ Eccl. cap. xxxii diserte scribit. Cui vero heic opponit Huetius, de persecutione Deciana altum silere, unde sua Nicephorus hausit, Epiphanium (uti quoque Cedrenum & Suidam) in Panario: libro autem de Ponder. & Mens. cum Decianæ persecutionis meminit, de Origene quidem, quod multa tunc perpessus sit, docere, at Æthiopem ibi nequaquam commemorare: nec commemorare Jo. Zonaram, qui eum tamen tormentis victum sub Decio a fide desciviisse tradat. Non posse igitur Epiphanii se auctoritate tueri Nicephorum, & quotquot præterea Decianæ persecutionis temporibus istud Origenis facinus assignant. Imo vero aperte iis contradicere Epiphanium, si quis ad narrationis illius contextum animadvertat. Alexandriæ enim secundum ipsius narrationem lapsum esse Origenem; qui etiam Ecclesia ideo dejectus fuerit, cumque se irrisui esse perdoleret, patria tunc excesserit. At Deciana tempestate nec Alexandriæ Origenem fuisse, nec ab Ecclesiæ communione segregatum, aut Alexandria esse profectum; sed alio tempore ea contigisse.

Epiphanii auctoritas sola sufficere non videtur firmanda de Origenis lapsu narratio.

xxxiv. Atque hæc de famoso illo lapsu Origeniano. Ubi per nos sane suo quisque sensu abundet, & sive Baronio, sive Petavio subscribat. Id interim dissimulare non possumus, Epiphanii auctoritatem in talibus non videri nobis tantam, ut in ejus unius testimonio, judicio, ac fide tuto acquiescamus. Etenim de viri istius hallucinationibus, ἀβλεψίᾳ, oscitantia, lapsibus me-

memoriæ, imprudentia, ſimplicitate, credulitate, doctorum teſtimonia leguntur paſſim, libro III de Calumniis Paganorum cap. IX, 18. ex parte a nobis memorata. Heic ſolius Melchioris Cani verba dabimus. Sic vero is, Locor. Theolog. lib. XI, cap. V: *Cum Epiphanii ſententia contra hiſtoriæ fidem ponitur, nihil prorſus movere nos debet: — quoniam in rerum geſtarum temporumq; ratione nullos ille graves auctores ſequi ſolet; atq; adeo in earum rerum memoria interdum fallitur.* Et quot, obſecro, ſcriptoris hujus παρεράματα in ſuis ad opera ejus Animadverſionibus ipſe notavit Petavius?

Dionyſii Alex. fata ſub Decio.

XXXV. Præter Origenem Presbyterum perſecutionis Ægyptiacæ tempeſtatem etiam Dionysius ſenſit, Alexandrinus Epiſcopus; veluti ipſe in ſua ad Germanum epiſtola, apud Euſebium lib. VI, cap. XL, his verbis narrat: Ἐγὼ καὶ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ λαλῶ, καὶ αὐτὸς οἶδεν ὅτι οὐ ψεύδομαι· οὐδὲ μίαν ἐπ' ἐμαυτοῦ βαλλόμενος, οὐ δὲ ἀθεεὶ πεποίημαι τὴν φυγὴν· ἀλλὰ καὶ πρότερον τοῦ κατὰ Δέκιον προτεθέντος διωγμοῦ, Σαβῖνος αὐτῆς ὥρας φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. κἀγὼ μὲν τεσσάρων ἡμερῶν ἐπὶ τῆς οἰκίας ἔμεινα, τὴν ἄφιξιν τοῦ φρουμενταρίου προσδοκῶν. ὁ δὲ πάντα μὲν περιῆλθεν ἀνερευνῶν· τὰς ὁδοὺς τοὺς ποταμοὺς, τοὺς ἀγροὺς, ἔνθα κρύπτεσθαί με ἢ βαδίζειν ὑπενόησεν. ἀορασίᾳ δὲ ἔχετο, μὴ εὑρίσκων τὴν οἰκίαν· οὐ γὰρ ἐπίστευεν οἴκοι με διωκόμενον μένειν. καὶ μόλις μετὰ τὴν τετάρτην ἡμέραν κελεύσαντός μοι μεταστῆναι τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδόξως ὁδοποιήσαντος, ἐγώτε, καὶ οἱ παῖδες, καὶ πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν, ἅμα συνεξήλθομεν. καὶ ὅτι τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας ἔργον ἐκεῖνο γέγονε, τὰ ἑξῆς ἐδήλωσεν· ἐν οἷς τάχα τισὶ γεγόναμεν χρήσιμοι. *Ego coram Deo loquor, & ipſe ſcit, me nequaquam mentiri: nunquam mea ſponte nec ſine*

Dei

Dei nutu fugam inii. Sed & prius, cum persecutionis edictum sub Decio propositum fuisset, Sabinus Frumentarium, qui me requireret, eodem temporis momento misit. Atque ego quidem quatriduo domi mansi, adventum exspectans Frumentarii. Ille vero omnia circumeundo perscrutabatur; vias, fluvios, agros, ubi me occultari, aut qua transiturum esse suspicabatur. Verum caligo quædam ei obtutum ademerat, ne domum reperiret: neque enim opinabatur, me domi consistere grassante adversus me persecutione. Vixque post diem quartum, cum Deus mihi, ut alio migrarem, præcepisset, ac præter opinionem omnium viam aperuisset, ego & famuli, multique ex fratribus, simul egressi sumus. Atque id divinæ providentiæ opus fuisse, rerum eventus postea declaravit; siquidem nonnullis fortasse haudquaquam inutiles fuimus.

Frumentarii qui fuerint, vide infra cap. 9. n. 15.

XXXVI. Ubi mirari possis, cur solicite adeo moneat vir sanctus, se non sponte sua, sed Dei nutu fugam iniisse; cum utique urgente persecutionum æstu secessum quærere, ex se nequaquam esse illicitum, supra cap. VI, II. seqq. multis ostensum fuerit. Videtur autem eo id spectare, quod non statim quæ aliorum, eadem quoque Episcoporum & Ecclesiæ Antistitum heic sit ratio, ut qui tamquam boni Pastores, non fugere, sed animam suam pro ovibus debent ponere, Johann. X, II. Agit ea de re more suo, id est, accurrate & luculenter, B. Augustinus, epistola CLXXX, ab Honorato Episcopo consultus; postquam antea jam Quodvultdeo scripserat: ingruentibus periculis, *nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possint, munita migrare desiderent, & ministerii vincula, quibus* Episcopos CHRISTI *charitas alligavit, ne deserant*

An & quatenus Episcopis imminente persecutione fugere liceat.

Ecclesias quibus servire debent non esse rumpenda. Quibus vero opponebat Honoratus illud Salvatoris, Matth. x, 23. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*: absolute scilicet id & sine ulla limitatione accipiens. At Augustinus, *Quis credat*, inquit, *ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario Ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit?* Sic igitur ipse Christi de fuga capessenda pronunciatum istud vult intellectum, ut non pugnet cum præcepto ejusdem altero, quo animam pro ovibus ponere Pastores jubet, Joh. x, 11. Verba sancti Præsulis: *Cur sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt, de civitate in civitatem esse fugiendum; & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas verasque sententias, unam scilicet ubi fuga finitur aut jubetur, alteram, ubi arguitur atque culpatur, si intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrarias, sicut non sunt?* Quo pacto autem ista debeat institui conciliatio, ita porro Augustinus ostendit, ut dicat: *tunc de locis, in quibus sumus, premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi.* Id quod Pauli mox Apostoli illustrat exemplo, ex II Cor. IX, 32. 33. cujus quoque jam supra his verbis meminerat: *Numquid, quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, & effugit manus ejus, deserta est qua ibi erat Ecclesia,*

ne

necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut se ipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Faciant ergo servi CHRISTI (ita pergit venerabilis Antistes) *Ministri Verbi & Sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit: fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter persequutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia; sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est, Episcoporum & Clericorum, est commune periculum, ii qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent.* Nempe fiebat interdum impetus in solos Præsules, aut etiam præ ceteris ad necem hi quærebantur: uti in passione B. Polycarpi legimus, quod furore in Christianos accensa Gentilium multitudo ingenti strepitu exclamaverit: *Polycarpus requiratur!* Vide supra cap. v, 7. & adde quæ notamus cap. vii, 2. ix, 16. Id ergo si fiat, nihil prohibere Augustinus docet, quo minus ipsi etiam Pastores fuga sibi consulant; *sicut*, ait, *fugit S. Athanasius, Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam a ceteris Ministris deserta plebe Catholica quæ in Alexandria commanebat.* Concludit tandem: *Quicunque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcepit, sive permisit. Qui autem sic fugit, ut gregi* CHRISTI *ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura*

cura de ovibus. Hæc & alia ejus generis plura B. Præsul in memorabili illa epistola, quam dignam existimavit Possidius, ut totam in suo de vita Augustini libello legendam exhiberet, *Reticendum minime est*, inquiens, *cum impenderent hostes* (Wandali, Africam tunc vastantes) *a sancto viro quoque nostro Coëpiscopo Thabenensis ecclesiæ Honorato literis fuisse consultum, utrumnam, illis adventantibus, ex ecclesiis Episcopis vel Clericis recedendum esset, annon; eique rescriptis insinuasse, quid magis ab illis Romaniæ eversoribus esset metuendum. Quam ejus epistolam huic scripturæ inserere volui.* Sed e diverticulo in viam redeundum.

Dionysium ejusque comites a militibus comprehensi & abducti.

xxxviii. Post fugam Dionysius, ut ipsemet supra expresso loco narrare pergit, una cum comitibus suis militibus comprehensus, Taposirimque perductus est: Timotheus autem, Deo sic disponente, tum quidem non adfuit, nec comprehensus est; cumque postea adveniisset, domum reperiere vacuam, & satellites qui eam custodirent, Dionysio cum sociis in servitutem abducto. Aufugienti igitur perturbatoque Timotheo, vir quidam agrestis occurrit, causam festinationis percontatus. Quam ubi ab illo percepisset, discumbentibus, ad quod properabat, in nuptiali convivio rusticis rem omnem aperuit. Hi vero confestim, quasi signo dato, uno omnes impetu consurrexerunt, concitoque cursu & edito clamore in Dionysium ejusque comites irruerunt, versisque in fugam, qui eos custodiebant, satellitibus, nudos in grabatis jacentes deprehenderunt. Et primo quidem aspectu, latrones esse existimans Dionysius, qui spoliandi ac diripiendi causa venis-

nis-

nissent, manens in lectulo suo, sola opertus linea tunica; reliquam vestem, quæ juxta eum posita erat, illis porrexit. Ipsi vero surgere eum & quam celerrime proficisci jusserunt. Tunc demum intelligens, cujus rei causa veniissent, vociferari cœpit, rogans atque obtestans ut abirent, aut etiam, si bene mereri de ipso vellent, satellites prævenientes, caput ei amputarent. At illi invitum surgere coëgerunt, manibusque & pedibus comprehensum abduxerunt.

Secessus multorum in deserta loca hac tempestate.

xxxiix. Plurimos præterea alios hac tempestate, ut furorem persecutorum acerbissimosque cruciatus declinarent, in deserta secessisse, idem Dionysius Alexandrinus in sua ad Fabium Antiochenum epistola, apud Eusebium lib. vi, cap. xlii, testis est; Τί δεῖ λέγειν, inquiens, τὸ πλῆθος τῶν ἐν ἐρημίαις καὶ ὄρεσι πλανηθέντων, ὑπὸ λιμοῦ, καὶ δίψης, καὶ κρύους, καὶ νόσων, καὶ ληστῶν, καὶ θηρίων διεφθαρμένων; ὧν οἱ ὑπεργενόμενοι τῶν ἐκείνων εἰσὶν ἐκλογῆς καὶ νίκης μάρτυρες. *Quid opus est commemorare multitudinem eorum, qui in montes ac per solitudinem oberrantes, fame, frigore, morbis, & latronum aut bestiarum incursu oppressi interiere? Ex quibus hi qui superfuerunt incolumes, testes sunt electionis illorū atque victoriæ.* Utq; unico dumtaxat exemplo fidem rei faciat, Chæremonem addu-

Talis Chæremon.

cit, Nili urbis Episcopum grandævum: qui una cum conjuge in Arabicum montem fuga delatus, reversus numquam fuerit, nec, utut accurate a fratribus quæsitus, inveniri usquam potuerit. Addit, multos in Arabico illo monte a Saracenis captos, inque servitutem fuisse redactos. E quibus alii soluto ingenti pretio vix tandem redempti; alii nondum, ubi hæc scribebantur, redimi

dimi potuerint. Tandem notanter admodum, καὶ ταῦτα, subjungit, διεξῆλθεν ἡμᾶς ἡμῖν, ἀδελφὲ, ἀλλ' ἵνα εἰδῇς, ὅσα καὶ ἡλίκα δεινὰ παρ' ἡμῖν συνέβη. ὧν οἱ μᾶλλον πεπειραμένοι, πλείονα ἂν εἰδεῖεν. *Atque hæc non frustra, frater, a me commemorata sunt; sed ut scias, quæ & quam gravia nobis mala contigerint. Quæ profecto melius intelligunt ii, qui magis experti sunt.*

Gregorius Thaumaturgus.

xxxix. Præterea effecit turbo hic, ut Gregorius Thavmaturgus, Neocæsareæ Ponti Episcopus, non tantum in solitudinem ipse concederet, sed & auditoribus suis, ut idem facerent, persuasum iret. Qua de re sic scribit, in oratione de ipsius vita, Gregorius Nyssenus: Τότε ἰδὼν ὁ μέγας ἐκεῖνος τὴν ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἀσθένειαν, ὡς ἐ δυναμένων τὸ πολλῶν μέχρι τοῦ δυνατοῦ τὴν εὐσεβείας ἀσκεῖσθαι ἀγωνίσασθαι, σύμβουλος γίνεται τῇ ἐκκλησίᾳ μικρὸν ὑποχωρῆσαι τῇ φοβερᾷ ἀσεβολῇ, κρεῖττον εἶναι ἡγεμὼν διὰ φυγῆς σῶσαι τὰς ψυχὰς αὐτῶν βεβαιώσασθαι, ἢ ἐσῶντας ὑπὸ τὸ τῶν ἀγώνων ἀθλοφόρους ἀξίους, λιποψύχους γενέσθαι τῆς πίστεως· καὶ ὡς ἂν μάλιστα πείθειν οἱ ἄνθρωποι, μηδένα κίνδυνον φέρειν τῇ ψυχῇ, τὸ τὴν πίστιν διὰ φυγῆς βεβαιώσασθαι, τῷ καθ' ἑαυτὸν ὑποδείγματι, σύμβουλος τῆς ἀναχωρήσεως γίνεται. αὐτὸς γοῦν τὸ ἄλλων ἀναχωρήσας τῇ τοῦ κινδύνου φορᾷ· ἅμα δὲ καὶ τοῦ τοῖς κρατοῦσι διὰ παιδὸς μάλιστα ἦν, τὸ δι' ἐκείνου καθάπερ στρατηγὸς χειροθετῶν, πᾶσαν διαλύσαι τῆς πίστεως τὴν φαλαγγα, καὶ λάθρα χάραν ἐκεῖνον ὑποχεῖρα ποιήσασθαι τοῖς ἔχθροις διεπαιδαγώγει. ὁ γὰρ ἦν ἔρημον ἴνα καταλαβὼν λοφίαν, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ τὸν ἐκ νεωκόρου κατ' ἀρχὰς παραχθέντα τῇ πίστει, ἤδη τῇ χάριτι τῆς διακονίας ὑπηρετοῦμενον. τὸν γὰρ, διωκόντων κατ' ἴχνος ἐπομένων ἐν πλήθει πολλῷ, μηνύσαντος αὐτοῖς τὸν τόπον ἵνος ἐν ᾧ κατεκρύπτετο· εἰ μὴ ἐν κύκλῳ τὴν ὑπωρείαν τῆς λοφιᾶς διαλαβόντες ἐφύλαττον, ὅπως

ὅπως ἂν μηδαμόθεν αὐτῷ γένοιτο διαφυγεῖν, εἴπερ ἐις τὸ τραπεῖη. οἱ ἢ προσβάντες τῷ ὄρει, καὶ πᾶν μέρος διερευνώμενοι, ἤδη καταφανεῖς ἐγίνοντο τῷ μεγάλῳ κατ' εὐθεῖαν πρὸς αὐτὸν ἀνατρέχοντες. ἐκεῖ δὲ διακελευσάμενος τῷ μετ' αὐτὸν, σφεᾶς τε καὶ ἀδιστάκτως ἢ πεποιήσει σῆναι πρὸς τὸν θεὸν, καὶ καταπιστεῦσαι τὴν σωτηρίαν αὐτῷ, ἐις χεῖρας εἰς προσευχὴν ἀνατείναντα, καὶ μηδὲ εἰ πλησίαν γένοιντο οἱ διώκοντες ἐκκρυφῆναι τῷ φόβῳ τὴν πίστιν. ὑπόδειγμα δὲ τῆς φιλανθρωπίας, ἑαυτὸν ἐπίεσε τῷ διακόνῳ· βλέπων τε πρὸς ἑρανὸν ἀμεταστρέπτῳ ὄμματι, καὶ τεταμέναις ταῖς χερσὶν ἐν ὀρθίῳ τῷ σχήματι. καὶ οἱ μὲν ἐν τάξεις ἦσαν· οἱ ἢ πρὸς αὐλὰς ἀναθορμίνητες, πανταχῆ τὸν τόπον περισκεψάμενοι, καὶ πᾶσαν ἔνστασιν θάμνου, καὶ πᾶσαν πέτρας προσβολὴν καὶ πᾶσαν ἐκχαραδρας κοιλότητα μὴ πάσης ἀκριβείας διερευνησάμενοι, πάλιν τὴν ὑποψίαν καταλαμβάνουσιν, ὡς φόβῳ τῶν διερευνωμένων εἰς φυγὴν τραπόντων ταῖς κάτω προεσχισμένοις ὑπὸ χέρσα γνέσθαι. ὡς ἂν ὅτε προφθάσαντων εὑρέθη, καὶ παρ' ἐκείνοις οὐκ ἦν. ὁ δὲ τόπον τῆς μεγάλης διαφωνῆς κατασκεψάμενος σημείοις ὑπέγραφεν. ἐν ᾧ διεβεβαιοῦντο οἱ ζητοῦντες μηδένα ἑωρακέναι, πλὴν εἰ μὴ δύο δένδρα μόνον μικρὸν ἀπ' ἀλλήλων διεστηκότα. ἀναχωρηκότων δὲ τῶν ζητούντων, ὑπολειφθεὶς ὁ μηνυτὴς, καὶ καταλαβὼν ἐν προσευχῇ αὐτόν τε τὸν μέγαν καὶ τὸν σὺν αὐτῷ. καὶ γῆς τὴν θείαν φορεάν, δι' ἧς ἐκεῖνοι δένδρα τοῖς διώκουσιν ἐνομίσθησαν, προσωπεῖον τε αὐτῷ, καὶ πιστεύει τῷ λόγῳ. καὶ ὁ πρὸ βραχέος διώκτης, εἷς τῶν φευγόντων ἐγένετο. *Cum tunc imbecillitatem naturæ vidisset vir ille magnus, utpote quod multi non possent pro pietate usque ad mortem decertare, consuluit Ecclesiæ, ut parumper cederet terribili irruptioni; dicens, esse melius, fugiendo suas conservare animas, quam, si starent in acie certaminum, esse ordinum fidei desertores. Et ut maxime per-*

svasum esset hominibus, nullum animæ afferre periculum, si fuga fidem servarent, suo exemplo eis consuluit ut secederent, ipse ante alios cedens vehementi periculo. Simul autem his quoque, penes quos erat potestas, hoc maximo erat studio, ut illo, tanquam duce exercitus, expugnato, omnem fidei aciem frangerent & dissolverent. Et ideo inimici magnopere studebant, ut ille in eorum veniret potestatem. Ipse autem cum desertum quendam collem occupasset, secum habens eum qui ex adituo adductus fuerat ad fidem ab initio, Diaconi jam munere fungentem, & qui persequebantur, magna multitudine sequerentur eorum vestigia, a quopiam eis ostenso loco in quo abscondebantur; alii quidem vallem colli subjectam circumseptam custodiebant, ut ei nulla ex parte liceret effugere, si ad hoc esset conversus; alii autem, cum in montem accessissent, & in omnem partem scrutantes jam magno illi viro conspecti fuerant, recta ad ipsum currentes. Ille autem cum hortatus esset eum, qui erat cum ipso, ut staret certa & solida in Deum fiducia, & ei suam crederet salutem, manus tendens ad orationem, ac ne, etiamsi prope fuerint inimici, metu fidem excutiat; ipse exemplum se præbuit Diacono, fixo & stabili oculo cœlum intuens, extensis manibus recta figura. Et hi quidem in his erant. Illi autem qui ad eum evaserant, cum locum totum perlustrassent, & inibi omnia dumeta atque arbusta, omnia prominentia saxa, omnes cavernas voraginum, cum summa diligentia perscrutati essent, rursus ad collis radices contendunt, ut metu perscrutantium ille in fugam versus, in potestatem eorum veniret qui infimam partem collis circumsepsissent. Ut itaque neque ab his inventus est, neque apud illos erat, atque speculator ille locum, ubi magnus

gnus ille consisteret, signis describebat, in quo loco scrutatores præter duas duntaxat arbores paululum inter se distantes neminem se vidisse affirmabant; digressis tandem scrutatoribus cum substitisset index, atque in oratione & ipsum illum virum magnum & comitem ejus offendisset, atque id ope divina factum esse judicaret, ut illi persequentibus arbores esse viderentur, procumbit ei ad pedes, creditque sermoni; & qui paulo ante persequutor fuerat, unus ex profugis fiebat. Hactenus de Gregorio Thavmaturgo Gregorius Nyssenus.

Paulus Thebaus, Vita anachoretica auctor,

XL. Fuit porro inter eos, qui, persecutione Deciana urgente, montium solitudinem desertasque regiones petierunt, Paulus etiam ille, cujus ortum, vitam & obitum describit Hieronymus, & de quo inter alia ita differit: *Per idem tempus, quo talia* (quæ recitavimus supra num. XXV) *gerebantur apud inferiorem Thebaidam, cum sorore jam viro tradita, post mortem amborum parentum in hæreditate locupleti Paulus relictus est annorum circiter quindecim, literis tam Græcis quam Ægyptiacis apprime eruditus, mansueti animi, Deum valde amans. Et cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verum,*

(quid non mortalia pectora cogis,
auri sacra fames?)

sororis maritus cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum uxoris lachrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus, ab scelere revocavit. Adhac instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur,

Matth. 10, 35. 36. Luc. 21, 16.

necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cujus radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebtur: quo remoto, (ut est cupiditas hominum, occulta cognoscere) avidius explorans, animadvertit intus grande vestibulum, quod, aperto desuper cælo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens, cujus rivum tantummodo foras erumpentem statim modico foramine eadem quæ genuerat aquas terra sorbebat. Erant præterea per exesum montem haud pauca habitacula, in quibus scabræ jam incudes, & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ visebantur. Hunc locum Ægyptiorum literæ ferunt furtivæ monetæ officinam fuisse, ea tempestate, qua Cleopatræ junctus est Antonius. Igitur adamato (quasi quod a Deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem. Cibum & vestimentum ei palma præbebat. Hæc de Paulo isto Eremita Hieronymus in vita ipsius; quam (ut ex epistola XXI apparet) ad Paulum Concordiensem misit. Meminit quoque hujus Pauli idem Hieronymus epist. XXII, ad Eustochium: ubi eum *hujus vitæ* anachoreticæ *auctorem* appellat; quemadmodum Martyrologio Romano, ad diem X Januarii, *primus Eremita dicitur; qui a sextodecimo ætatis suæ anno usque ad centesimum decimumtertium solus in eremo permanserit.* Spectant huc illa Baptistæ Mantuani, in vita Blasii lib. I:

Tum plerique Patres sancti, cum tale viderent
exitium, fugere urbes, &, more ferarum,
per deserta vagi cæcis latuere cavernis.

Illa

Illa ego crediderim per noxia tempora Paulum
Niligenam, Sole ardentem qui primus eremum
incoluit, liquisse urbes, patriosque penates,
& didicisse togas textis componere palmis.

Cyprianus. XLI. Amplius eadem persecutione urgente etiam Cyprianus, Carthaginensis episcopus, se subduxit; & quidē, ut ipse epistola x, ad Presbyteros & Diaconos scribit, divino jussu. Perinde ut Dionysium quoque Alexandrinum supra professum audivimus, se non sua sponte, sed Dei nutu, in fugam se dedisse; item, a Deo sibi, ut alio migraret, fuisse præceptum. Fusius de suo illo secessu ejusque causa Cyprianus agit epistola xv, ad Clerum Romanum; quam sic orditur: *Quoniam comperi, fratres carissimi, minus simpliciter & minus fideliter vobis renunciari quæ hic a nobis gesta sunt & geruntur, necessarium duxi has ad vos literas facere, quibus vobis actus nostræ & disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur. Nam, sicut Domini mandata instruunt, orto statim turbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus provocaretur.* Similiter epistola xxxvi, ad Presbyteros & Diaconos, *Oportet nos*, inquit, *paci communi consulere, & interdum, quamvis cum tædio animi nostri, deesse vobis; ne præsentia nostri invidiam & violentiam Gentilium provocet, & simus auctores rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium consulere debemus.* Confer epistolam vi, ad Clerum Carthaginensem, & epistolam xl, ad Plebem, de quinque Presbyteris.

XLII. Dum

Qui proscriptus tunc bonisque omnibus fuit exutus.

XLII. Dum ita Carthagine Cyprianus abfuit, proscriptus publice bonisque omnibus spoliatus est, ipsomet teste epistola LXIX. ubi sic Florentium Pupianum affatur: *Persecutio veniens te ad summam martyrii sublimitatem provexit, me autem proscriptionis onere depressit; cum publice legeretur: Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani, Episcopi Christianorum. ut etiam, qui non credebant Deo, Episcopum constituenti, vel Diabolo crederent, Episcopum proscribenti.* Confer epistolam LV. ubi se proscriptum ait vir sanctus, *applicito & adjuncto Episcopatus sui nomine.*

Quid in secessu suo Cyprianus egerit.

XLIII. In secessu autem illo suo otiosum nequaquam fuisse, sed Ecclesiæ commodis pro virili studuisse Cyprianum, tum aliunde, tum ex variis ejus epistolis aliisque tunc editis plane aureis opusculis apparet. *Absens corpore*, scribit ipsemet laudata paulo ante epistola XV, *nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quo minus secundum Domini præcepta fratribus nostris, in quibus possem, mediocritate mea consulerem. Et quid egerim, loquuntur vobis Epistolæ pro temporibus emissæ, numero tredecim, quas ad vos transmisi*: (de iis XIII Epistolis vide quæ disserunt Pamelius ad hunc locum, & Baronius ad ann. CCLIII, seqq.) *in quibus nec Clero consilium, nec Confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio & persuasio nostra defuit; quantum secundum legem fidei & timorem Dei, Domino suggerente, nostra mediocritas potuit eniti.* Ita Cyprianus; qui ejusmodi plura in Ecclesiæ utilitatem tunc temporis a se præstita usque ad finem epistolæ commemorat. Imo

hæc

hæc ipsa tam eximia sancti Præsulis merita in causa fuisse Pontius scribit, ejus Diaconus, cur non citius martyrium consummaverit, sed ad tempus latere debuerit. *Potuisset quidem tunc*, inquit, *pro velocitate qua semper omnia consecutus est, etiam martyrii circa eum debita corona properare; maxime cum & suffragiis sæpe repetitis ad leonem postularetur; nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset, & sic ad summa veniendum; & nisi imminens ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret. Finge enim, tunc illum martyrii dignatione translatum, quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? quis Virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam & habitum sanctimonia dignum velut frenis quibusdam lectionis Dominicæ coerceret? quis doceret pœnitentiam Lapsos, veritatem Hæreticos, Schismaticos unitatem, filios Dei pacem & Evangelicæ precis legem? Per quem Gentiles blasphemi, repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, vincerentur? a quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut, quod magis est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum? Unde misericordiam, unde patientiam disceremus? Quis livorem de venenata Invidiæ malignitate venientem dulcedine remedii salutaris inhiberet? quis martyras tantos exhortatione divini sermonis erigeret? quis denique tot Confessores, frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrii superstites revocatos, incentivo turbæ cœlestis animaret? Bene, bene tunc, & vere spiritualiter contigit, quod vir tam necessarius tam multis & tam bonis rebus a martyrii consummatione dilatus est! Vultis scire, secessum illum non fuisse formidinem? Ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est: quam passionem utig-*

ex more vitaret, si & ante vitasset. Fuit vero formido illa, sed justa; formido, quæ Dominum timeret offendere; formido, quæ præceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata, credit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare. Puto denique, etiam nunc aliqua de dilationis utilitate differenda, tametsi jamdudum pauca perstrinximus. Per hæc enim quæ videntur postmodum subsecuta, sequitur ut probemus, secessum illum non hominis pusillanimitate conceptum, sed, sicuti est, vere fuisse divinum. Vastaverat Dei populum persecutionis infestæ insolens atque acerba grassatio, & quia omnes decipere una fraude non poterat artifex hostis, quacunque miles incautus prodiderat latus nudum, dispari genere sæviendi singulos diversa strage dejecerat. Debebat esse qui posset saucios homines, & varia expugnantis inimici arte jaculatos, adhibita medicinæ cœlestis medela, pro qualitate vulneris vel secare interim, vel fovere. Servatus est vir ingenii præter cetera etiam spiritualiter temperati, qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus, Ecclesiæ iter medium librato limite gubernaret. Nonne hæc, oro, consilia divina sunt? hoc fieri sine Deo potuit? Viderint, qui putant posse fortuito ista contigere. Ecclesia illis clara voce respondet, dicens: ego sine Dei nutu necessarios reservari non admitto. Hæc in vita Cypriani Pontius. cum quibus confer quæ clerus habet Romanus, ad clerum Carthaginensem scribens, epistola inter Cyprianeas III; quæque apud Gregorium leguntur Nazianzenum, orat. XXIX; ubi de sancto hoc exule agens, ὃ τὸ καθ' ἑαυτὸν ἔστερξεν ὁ ἡγιάδας, inquit, ὃδὲ ἠγάπα σωζόμενος.

μένος, οὐδὲ ἀσφάλειαν τῷ σώματι μᾶλλον τὴν ἀτιμίαν ἐνόμιζεν, ἢ ψυχῆς κίνδυνον τὴν ἡσυχίαν, καὶ τὸ περιορᾶν τοὺς ἄλλους τῷ καιρῷ κινδυνεύοντας, οὐκ ὄντος τοῦ παιδοτριβοῦντος, καὶ πρὸς τὸν ἀγῶνα θαῤῥύνοντος. οὐ γὰρ μικρὸν δύνασθαι καὶ λόγον εἰς ἀνδρίας προσθήκην τοῖς ἀποδυομένοις πρὸς τὸ τῆς ἀρετῆς στάδιον. Διὰ τοῦτο τῷ σώματι μὲν ἀπῆν, τῷ πνεύματι δὲ παρῆν, καὶ τοῖς ἀθλοῦσι συνηγωνίζειτο, καὶ τῇ γλώσσῃ μὲν βοηθεῖν οὐκ εἶχεν, βοηθεῖ δὲ τῷ γράμματι. πῶς; ἀλείπτης ὑπερόριος γίνεται, τοὺς προτρεπτικοὺς συγγράφων, καὶ λογογραφῶν τὴν εὐσέβειαν, καὶ πλείους ἐκεῖνος σχεδὸν ἐξ ἐπιστολῶν ποιεῖται μάρτυρας μόνος; ἢ πάντους δι' ἑαυτὸν οἱ παρόντες τοῖς τότε κάμνουσι. *Nequaquam in privata salute sua vir egregius acquiescebat, aut præclare secum agi putabat, quod vita ipsi erepta non fuisset. nec securitatem corporis potius hanc ignominiam, quam animæ periculum interpretabatur, si otio & silentio indulgeret, eorumque salutem negligeret, qui gravissimo tempore periclitabantur, ut qui neminem haberent, qui ipsos ad certamen erudiret, animisque obfirmaret. Nec enim ad augendum animi robur leve momentum iis affert oratio qui ad virtutis stadium accinguntur. Proinde, quamvis corpore abesset, spiritu tamen aderat, in eodemque cum his, qui pugnabant, certamine versabatur, &, quibus lingua opitulari non poterat, iisdem per literas succurrebat. Alipten enim, tametsi in exilio positus, sese præstat, cohortatorias orationes conscribens, pietatemque literarum monumentis consignans, pluresque propemodum solus ipse per epistolas ad subeundum martyrium inducit, quam ceteri omnes, qui tum dimicantibus præsto fuerant.*

XLIV. Quæ quam sint vera, & omnino rei ipsi conformia, a nemine rectius quam illis discere licet ad *Quanto solatio Confessoribus fuerint*

Scripta hinc ad ipsos epistola.

quos epistolæ istæ fuerunt scriptæ. Sic igitur hanc in rem Moyses Maximus, aliique Confessores, in suis ad Cyprianum responsoriis, epistola Cypr. xxvi: *Inter varios & multiplices, frater, dolores nobis constitutis propter præsentes multorum per totum pene orbem ruinas, hoc præcipuum nobis solatium supervenit, quod acceptis literis tuis erecti sumus, & dolentis animi mœroribus fomenta suscepimus. Unde intelligere jam possumus, gratiam divinæ providentiæ forsitan non ob aliam causam nos tamdiu clausos vinculis carceris reservare voluisse, nisi ut instructi & robustius animati literis tuis, voto proniore ad coronam destinatam possemus pervenire. Illuxerunt enim nobis literæ tuæ, ut in tempestate quadam serenitas, & in turbido mari exoptata tranquillitas, & in laboribus requies; ut in periculis & doloribus sanitas; ut in densissimis tenebris candida lux & refulgens. Ita illas anima sitiente perbibimus, & voto esuriente suscepimus, ut ad certamen inimici ex illis nos satis pastos & saginatos gaudeamus. Reddet tibi Dominus pro ista tua charitate mercedem, & hujus tam boni operis repræsentabit debitam frugem. Non minus enim corona mercede condignus est qui hortatus est, quam qui & passus est: non minus laude condignus qui docuit, quam qui & fecit: non minus honorandus est qui monuit, quam qui dimicavit. Nisi quoniam nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum qui instituit, quam ad eum qui se docibilem discipulum subministravit. Hic enim fortassis hoc quod exercuit non habuisset, nisi ille docuisset. Percepimus, frater Cypriane, magna gaudia, magna solatia, magna fomenta.* & paulo post: *Ecce gaudium nostrum, quod in officio Episco-*

pisco-

piscopatus tui, licet interim a fratribus pro temporis conditione distractus es, tamen non defuisti: quod literis Confessores frequenter corroborasti.

XLV. In latebris suis cum ageret Cyprianus, martyrium consummavit, inter alios, MAPPALICUS; uti constat ex epistola illius IX, ad Martyres & Confessores; ubi Cyprianus: *Vox plena Spiritu sancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret: Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus implevit. Agon cœlestis exhibitus, & Dei servus in agonis promissi certamine coronatus est.* ac nonnullis interjectis: *Hunc agonem, per Prophetas ante prædictum, per Dominum commissum, per Apostolos gestum, Mappalicus suo & Coliegarum suorum nomine Proconsuli repromisit. Nec fefellit in promisso suo vox fidelis. Pugnam, quam spospondit, exhibuit, & palmam, quam meruit, accepit.* Qui fuerint illi Mappalici *Collegæ passionis* (ut loquitur auctor epistolæ num. XXXIII laudatæ) Lucianus indicium facit, ipse etiam ex iis unus, epistola XXII, ad Celerinum; ubi nomina refert, *Basi in pejerario, Mappalici in quæstione; Fortunionis in carcere, Pauli a quæstione, Fortunatæ, Victorini, Victoris, Herenei, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venti, Fructi, Juliæ, Martialis, & Aristonis. Qui,* inquit, *Deo volente in carcere fame necati sunt: quorum & nos socios futuros intra dies audietis. Jam enim iterato recluſi sumus: sunt dies octo in die quo tibi literas scripsi. Nam & ante dies octo per dies quinque medios modicum panis accepimus, & aquam ad mensuram.*

Mappalicus martyr, cum sociis.

Babylas martyr.

XLVI. Deciana persecutione fervente, BABYLAS, Antiochenus Episcopus, *postquam frequenter passionibus suis ac cruciatibus glorificaverat Deum, gloriosæ vitæ finem sortitus est in vinculis ferreis, cum quibus & suum corpus sepeliri mandavit*; ut habet Martyrologium Romanum ad diem XXIV Januarii. Cui consentiunt Eusebius in Chronico, & lib. VI Hist. Eccl. cap. XXXIX, Epiphanius lib. de Mensuris & ponderibus, Hieronymus lib. de Script. Eccles. cap. LIV, in Origene, & LXII, in Alexandro, Nicephorus item Callistus Histor. Eccles. lib. V, cap. XXVI. Qui tamen duos ibi Babylas martyres memorat; quorum unus sub Decio, alter sub Numeriano Antiochenus fuerit Episcopus. Nam de passo Nicomediæ sub Decio Babyla ubi dixisset, ἄλλος δέ τις Βαβύλας, subjungit, ὃς ἐπὶ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐπὶ Νουμεριανοῦ τὴν καλὴν ὁμολογίαν ὁμολογήσαντος. *Alius hic Babylas est ab eo, qui Antiochiæ sub Numeriano pulchram professus est professionem.* Quod quomodo sit factum, libro VI, cap. XXXIII, & lib X, cap. XXIIX, fuse exponit.

Unus, an plures hujus nominis fuerint.

Babylas sub Numeriano Episcopus, Nicephori commentum.

XLVII. Ceterum errat haud dubie Nicephorus. Numeriani enim tempore nullum Episcopum, cui Babylæ nomen esset, Antiochenæ præfuisse ecclesiæ, ex successione Antiochenorum Episcoporum patet, quam Eusebius præsertim, indeque Nicephorus Cpolitanus texuit. Et quis facile sibi persuadeat, cum penes antiquos Græcorum Historiographos Babylæ sub Decio passi tam frequens habeatur mentio, ipsos sicco adeo pede præterituros Babylam sub Numeriano, æque Episcopum, æque martyrem, si talis unquam extitisset? Loquiturque insuper res ipsa, quæ ad unum Babylam spectant, nescio

nescio qua imprudentia vel temeritate ad duos fuisse tracta. Etenim occasionem mortis sub Decio passi Babylæ Chrysostomus, sermone de ipso, fuisse ait, quod Imperatorem ab ingressu templi prohibuerit. Hanc ipsam vero causam affert quoque Nicephorus, cur Babylas sub Numeriano fuerit martyrio coronatus. Nisi quod in aliquibus circumstantiis discrepantia est. Chrysostomus enim ait, Imperatorem, Antiochiæ agentem, Regis cujusdam filium obsidem contra Jus gentium crudeliter occidisse, quem proinde Babylas, manu in pectus ejus impacta, a templo arcuerit, atque ita necem sibi consciverit. Sed Nicephorus repulsum fuisse a Babyla Numerianum narrat, quod, Christianorum ingressus ecclesiam, arcana eorum inspicere voluerit. Alii Imperatorem a templi aditu heic prohibitum, nec Numerianum, nec Decium, sed Philippum Arabem fuisse censent. Vide Valesium in Eusebii lib. VI, cap. XXXIV.

XLVII. Ut vero ad Chrysostomi laudatum antè sermonem redeamus, occurrunt in eo etiam aliqua ab Eusebii & Hieronymi narratione dissidentia. Neque enim, ut hi, in carcere Babylam mortuum, sed foras ad supplicium fuisse ductum, ibi dicit vir eloquentissimus. Verba ejus: τ ἅγιον τὸ δεσμωτηρίε ἐξαγαγὼν τ ὅπλ θανάτῳ ἀπαχθῆναι δεδεμένον ἐκέλευσε. *Sanctum e carcere eductum jussit vinctum ad mortis supplicium* Decius *abduci.* & nonnullis interjectis: ἕως θανάτ ὑπὲρ τ ἀληθείας ἠγωνίσατο, καὶ μέχρις αἵματ ἀντικατέστη πρὸς τὴν ἁμαρτίαν μαχόμεν, καὶ ὥστε μὴ ἀφεῖναι τὴν τάξιν, ἣν ἔταξεν αὐτὸν ὁ μέγας βασιλεὺς, ἀφῆκε τὴν ψυχήν. *Pro veritate tuenda ad mortem usque decertavit* Babylas, *& ad proprii*

Chrysostomo de Babyla martyrio.

proprii sanguinis effusionem usque contra peccatum depugnans restitit, atque, ut ne ordinem eum, quem a magno Rege acceperat, desereret, ipsam etiam animam deseruit. Paulo ante dixerat: κεῖται νῦν μετὰ τῆς τέφρας αἱ πέδαι πᾶσιν παραινοῦσαι τοῖς τῆς ἐκκλησιῶν προεστῶσι, κἂν δεθῆναι δεῃ, κἂν σφαγῆναι, κἂν ὁτιοῦν παθεῖν πάντα προθύμως, καὶ μετὰ πολλῆς ὑπομένειν τῆς ἡδονῆς, ὥστε τῆς ἐμπιστευθείσης ἡμῖν ἐλευθερίας, μηδὲ τὸ τυχὸν προδοῦναι καὶ καταισχῦναι μέρος. *Extant etiam nunc cum Babylæ cineribus compedes, Ecclesiarum Præfectos omnes commonefacientes, ut vinciri, ut quidvis pati oporteat: certe omnia prompto atque alacri animo ac magna item cum voluptate sustinenda, ut concreditæ nobis libertatis ne levissimam quidem partem prodamus aut contaminemus.* Ubi, dum ait, Babylæ cineres & compedes Ecclesiarum Præfectos commonefacere, ut *jugulari* oporteat, eum non in carcere obdormivisse, sed ductum & interfectum fuisse, significare videtur. Quod vero scribit, extare cum cineribus *compedes* ejus, id quomodo intelligendum sit, docent quæ supra Chrysostomus narraverat, & Martyrologium quoque Romanum annotat. Nimirum μέλλων ὁ μακάριος ἀποσφάττεσθαι ἐκεῖνος, μετὰ τοῦ σιδήρου τὸ σῶμα ταφῆναι ἐτέσκηψε. *Sanctus ille* Babylas *morti se propinqvum dum videret, corpus suum una cum ferreis illis catenis*, quibus vinctus erat, *sepeliendum mandavit*, ait Chrysostomus. & post pauca: ἵν' ἂν μή τις τῶν ἀπίστων ἀνάγκην εἶναι νομίσῃ τοὺς ἄθλους καὶ κατηφείας, αὐτὰ τῶν ἄθλων τὰ σύμβολα συνταφῆναι κελεύει τῷ σώματι, δεικνὺς, ὅτι λίαν αὐτὰ ἠσπάζετο καὶ ἐφίλει, διὰ τὸ λίαν ἐκκρεμᾶσθαι τῆς ἀγάπης τοῦ χριστοῦ. *Ne quis Gentilium existimaret, certamina ac dedecora vi ac necessitate a nostris sustineri,*

ipsa

ipsa certaminum symbola jubet una cum cadavere suo inhumari; ostendens, sibi illa pergrata & peramica esse, pro ea quidem charitate, qua totus in Christum appensus erat. Eadem habet serm. IX in Epistolam ab Ephesios.

XLIIX. Sed audiamus porro Chrysostomum. *Translatio reliquiarum Babylæ.* Ἐπειδὴ ἐτάφη, pergit ille supra laudato sermone de Babyla, καθὼς ἐπέσκηψε, καὶ χρόνῳ παρῆλθε μακρὸς μετὰ ταφὴν, ὡς ὀστᾶ λιπέσθαι μόνον, καὶ κόνιν ἐν ξύλῳ σορῷ, ἔδοξέ τινι τῶν μετὰ ταῦτα βασιλευσάντων, εἰς τὸ προάστειον ἔξω τῆς Δάφνην ἀπενεχθῆναι τὴν λάρνακα. *Ubi sic, uti mandavit, sepultus fuit* Babylas, *& tam longum temporis intervallum ab ejus sepultura interceſſit, ut non nisi ossa ac cinis in feretro superarent, Deo ipsius animum ad id impellente, capsulam in suburbium istud* Antiochiæ *Daphnen abduci.* Narratque amplius multis, quo pacto ad præsentiam ossium Babylæ oraculum obmutuerit, indeque factum sit, ut martyris reliquiæ alio transferrentur: & ita quidem hæc narrat, ut a seipso adolescente spectata, pluribusque etiam aliis adhuc superstitibus penitius cognita; τῶν ταῦτα θεασαμένων, inquiens, ἔτι καὶ γέροντες καὶ νέοι περίεισιν, οὓς ἀξιῶ πάντας εἴ τι παρ' ἐμοῦ προστέθειται περισσὸν καὶ διελέγχειν. ἀλλὰ προστεθέντα μὲν οὐκ ἂν ἐλέγξειεν, ἐλλείποντα δὲ μόνον. *Ex iis, qui ea viderunt, supersunt adhuc & senes & juvenes; quos omnes obsecro & obtestor, si quid a me historiæ adjectum fuerit, in medium prodeant, meque redarguant. Sed scilicet tantum abest, ut me de meo adjeciſſe quidquam sint redarguturi, ut deprehensuri etiam sint, multa certe a me prætermissa.* Confer ejusdem homil. IV de laudibus Pauli.

xlix. Chrysostomi conformia narrationi sunt quæ eadem de re Sozomenus habet Histor. Eccl. libro v, cap. xix, xx. Nempe secundum hujus relationem, postquam Gallus, frater Juliani, Cæsar a Constantino nuncupatus, Antiochiæ sedem fixit, cum esset Christianus, & eos qui religionis causa martyrium pertulerant, impense veneraretur, Daphnen, nobile illud Antiochiæ suburbanum, superstitione Gentilium, & intemperantium hominum flagitiis, purgare constituit. Id autem se facile consecuturum arbitratus, si ecclesiam illic ex adverso templi Apollinis construxisset, loculum Babylæ martyris eo transtulit. Ex illo tempore Dæmon more solito oracula reddere desiit. Et initio quidem creditus est ideo obmutuisse, quod victimis & cultu illo careret quo prius observabatur. Verum ex iis quæ secuta sunt apparuit, Martyrem, qui in proximo collocatus erat, obstitisse, quo minus responsa ederet. Etenim cum Julianus orbem Romanum solus administraret, quamvis libamenta, & nidor, & hostiarum copia, abunde Dæmoni suppeteret, nihilominus conticuit. Tandemque responso dato, causam prioris silentii ipsemet prodidit. Nam cum Imperator de quibus ipsi visum erat negotiis oraculum illic consulere decrevisset, templum ingressus, victimis ac donariis magnificis dæmonem veneratus est, oravitque, ut de iis rebus quæ in animo habebat, responsum dare vellet. At dæmon, non quidem aperte significavit, oracula a se reddi non posse propter Babylam martyrem, cujus arca in proximo erat: sed locum cadaveribus refertum esse dixit, idque impedimento esse, quo minus oracula ederet. Porro cum multa essent

Daphnæ

Daphnæ sepulta cadavera, Imperator tamen, conjiciens solum Martyrem oraculis obstare, arcam illius transferri jussit. Itaque Christiani eo convenientes, loculum martyris in urbem deportarunt, per quadraginta circiter stadia. Quo quidem tempore viri simul ac mulieres, juvenes ac virgines, senes ac pueri, qui loculum martyris trahebant, sese invicem cohortantes, psalmos per totum iter cecinere; specie quidem ut laborem cantu sublevarent, re ipsa autem, zelo quodam & pietatis æstu succensi, eo quod Princeps non idem cum ipsis de Deo sentiret. Præcinentibus autem iis qui Psalmos apprime callebant, multitudo respondit cum concentu, hunc versiculum succinens: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris.* Hanc ob causam Imperator indignatione commotus, quasi contumelia affectus fuisset, Christianos suppliciis afficere decreverat. Verum Salustius, qui præfecturam gerebat Prætorii, licet Gentilis, consilium tamen ejus non probavit. Cum autem refragari non posset, Imperatoris mandatum executus est, & postridie multos Christianorum comprehensos in vincula conjecit. Primumque omnium adolescentem quendam, cui nomen erat Theodorus, productum in medium eculeo applicuit. Qui, tametsi ungulis ferreis diu laceratus, nec tormentis succubuit, nec Præfecto supplicavit: sed expertem se doloris ostendens, tamquam spectator pœnarum quæ ipsi infligebantur, patienter verba sustinuit, & eundem, quem pridie, psalmum denuo canens, parum se curare ea, quorum causa damnatus fuerat, reipsa ostendit. Præfectus autem adolescentis constantiam admira-

Psalm. 96. 7.

Theodorus adolescens sub Juliano martyr admirabilis.

miratus, cum ad Imperatorem veniſſet, retulit ei quæ geſta fuerant, affirmans, niſi ab inſtituto deſiſteret, ipſos quidem ridiculos, Chriſtianos vero illuſtriores futuros. Quod conſilium cum magis placuiſſet, omnes qui comprehenſi fuerant, e cuſtodia dimiſſi ſunt. Theodorus ille rogatus poſtea, utrum tormenta iſta ſenſiſſet; ſe quidem doloris penitus expertem haud fuiſſe reſpondit; ſed juvenem quendam ſibi adſtantem dolores ſedaſſe, & tenuiſſimo linteo ſudorem abſterſiſſe, frigidamque aquam affudiſſe, qua & inflammationem compreſſerit, & laborum ſolatium præſtiterit. Eadem narrat Ruffinus lib. I Hiſt. Eccl. cap. XXXV, XXXVI. addens, ipſum ſe poſtea Theodorum hunc Antiochiæ vidiſſe, quæque de Angelo adſtanti Sozomenum modo referentem audivimus, ex ore ejus accepiſſe. Junge Socratem lib. III Hiſt. Eccl. cap. XIIX, XIX, Theodoritum Hiſt. Eccl. lib. III, cap. X, XI, & Therapevt. lib. X, Evagrium lib. I, cap. XVI, Gregorium Nazianzenum Invectiva II in Julianum, Auguſtinum lib. XIIX de Civitate Dei cap. LII. Et tantum de Babylæ martyrio. Cum quo etiam paſſi tres pueri, URBANUS, PRILIDIANUS, EPOLONIUS; quos in fide Chriſtiana ipſe informaverat. Vide Martyrologium Rom. a. d. XXIV Jan. Chryſoſtomum homil. de martyribus Juventino & Maximo.

Fabianus Rom. martyr.

L. Abſtulit ulterius perſecutio hæc FABIANUM, Epiſcopum Romanum; uti conſtat ex Martyrologio Romano d. XX Januarii, Cypriani epiſtola IV, ad Clerum Romanum, Hieronymo lib. de Scriptor. Eccleſ. cap. LIV, in Origene.

Moſes item Presbyter Rom.

Abſtulit MOSEN, Preſbyterum Romanum, teſte Cornelio Rom. apud Euſebium lib. VI, cap. XLIII,

xliii, & Martyrologio Rom. ad d. xxv Nov. Videantur etiam quæ ex veteri catalogo Episcoporum, a Peirescio sibi monstrato, Rigaltius annotat ad Cypriani epistolam xv. ubi in carcere Moses defunctus esse dicitur. Extat crebra ejus, & Maximi, apud Cyprianum mentio, utriusque etiam ad ipsum eximia epistola, num. xxvi. Sustulit porro tempestas ea Romæ Victoriam virginem. *Victoria,* *Quæ, cum esset desponsata Evgenio Pagano, & nec nubere vellet, neque sacrificare, post multa facta miracula, quibus plurimas Deo virgines aggregaverat, a carnifice percussa est gladio in corde, rogatu sui sponsi*; ut ait Martyrologium Romanum ad diem xxiii Decembris: Anatoliam. *Anatolia,* *Quæ, postquam plurimos per totam Piceni provinciam variis languoribus affectos curasset, & in Christum credentes fecisset, jubente Faustiniano judice diversis pœnarum generibus vexata, cum ab immisso serpente liberata Audacem convertisset ad fidem, novissime extensis manibus orans gladio transverberata est*; ut iterum tradit Romanum Martyrologium ad diem ix Julii: Agatham virginem. *Agatha,* Quæ *post alapas & carcerem, post equuleum & torsiones, post mamillarum abscissionem, post volutationem in testulis & carbonibus, tandem in carcere Deum precando consummata est*; memorante eodem Martyrologio ad diem v Febr. Habentur & Calocerus ac Parthenius hujus temporis insignes martyres. *Calocerus, Parthenius,* *Quorum prior cum esset præpositus cubiculi uxoris Decii Imperatoris, alter vero alterius muneris primicerius, nolentes idolis sacrificare, ab eodem occisi sunt*, referente Martyrologio Romano ad diem xix Maji. Sed & Secundianus, Marcellianus, & Verianus, hac tempestate *primum casi sunt, deinde in* *Secundianus, Marcellianus, Verianus,* *equulei*

equuleo suspensi, & unguis abrasi, atque igne lateribus appositio assati, triumphalem martyrii palmam capite casi meruerunt, annotante rursum Martyrologio Romano ad diem IX Augusti. Refer huc Timotheum & Mauram conjuges. *quos in Thebaide Arianus Praefectus post multa tormenta cruci jussit affigi, in qua novem diebus vivi pendentes, ac se ipsos in fide roborantes, martyrium consummarunt*, teste sæpius laudato Martyrologio ad diem

Alexander Ierosol. III Maji. Adde Alexandrum, Ierosolymitanum Episcopum, qui *longævæ ætatis veneranda canitie & confessione iterata resplendens, inter carnificum tormenta reddidit spiritum*; dicente Martyrologio ad diem XXX Januarii. Confer Eusebium lib. VI Hist. Eccl. cap. XXXIX, Dionysium Alexandrinum apud eundem memorato loco cap. XLVI, Hieronymum lib. de Script. Eccl. cap. LIV, in Origene, & cap. LXII, in Alexandro, Epiphanium lib. de Mensuris & ponderibus, Nicephorum lib. VI Hist. Eccl. cap. VI.

Confessores, Aurelius, Numidicus, Lucianus, Celerinus.

LI. Eodem spectant illustres etiam Confessores, Aurelius adolescens; de quo Cyprianus epist. XXXIII, XXXIV, Numidicus Presbyter; de quo idem epist. XXXV; Lucianus; de quo ipse epist. XXII; & inprimis Celerinus. de quo ita Cyprianus epist. XXXIV: *Hic ad temporis nostri prælium primus; hic inter Christi milites antesignanus; hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe & auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi ceteris viam fecit; non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu & permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem & novem*

vem dies custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit. sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit; sed animam fide & virtute viventem nutrimentis spiritalibus Deus pavit. Jacuit inter pœnas pœnis suis fortior, incluſus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior judicantibus judicatus: & quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens & obtritus & victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa; eminent & apparent in nervis hominis, membris longa tabe consumptis, expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira, quæ de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis extiterit, qui minus auribus credat, nec oculorum fides deest, ut quis quod audit, & videat. In servo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit.

Quam forti pectore illatas ob Christum injurias Martyres toleraverint.

LIII. E quibus apparet, quanta animi præsentia & constantia, quidquid ob CHRISTI nomen adversi accideret, generosi illi athletæ toleraverint. Quo spectant præterea hæc ejusdem Cypriani, epist. IX, Ad Martyres & Confessores: *Exulto lætus, & gratulor, fortissimi ac beatissimi fratres, cognita fide ac virtute vestra, in quibus Ecclesia gloriatur; gloriata & nuper quidem, cum confessione perstante susceptæ pœnæ est, quæ Confessores* CHRISTI *fecit extorres: confessio tamen præsens, quanto in passione fortior, tanto clarior & major in honore est. Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec redartati estis ab acie tormentorum metu; sed ipsis tormentis magis estis ad aciem provocati; fortes & stabiles ad maximi certaminis prælium prompta devotione prodistis. Ex quibus*

quos-

quosdam jam comperi coronatos, quosdam vero ad coronam victoriæ proximos; universos autem, quos agmine glorioso carcer incluſit, pari ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, ſicut eſſe oportet in divinis caſtris milites Christi, *ut incorruptam fidei firmitatem, non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta devincant. Quia major eſt qui in nobis eſt, quam qui eſt in hoc mundo. Nec plus ad dejiciendum poteſt terrena pœna, quam ad erigendum tutela divina. Probata res eſt certamine fratrum glorioſo, qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congreſſi in acie, donec acies ſuccumberet victa. Quibus ergo vos laudibus prædicem, fortiſſimi fratres? robur pectoris veſtri & perſeverantiam fidei quo præconio vocis exornem? Toleraſtis usque ad conſummmationem gloriæ duriſſimam quæſtionem; nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Dominum velocius mitteret. Vidit admirans præſentium multitudo cæleſte certamen, prælium* Christi: *ſtetiſſe ſervos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina; telis quidem ſecularibus nudos, ſed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes ungulas pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita; quamvis, rupta compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera.* Iſta item, libro de Lapſis: *Non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta, non rei familiaris damna,*

non

non corporis supplicia terruerunt. Explorandæ fidei præfiniebantur dies. Sed qui seculo renunciasse se meminit, nullum seculi diem novit: nec tempora terrena jam computat, qui æternitatem de Deo sperat.

LIV. Quamvis autem hæc ita se habeant, negari tamen non potest, repertos etiam fuisse oppido multos illa tempestate, qui, tormentorum acerbitatem vel experti, vel expavescentes, a CHRISTI fide defecerint. Constat id ex Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum, Eusebio lib. VI, cap. XLI, recitata epistola. Ubi postquam de sævo illo & terribili adversus CHRISTI ecclesiam promulgato edicto Deciano verba fecerat, subjungit: Πολλοὶ εὐθέως τῶν περιφανεστέρων, οἱ μὲν ἀπήντων δεδιότες, οἱ δὲ δημοσιεύοντες, ὑπὸ τῶν πράξεων ἤγοντο· οἱ δὲ ὑπὸ τῶν ἀμφ' αὐτοὺς ἐφείλκοντο· ὀνομαστί τε καλούμενοι, ταῖς ἀνάγνοις καὶ ἀνιέροις θυσίαις προσῄεσαν· οἱ μὲν ὠχριῶντες καὶ τρέμοντες, ὥσπερ οὐ θύσοντες, ἀλλ' αὐτοὶ θύματα καὶ σφάγια τοῖς εἰδώλοις ἐσόμενοι· ὡς ὑπὸ πολλοῦ τοῦ περιεστῶτος δήμου χλεύην αὐτοῖς ἐπιφέρεσθαι· καὶ δήλους μὲν εἶναι πρὸς πάντα δειλοὺς ὑπάρχοντας, καὶ πρὸς τὸ τεθνάναι καὶ πρὸς τὸ θῦσαι. οἱ δέ τινες ἑτοιμότερον τοῖς βωμοῖς προσέτρεχον, ἰσχυριζόμενοι τῇ θρασύτητι τὸ μὴ δὲ πρότερον χριστιανοὶ γεγονέναι· περὶ ὧν ἡ τοῦ Κυρίου πρόῤῥησις ἀληθεστάτη, ὅτι δυσκόλως σωθήσονται. τῶν δὲ λοιπῶν, οἱ μὲν εἵποντο τούτοις ἑκατέροις· οἱ δὲ ἔφευγον· οἱ δὲ ἡλίσκοντο καὶ τούτων οἱ μὲν ἄχρι δεσμῶν καὶ φυλακῆς χωρήσαντες, καί τινες καὶ πλείονας ἡμέρας καθερχθέντες, εἶτα καὶ πρὶν εἰς δικαστήριον εἰσελθεῖν, ἐξωμόσαντο· οἱ δὲ καὶ βασάνοις ἐπὶ ποσὸν ἐγκαρτερήσαντες, πρὸς τὸ ἑξῆς ἀπεῖπον. *Multi ex illustrioribus præ metu statim occurrerunt. Alii qui rempublicam administrabant, ipsa actuum suorum necessitate pertracti veniebant. Alii a notis & familiaribus adducebantur, & nomi-*

Lapsi sub Decio.

minatim citati, ad impura & profana sacrificia accedebant: nonnulli quidem pallidi ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis immolandi essent: adeo ut a circumstante multitudine derriderentur; quippe qui palam omnibus ostenderent, se tum ad moriendum tum ad sacrificandum pusillo animo esse. Alii vero promptius ad aras accurrebant, audacter affirmantes, nunquam se antea Christianos fuisse: de quibus verissime prædixit olim Dominus, ejusmodi homines ægre salutem consecuturos. Ceteri autem partim alterutros eorum quos diximus sequebantur; partim se in fugam dabant, partim comprehendebantur. Ex quibus nonnulli cum usq; ad vincula & custodiam progressi essent, quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent, prius tamen quam in judicium inducerentur, fidem ejuraruntt: nonnulli vero cum aliquamdiu tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua quæ intentabantur supplicia animos despondernunt.

LV. Quibus Dionysianis gemina plane quæ Cyprianus habet libro de Lapsis: *Ad prima statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit; nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit.* & paulo post: *Non exspectaverunt saltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati. Nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti: ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare; quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quid illi, qui a magistratibus vespera urgente dilati sunt? quod*

quod, ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt? quam vim potest talis obtendere, qua crimen suum purget, cum vim magis ipse fecerit ut periret? iterum: *Multis proprius interitus satis non fuit; hortamentis mutuis in exitium suum populus impulsus est, mors invicem letali poculo propinata est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi vel attracti, amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti.* Hæc Cyprianus. Qui deinde hujusmodi ἀποστασίας occasionem etiam exponit; *Dissimulanda*, inquiens, *fratres, veritas non est, nec vulneris nostri materia & causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus: nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates sua velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ; quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præcluſa, ut serpenti, terram secundum Dei sententiam devoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.* Subjicit præterea quædam de lapsorum pœnis, *Ecce eorum*, inquiens, *qui negaverunt, quæ supplicia conspicimus? quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine pœna possunt, quamvis nec dum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidem, quo ceteri corrigantur.* Moxque exempla narrat eorum, qui, postquam Christum abnegassent, vel obmutuerint, vel ab immundo spiritu correpti ceciderint, vel alia ratione peccati sui pœnas luerint.

LVI. Eodem illo opusculo Cyprianus duo Lapsorum genera facit. Distinguit nimirum inter eos, qui *nefandis sacrificiis manus contaminaverunt*, & qui *libellis* con-

Lapsorum duo genera: Sacrificati, & Libellatici.

conscientiam polluerunt. Alibi, nempe epist. LII, ad Antonianum, illos *Sacrificatos* vocat, hos *Libellaticos.* Per *Sacrificatos* quos intelligat, supervacaneum est quærere; cum satis diserte, ut audivimus, eos describat, quod sint, *qui nefandis sacrificiis manus contaminaverunt;* uti Clerus Romanus, epist. XXXI, illos esse dicit, *qui illicitis sacrificiis manus suas atque ora polluerant, pollutis ante mentibus propriis;* hoc est, qui vel ipsi immolassent idolis, vel immolata gustassent. *Libellatici* autem qui proprie sint, non æque liquet.

De Libellaticis receptior sententia.

LVII. Communiter sic appellatos existimant, qui pecunia data se redemerunt, ne sacrificare aut fidem abnegare cogerentur, eaque de causa libellum a magistratibus acceperunt. Atque huic sententiæ prorsus favere videtur formula redimendi, quam idem consignavit Cyprianus epistola supra laudata LII: *Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum idolis, nec sacrificia servum Dei adorare debere; & idcirco, ne hoc facerem quod non licebat, (cum occasio fuisset oblata, quem nec ipsum accipirem, nisi ostensa fuisset occasio,) ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi; Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne, quod non licet, faciam.*

Baronio improbata.

LIIX. Card. vero Baronius, ad ann. CCLIII, 20. seqq. recepta illa sententia rejecta, Libellaticos omnino Christum abnegasse statuit, sed privatim; nec alia de causa persoluto pretio securitatis libellum a magistratu accepisse, nisi ne, ut alii, sacrificia palam offerre cogerentur. *Hunc in modum,* ait, *rem geri consuevisse putamus.*

Cum

Cum propositis a provinciarum Præsidibus Decii Imperatoris edictis, ut Christiani omnes sacrificarent, qui id facere erubescerent, magistratum adirent, vel ad eum alios suo nomine mitterent, rogarentque, ne ad sacrificium immolandum compellerentur, ceterum se Christum negare, iidemque etiam pro huiusmodi dispensatione consequenda pecuniam sponderent; magistratus vero post negationem concessionis libellum scriberet, atque ei qui petiisset, daret, vel absenti mitteret, quo munitus tutus absque pœna consisteret. Qui igitur hunc in modum fidem prodidissent, ac similiter perdidissent, Libellatici dicebantur, quod libellum securitatis a magistratu conscriptum accepissent, cum negassent.

LIX. Non aliud ergo discrimen inter Libellaticos & Sacrificatos agnoscit Baronius, quam quod hi publice, illi privatim CHRISTUM negaverint. Suæque hujus opinionis fundamentum primo in hoc ponit, quod acriter adeo Libellatici, tum a Cypriano, tum a Clero Romano, increpantur. Cyprianus videlicet, libro de Lapsis, *Nec sibi*, inquit, *quo minus agant pœnitentiam, blandiantur, qui, etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat abnuentis: feciſse se dixit, quidquid alius faciendo commisit.* Clerus vero Romanus, epistola quæ inter Cyprianeas XXXI est, sententiam suam dilucida se expositione protulisse ait *adversus eos, qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant; quasi evasuri irretientes illos Diaboli laqueos viderentur, quo non minus, quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso, quod ipsum contestati fuerant, tenerentur.* Ex his, inquam, locis Baronius, Libellaticos

Argumentum Baronii primum.

cos revera abnegasse colligit. Nam si pretium solvissent, duntaxat ne fidem negare cogerentur, nihil illiciti designasse eos ait, nec proinde reprehensionem potuisse mereri; siquidem nullum crimen sit, vexationem a Gentilibus inferri solitam pecunia redimere. id quod exemplo Jasonis, Act. xvii, 9. & Petri, Episcopi Alexandrini, testimonio ad ann. ccv, 17. confirmat.

Examen. LX. Sed parum solida isthæc Baroniana videntur. Etiamsi namque pretio animam redimere licet, hoc est, pecuniam dare, ne abnegare cogaris; chartam tamen accipere non licet, qua, tamquam abnegaveris, tuearc. Hæc ipsa enim abnegationis simulatio revera quædam est abnegatio. Illi enim qui chartam videt, inuritur cogitatio, te abnegasse: cui proinde factus es apostata, etsi non factus esses Judici. Si ergo vel maxime nec clam nec palam Christum abnegasse dicamus Libellaticos, recte tamen adhuc a Cypriano & Clero Romano potuerunt culpari. Loca proinde adducta id non efficiunt quod Baronius autumat. Quin potius, si diligenter inspiciantur, receptæ de Libellaticis sententiæ haud obscure patrocinantur. Scribit nempe Cyprianus, Libellaticum libello conscientiam polluisse. Quî vero? dum *feciſſe ſe dixit*, inquit, *quidquid alius faciendo commiſit.* Ecquid vero commiserant illi, quibus Libellaticos heic opponit Cyprianus? Christum abnegaverant; sacrificia idolis obtulerant. Ergo Libellatici nec abnegarunt Christum, nec obtulerunt idolis; sed se hæc feciſſe dixerunt; puta cum libellos proferrent, a magistratu acceptos, quibus id testabantur. Eodem modo

Cle-

Clerus Romanus ait, *Libellaticos seipsos infideles prodidisse*, non quod revera ad aras accessissent, sed quod ipsi id se fecisse contestati sint nefariorum libellorum professione. Idem Clerus mox addit: *Nec est alienus a crimine, cujus consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur. Et cum totum fidei sacramentum in confessione* CHRISTI *nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit; & qui vult videri propositis adversus Evangelium vel dictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Ex quibus omnibus manifestum esse videtur, Libellaticos non ideo fuisse reprehensos, quod revera abnegassent, sed quod videri voluerint abnegasse.

LXI. Alterum Baronii fundamentum est, quod, teste Cypriano epistola LXIIX, ad Hispanos, *Martialis, prater Gentilium turpia & lutulenta convivia & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulchra depositos, & alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud Procuratorem Ducenarium, obtemperasse se idololatriæ, & CHRISTUM negasse testatus sit*; quem tamen libello idololatrico contaminatum idem vir sanctus aliquoties ibi dicat. *Argumentum Baronii alterum.*

LXII. Huic difficultati ut occurratur, non omnes Libellaticos ejusdem conditionis fuisse, dicendum videtur. Agnoscuntque id, inter ceteros, Gabriel Albaspinæus, Ægidius de Conink, Johannes Forbesius. Qui & ipsi Baronianæ sententiæ, quod cuncti sine discrimine Libellatici apostatæ fuerint, ita contradicunt, ut differentiam necessario inter illos admitti oportere doceant *Libellatici non omnes ejusdem fuere conditionis.*

ceant qui appellatione hac a veteribus insigniuntur: tametsi in ea constituenda non per omnia conveniant.

Sententia de iis Albaspinæi.

LXIII. Albaspinæus videlicet, Observationum libro 1, obs. XXI, 4. seqq. duo Libellaticorum facit genenera. Primum eorum fuisse ait, qui, in carcere constituti, pœnas, quæ de Christianis sumebantur, quoquo modo effugere, quam subire maluerint, utque id consequerentur, se Christianos neque esse, neque fuisse, libello affirmaverint. Atque hos non existimat pecunia Judices corrupisse, neque libellū ab eis accepisse, ut a quibus, exuta fide, nihil amplius desiderari potuerit. Alterius generis fuisse dicit Libellaticos, qui, ubi pecunia Judicis animum tentari atque commoveri posse sentirent, Christianos se professi, quibus idolis sacrificare non liceret, ne vi & tormentis ad id faciendum inducerentur, rogaverint, adque libellum obtinendum quo in libertatem inposterum se vendicarent, pecuniam obtulerint.

Æ. de Coninck.

LXIV. Coninck, de Moral. natur. & effect. actuum supernaturalium, disp. XV, Libellaticos ita distinguit, quod eorum quidam fidem negaverint, saltim per alios; nonnulli autem libellos data pecunia impetraverint, quibus, immolasse ipsos idolis, magistratus testaretur. Atque hoc pacto Baronii & Malderi opinionem conciliare nititur; quorum ille omnes, hic nullos Libellaticos Christum abnegasse propugnat.

Forbesii.

LXV. Forbesius, Instruct. Historico-Theolog. lib. XII, cap. 1, persecutionis tempore quosdam, promulgato edicto, ne caperentur, vel in facultatibus terrenis jacturam facerent, confestim suæ negationis libellum Præsidi ultro obtulisse scribit, & obtemperasse idololatriæ,

triæ, Christoque maledixisse. Atque hos non tantum Libellaticos fuisse, sed insuper Sacrificatos; seu potius, non tam Libellaticos, quam Sacrificatos dici debere. Alios libello blasphemiam addidisse ait, ut fecerit Basilides (vide Cyprianum epist. LXIIX) etiamsi non coacti sint sacrificare. Qui quidem pejores fuerint Libellaticis. Denique alios fuisse dicit, qui vel ipsi magistratum accedentes, vel per alios, Christianos esse se, significarint, sacrificare sibi non licere, præmium a se offerri, ne, quod non licet, facere juberentur; atque sic a Præfectorum avaritia, certa numerata pecuniæ summa, obtinuerint, ut neque Christum abjurare, neque idolis sacrificare cogerentur.

LXVI. Nobis nec libet nec vacat nunc in opinionum istarum discrepantiam pariter & veritatem curiosius inquirere, aut studiosius expendere Cypriani loca quibus hic vel ille sententiam suam superstruit, num firmiter satis id probent ad quod probandum adducuntur, anxie nimis scrutari. Sufficiat in præsenti, in id conspirare laudatos auctores, quod a cunctis promiscue Libellaticis Christum fuisse negatum, peperam Baronius statuat. *Qua licet in aliquibus discrepent, omnes tamen Baronio adversantur.*

LXVII. Atque hactenus de persecutione octava; qua Decius

— — *jugulis bacchatus apertis*
insanam pavit rabiem. —— *Prud. l. 2. in Symm. v. 668.*

Cujus suæ impietatis quam pœnam sustinuerit, his describit verbis Lactantius, de Mortibus Persecutorum cap. IV: *Extitit execrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim Justitiam nisi malus persequatur?* *Decii persecutoris pœna.*

Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud Principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet. Nam profectus adversum Carpos, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris, & cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari; sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

Decio exstincto, pax Ecclesia reddita est. Pro qua gratias Deo agendas esse, Cyprianus monuit.

LXIIX. Sublato igitur Sic Decio, pax Christianis rediit. Quos ad agendas Deo pro tanto munere gratias ita cohortatur Cyprianus, ex secessu suo redux, sub initium libri de Lapsis: *Pax, ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est; &, quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina* (dum Decius Imperator interfectus est) *securitas nostra reparata est. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressuræ ac nube & caligine discussa, tranquillitas ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia ejus ac munera cum gratiarum actione celebranda: quamvis agere gratias nostra vox nec in persecutione cessaverit. Neque enim tantum inimico licere potest, ut non, qui Dominum toto corde & anima & virtute diligimus, benedictiones ejus & laudes semper & ubique cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, & post longæ noctis horribilem tetramque caliginem, Domini luce radiatus mundus eluxit.*

Gallus, Decii successor, Ecclesiæ persecutionem resuscitavit.

LXIX. Decio cum liberis interempto successit Gallus. De quo ita Dionysius Alexandrinus, epistola ad Hermammonem, apud Eusebium lib. VIII, cap. I. οὐδὲ Γάλλος ἔγνω τὸ Δεκίου κακὸν, οὐδὲ προεσκόπησε τί ποτ' ἐκεῖνον ἔσφηλεν· ἀλλὰ

ἀλλὰ πρὸς τ αὐτὸν πρὸ τ ὀφθαλμῶν αὐτοῦ γενόμενον ἔπταισε λίθον. ὃς εὖ φερομένης αὐτῷ τ βασιλείας, καὶ τ νεῶν χωρούντων τ πραγμάτων, τὰς ἱερὰς ἄνδρας τὰς πρὸ τ εἰρήνης αὐτοῦ καὶ τ ὑγιείας πρεσβεύοντας πρὸς τ Θεὸν, ἤλασεν. ὅπερ οὖν ἐκείνοις ἐδίωξε καὶ τὰς ὑπὲρ ἐαυτ̃ προσευχάς. *Gallus neque culpam Decii intellexit, nec prospexit, quid tandem illum pessum dedisset: quin potius ad eundem lapidem ante oculos suos positum impegit. Qui, cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, viros sanctos, qui pro pace & incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est. Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas fugavit.* Ceterum quia e vestigio tempestas hæc Decianam excepit, & non tam novam persecutionem Gallus excitavit, quam antea jam motam restauravit, turbo iste priori communiter accenseri solet.

CAPUT IX.

DE PERSECUTIONE NONA, SUB VALERIANO.

CONSPECTUS.

I. *Valeriani vita.*
II. *Is cum initio Christianis faveret, Magici cujusdam impostoris instinctu persequi eos postea cœpit.*
III. *Dionysii Alexandrini confessio & exilium.*
IV. *Sermonis inter Æmilianum Præfectum & Dionysium habiti.*
V. *Dionysii aliorumque exulum præclara facta.*
VI. *Martyres omnis generis sub Valeriano, omnisque generis supplicia.*
VII. *Cypriani exilium.*
VIII. *Visio, qua futurum ei martyrium fuit significatum.*
IX. X. *In exilio suo quid egerit Cyprianus.*
XI. XII. *Martyrum in metallis constitutorum conditio.*
XIII. *Cypriani ad Successum de persecutione Valeriani epistola. Xistus & Quartus martyres.*
XIV. *Cyprianus ad martyrium se componit.*
XV. *Frumentarii qui fuerint, Pamelii, Casauboni, Baronii, Salmasii, opinio.*
XVI. *Cyprianus post habitum cum Proconsule colloquium, sententia ejus damnatus, gladioque truncatus.*
XVII. *Cum Cypriano pasti ejus discipuli, Lucius, Montanus, Flavianus, Julianus, Victorinus.*
XVIII. *Montani martyris jamjam passuri factum memorabile.*
XIX. *Massa candida.*
XX. *Laurentii martyrium, de quo testimonia Ambrosii,*
XXI. *Augustini,*
XXII. *Pru-*

XXII. *Prudentii,*
XXIII. *Leonis M.*
XXIV. *Passionis Laurentianæ acerbitas.*
XXV. *Quam fortissimo animo sanctus Martyr toleravit.*
XXVI. *Laurentii ἀγωνίαν sub Juliano imitati sunt Macedonius, Theodulus, & Tatianus.*
XXVII *Fructuosus, Augurius, & Evlogius, martyres Hispani.*
XXIIX *Fructuosus jam passurus, jejunium solvere recusat.*
XXIX. *Jejunium quartæ & sextæ feriæ.*
XXX. *Quam præsenti animo mortem oppetierit Fructuosus.*
XXXI. *Martyres in cœlum ascendere visi.*
XXXII. *Iidem post obitum apparuerunt.*
XXXIII. *Augustini ex Actis Fructuosi allegata.*
XXXIV. *Priscus, Malchus, & Alexander, martyres Cæsareenses.*
XXXV. *Valeriani persecutoris pœna.*
XXXVI. *Gallienus pro Christianorum tranquillitate edicta & constitutiones publicat.*
XXXVII. *In cœmeteriis convenire Christianis prohibitum persecutionis tempore.*
XXXIIX. *Marini sub Gallieno martyrium.*
XXXIX. *Militiæ cingulum iis auferebatur qui Christum negare nolebant.*

I.

NONUM tyrannum pii, circa annum Christi CCLIX, *Valeriani vita.* invenerunt LICINIUM VALERIANUM. Cujus per annos LXX vita laudabilis in eam conscenderat gloriam, ut per omnes honores & magistratus insigniter gestos Imperator fieret; non, ut solet, tumultuario populi concursu, non militum strepitu, sed jure meritorum, & quasi ex totius orbis una sententia, ceu scribit Trebellius Pollio, qui mox Senatus-consultum adducit, ex quo, quid de illo semper amplissimus ordo judicaverit, in-

telligere liceat. Ait nimirum, cum Censor deligendus esset, & Prætor edixisset: *quid vobis videtur*, P. C. *de Censore deligendo*? omnes una voce dixisse, interrupto more dicendæ sententiæ: *Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior. Ille de Senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia Censor fuit. Valerianus in tota vita sua fuit Censor. Prudens Senator, modestus Senator, gravis Senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc Censorem omnes accipimus; hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.* Subjungit Pollio, Decium, ubi hoc Senatusconsultum acceperat, omnes Aulicos convocavisse, ipsum etiam Valerianum præcepisse rogari; atque in conventu summorum virorum, recitato Senatusconsulto, dixisse: *Felicem te, Valeriane, Senatus sententia, imo animis atque pectoribus! Totius orbis humani suscipe censuram, quam tibi detulit Romana Resp. quam solus mereris, judicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis, qui manere in curia debeant; tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges; tu censibus modum pones; tu vectigalia formabis; divides statum; Respublicas recensebis. Tibi legum scribendarum auctoritas dabitur; tibi de ordinibus militum judicandum est; tu arma respicies; tu de nostro palatio, tu de Judicibus, tu de Præfectis eminentissimis judicabis. Excepto denique Præfecto urbis Romæ, exceptis Coss. ordinariis, & sacrorum Rege, ac maxima virgine Vestalium (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus*

bus sententias feres. Laborabunt autem etiam illi, ut tibi placeant, de quibus non potes judicare.

II. HIC VALERIANUS, decessoris vestigia premens, ac *non dissimili furore correptus, impias* & ipse *manus in Deum intentavit, & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit;* scribente Lactantio de Mortibus Persecutorum cap. v. nonâ videlicet, (quæ secundum Hieronymi, Augustini, Orosii, Sulpitii Severi, computationem octava est) adversus Ecclesiam persecutione motâ. Tametsi enim initio tam impense Christianis favebat, ut ante eum Imperator nullus, teste Dionysio Alexandrino, apud Eusebium lib. VII, cap. X (verba jam supra dedimus cap. VII, 10.) tandem tamen, ut laudato loco Dionysius pergit, ἀποσκευάσασθαι παρέπεισεν αὐτὸν ὁ διδάσκαλος καὶ τῶν ἀπ' Αἰγύπτου μάγων ἀρχισυνάγωγος· τοὺς μὲν καθαροὺς καὶ ὁσίους ἄνδρας κτίννυσθαι καὶ διώκεσθαι κελεύων, ὡς ἀντιπάλους καὶ κωλυτὰς τῶν παμμιάρων καὶ βδελυκτῶν ἐπαοιδῶν ὑπάρχοντας (καὶ γάρ εἰσι καὶ ἦσαν ἱκανοὶ παρόντες καὶ ὁρώμενοι, καὶ μόνον ἐμπνέοντες καὶ φθεγγόμενοι, διασκεδάσαι τὰς τῶν ἀλιτηρίων δαιμόνων ἐπιβουλὰς) τελετὰς δὲ ἀνάγνους καὶ μαγγανείας ἐξαγίστους καὶ ἱερουργίας ἀκαλλιερήτους ἐπιτελεῖν ὑποτιθέμενος· παῖδας ἀθλίους ἀποσφάττειν, καὶ τέκνα δυστήνων πατέρων καταθύειν, καὶ σπλάγχνα νεογενῆ διαιρεῖν, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ κατακόπτειν καὶ καταχορδεύειν πλάσματα, ὡς ἐκ τούτων εὐδαιμονήσοντας, *magister & Archisynagogus magorum Ægypti ei persuasit, ut ab hoc instituto desciscceret; jubens, ut castos quidem & sanctos viros persequeretur atque occideret, quippe qui scelestis ac detestandis incantationibus adversarentur atque obstarent. (erant enim & sunt etiamnum ejusmodi, qui vel præsentia atque adspectu suo, & insufflan-*

Is cum initio Christianis faveret, magici cujusdam impostoris instinctu persequi eos postea cœpit.

Vide infra c. 10. n. 18.

sufflantes dumtaxat ac vocem edentes, Dæmonum præstigias disturbare possint) initiationes autem impuras, & abominanda maleficia, & sacrificia execranda peragere eum iussit: miseros infantes mactare, immolare liberos infelicium parentum, nuper natorum rimari viscera, Dei figmenta atq; opera discerpere ac detruncare; quasi hoc facto ad summam felicitatem esset perventurus.

Dionysii Alexandrini confessio & exilium

III. Idem Dionysius in scripto adversus Germanum quendam apologetico, iterum apud Eusebium citato loco cap. XI, indicium facit, edictum a Valeriano fuisse promulgatum, quo conventus fieri, & cœmeteria adiri prohibuerit; privatis quoque literis provinciarum Præsides ad extirpandos Christianos eum esse cohortatum, exilio denunciato his qui Imperatoriis se edictis parum morigeri exhibituri essent: sicut hanc severitatem seipsum expertum fuisse scribit Dionysius. Sed præstat ejus verba subjicere. Postquam itaque dixerat, se una cum Maximo, compresbytero suo, Fausto, Eusebio & Chæremone, Diaconis, ac alio quodam e fratribus qui Roma venerant, Æmilianum, Augustalem Ægypti Præfectum, adiisse, ita narrare pergit: Αἰμιλιανὸς οὐκ εἶπέ μοι πεσυγκεμένως, μὴ σύναγε. ὡς ἐπὶ τὸν ἦν αὐτῷ, καὶ τὸ πλεῖστον ὅπῃ τὸ πρῶτον ἀναστρέχοιμι. ὁ γὰρ ὡς τὸ μὴ συνάγειν ἑτέρως ὁ λόγῳ ἦν αὐτῷ, ἀλλὰ ὡς τὸ μὴ δ' αὐτὸς ἡμᾶς εἶναι χρισιανές. καὶ ἤδη πεποίηται πεπαῦσθαι. εἰ μεταβαλοίμην ἔγωγε, καὶ ἂς ἄλλους ἔψεσθαί μοι νομίζων. ἀπεκρινάμην δὲ οὐκ ἀπεικότως, οὐδὲ μακρὰν πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. ἀλλ' ἄνικες διεμαρτυράμην, ὅτι τὸν θεὸν τὸ ὄντα μόνον, καὶ σέβων· οὐδ' ἂν μεταπεθείμην, οὐδὲ παυσαίμην ποτὲ χρισιανὸς ὤν. ὅπῃ δ' ἤδη ἐκέλευ-

Act. 1. 29.

σεν

σεν ἡμᾶς ἀπελθεῖν εἰς κώμην πλησίον τῆς ἐρήμου καλουμένην Κεφρώ. *Æmilianus dixit mihi prima fronte: Non conventus agas. Id enim illi supervacuum erat ac postremum, ad id quod primum ac præcipuum est recurrenti. Quippe haudquaquam curabat, ne alios congregarem; sed id agebat, ne ipsi Christiani essemus; & ab eo cultu desistere me jubebat: ratus scilicet, si ego ab eo cultu descivissem, ceteros exemplum secuturos. Respondi, non improbabiliter, nec longe arcessita responsione: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Sed palam & aperte contestatus sum, me illum, qui solus est Deus, neque ullum alium præter hunc, adorare: nec a proposito dicessurum me esse, nec commissurum unquam, ut Christianus esse desinerem. Post hæc abire nos jussit in vicum quendam solitudini proximum, cui nomen Cephro.*

IV. Hinc inter Præfectum & Confessores ultro citroque habitos sermones, uti Actis publicis inserti illi fuere, subjungit. Æmilianus nempe dixit: καὶ ἀγράφως ὑμῖν διελέχθην περὶ τῆς φιλανθρωπίας τῶν κυρίων ἡμῶν ᾗ περὶ ὑμᾶς κέχρηνται. δεδώκασι γὰρ ἐξουσίαν ὑμῖν σωτηρίας, εἰ βούλοισθε ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν τρέπεσθαι, καὶ Θεοὺς τοὺς σώζοντας αὐτῶν· τὴν βασιλείαν προσκυνεῖν, ἐπιλαλέσθαί τε τῶν παρὰ φύσιν. τί οὖν φατὲ πρὸς ταῦτα; οὐδὲ γὰρ ἀχαρίστοις ὑμᾶς ἔσεσθαι περὶ τὴν φιλανθρωπίαν αὐτῶν προσδοκῶ, ἐπειδήπερ ἐπὶ τὰ βελπίω ὑμᾶς προτρέπονται. *Non solum scripto, sed etiam viva voce vobiscum disserui de humanitate Principum nostrorum, qua illi erga vos utuntur. Vobis enim potestatem fecerunt salutis vestræ retinendæ, dummodo ad id quod naturæ consentaneum est ferri, Deosque imperii illorum custodes adorare, & eorum quæ Naturæ ipsi repugnant*

Sermones inter Æmilianum Præfectum & Dionysium habiti.

oblivisci velletis. Quid ergo ad hæc dicitis? Neque enim vos ingrato animo fore spero adversus eorum clementiam; quippe cum ad meliora vos traducere conentur. Dionysius respondit: οὐ πάντας πάντας προσκυνοῦσι Θεοὺς· ἀλλ' ἕκαστοι τινὰς οὓς νομίζουσιν. Ἡμεῖς τοίνυν τὸν ἕνα Θεὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, τὸν καὶ τὴν βασιλείαν ἐγχειρήσαντα τοῖς θεοφιλεστάτοις Οὐαλεριανῷ καὶ Γαλλιήνῳ σεβαστοῖς. τοῦτον καὶ σέβομεν καὶ προσκυνοῦμεν. καὶ τούτῳ διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτῶν ὅπως ἀσάλευτος διαμένῃ, προσευχόμεθα. *Non omnes ab omnibus coluntur Dii: sed eos singuli colunt quos arbitrantur Deos. Nos quidem unum Deum omnium omnium rerum opificem, qui Valeriano & Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat.* Æmilianus iterum, τίς γὰρ ὑμᾶς κωλύει, inquit, καὶ τοῦτον εἴ πέρ ἐστι θεὸς, μετὰ τῶν κατὰ φύσιν Θεῶν προσκυνεῖν; Θεοὺς γὰρ σέβειν ἐκελεύσθητε, καὶ Θεοὺς οὓς πάντες ἴσασι. *Quis vero vos prohibet, quo minus & hunc, siquidem Deus est, cum iis qui natura Dii sunt adoretis? Deos enim colere jussi estis, eosque quos cuncti norunt Deos.* Ad quæ Dionysius: ἡμεῖς οὐδένα ἕτερον προσκυνοῦμεν. *Nos nullum alium adoramus.* Æmilianus: ὁρῶ ὑμᾶς ὁμοῦ καὶ ἀχαρίστους ὄντας καὶ ἀναισθήτους τῆς πρᾳότητος τῶν Σεβαστῶν ἡμῶν· διόπερ οὐκ ἔσεσθε ἐν τῇ πόλει ταύτῃ· ἀλλὰ ἀποσταλήσεσθε εἰς τὰ μέρη τῆς Λυβίης, καὶ ἐν τόπῳ λεγομένῳ Κεφρώ. τοῦτον γὰρ τὸν τόπον ἐξελεξάμην ἐκ τῆς κελεύσεως τῶν Σεβαστῶν ἡμῶν. οὐδαμῶς δὲ ἐξέσται οὔτε ὑμῖν οὔτε ἄλλοις τισὶν, ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι. εἰ δέ τις φανείη μὴ γενόμενος εἰς τὸν τόπον τοῦτον ὃν ἐκέλευσα, ἢ ἐν συναγωγῇ τινι εὑρεθείη, ἑαυτῷ τὸν κίνδυνον ἐπαρτήσει. οὐ γὰρ ἐπιλείψει ἡ δέουσα ἐπι-

στρέφεια

στρέφεια. ἀπόστητε οὖν ὅπου ἐκελεύσθητε. *Video, vos ingratos esse simul ac stupidos, qui clementiam Augustorum minime sentiatis. Quam ob rem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Libyæ, ad locum qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscumque aliis, conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire. Quod si quis ad eum, quem jussi, locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus, is sibi ipse periculum arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur quo jussi estis.* καὶ νοσοῦντα δέ με κατήπειξεν, ait Dionysius, οὐδὲ μίας ὑπέρθεσιν δοὺς ἡμέρας. *Statimque me, etsi ægrotantem, proficisci compulit, ne diei quidem unius dilatione concessa.*

v. His porro subjungit vir sanctus, quomodo ipse sociique ejus conventus nihilominus instituere perrexerint; non exiguum quoque cœtum, tum fratrum qui Alexandria eos secuti, tum aliorum qui ex reliqua Ægypto convenerant, ad locum quo relegati erant una cum iis migraverint; multique insuper Gentilium, a quibus initio lapidibus erant impetiti, tandem ipsorum opera ibi ad Deum conversi sint. οὐ πρότερον γὰρ, inquit, παραδεξαμένοις αὐτοῖς, τότε πρῶτον δι' ἡμῶν ὁ λόγος ἐπεσπάρη. καὶ ὥσπερ τούτου ἕνεκεν ἀπαγαγὼν ἡμᾶς πρὸς αὐτοὺς ὁ Θεὸς, ἐπεὶ τὴν διακωνίαν ταύτην ἐπληρώσαμεν, πάλιν ἀπαγήοχεν. *Tunc enim primum apud illos Verbi divini per nos sparsa sunt semina, cum id antea non suscepissent. Et prorsus quasi Deus ejus rei causa nos ad illos perduxisset, postquam illud ministerium implevimus, iterum nos alio transtulit.* Quod qua ratione sit factum, mox ibi

Dionysii aliorumque exulum præclara facta.

narrare pergit; ſubjiciens denique: πολλαῖς γε ταῖς ὁμολογίαις Γερμανὸς σεμνύνεται, πολλά γε εἰπεῖν ἔχει καθ' ἑαυτοῦ γενόμενα. ὅσας ἀριθμῆσαι δύναται περὶ ἡμῶν ἀποφάσεις, δημεύσεις, προγραφὰς, ὑπαρχόντων ἁρπαγὰς, ἀξιωμάτων ἀποθέσεις, δόξης κοσμικῆς ὀλιγωρίας, ἐπαίνων ἡγεμονικῶν καὶ βουλευτικῶν καταφρονήσεις, καὶ τῶν ἐναντίων ἀπειλῶν, καὶ καταβοήσεων καὶ κινδύνων, καὶ διωγμῶν, καὶ πλάνης, καὶ στενοχωρίας, καὶ ποικίλης θλίψεως ὑπομονὴν· οἷα τὰ ἐπὶ Δεκίου καὶ Σαβίνου συμβάντα μοι, οἷα μέχρι νῦν Αἰμιλιανοῦ. *Fortaſſe Germanus multis fidei confeſſionibus gloriatur, multa prædicare poteſt adverſus ſe geſta. Quot vero enumerare poteſt, perinde atque ego, ſententias Judicum, publicationes, proſcriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloriæ ſecularis, laudum a Præfectis ac Decurionibus profectarum deſpectus, minarum denique, quæ coram intentabantur, vociferationum, diſcriminum, perſecutionum, fugæ, ærumnarum, & cujusquemodi malorum tolerantiam: qualia ſunt quæ ſub Decio & Sabino, & quæ in hunc usque diem ſub Æmiliano nobis contigerunt?*

Martyres omnis generis ſub Valeriano, omnisque generis ſupplicia.

VI. Non poſſumus, quin præterea transferamus huc quæ in ejusdem Dionyſii epiſtola leguntur ad Domitium & Didymum, cujus fragmentum denuo Euſebius ſupra memorato loco exhibet: τοὺς ἡμετέρους πολλούς τε ὄντας καὶ ἀγνῶτας ὑμῖν, περισσὸν ὀνομαστὶ καταλέγειν. πλὴν ἴστε, ὅτι ἄνδρες καὶ γυναῖκες, καὶ νέοι καὶ γέροντες, καὶ κόραι καὶ πρεσβύτιδες, καὶ στρατιῶται καὶ ἰδιῶται, καὶ πᾶν γένος, καὶ πᾶσα ἡλικία, οἱ μὲν διὰ μαστίγων καὶ πυρὸς, οἱ δὲ διὰ σιδήρου τὴν ἀγῶνα νικήσαντες, τοὺς στεφάνους ἀπειλήφασι. *Noſtros ſuperfluum eſt nominatim recenſere, cum & plurimi ſint, & vobis ignoti.*

noti. Id tantum in universum scire vos convenit: viros & mulieres, juvenes & senes, puellas & anus, milites & paganos, ex omni denique hominum genere atque ætate; alios flagrorum verberibus, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse. & postea: Μέχρι νῦν οὐκ ἀνίησιν ὁ ἡγούμενος, τοὺς μὲν ἀναιρῶν ὠμῶς τ προσαγομένων, τοὺς δὲ βασάνοις καταξαίνων, τοὺς δὲ φυλακαῖς καὶ δεσμοῖς ἐκτήκων, προστάσσων τε μηδένα τούτοις προσπέραν, καὶ ἀνερευνῶν, μή τις φανείη. καὶ ὅμως ὁ Θεὸς τὴν προθυμίαν καὶ λιπαρείαν τ ἀδελφῶν ἀφθόνως παύει τοὺς πεπιεσμένους. *In hunc usque diem non cessat Præfectus noster, qui præsentiæ ipsius exhibentur, partim interficere crudelissime, partim tormentis dilaniare, partim squalore carceris & vinculis macerare; interdicens, ne quis ad eos accedat, & perscrutans, num quis forte videatur accedere. Verumtamen Deus ex alacritate & benignitate fratrum solatium assidue præstat afflictis.* Atq; hæc de Dionysio Alexandrino, ejusque exilio: unde tamen paulo post reversus est, & XII demum Gallieni anno placide in Domino obdormivit.

Cypriani exilium.

VII. Quæ autem in Ægypto Dionysius, eadem in Africa expertus est CYPRIANUS, Carthaginensis Episcopus. Nam & hunc ille persecutionis turbo in exilium egit; ut testantur Acta passionis ejus; ubi hæc leguntur: *Imperatore Valeriano quartum, & Gallieno tertium Consulibus, tertio Kalendarum Septembrium, Carthagine in secretario, Paternus Proconsul Cypriano Episcopo dixit: Sacratissimi Imperatores Valerianus & Gallienus literas ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos, qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas ceremonias recognoscere. Exquisivi ergo de nomine tuo. Quid*

mihi respondes? Cyprianus Episcopus dixit: Christianus sum & Episcopus. Nullos alios Deos novi nisi unum & verum Deum, qui fecit cœlum & terram, mare, & quæ in eis sunt omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus; hunc deprecamur diebus ac noctibus pro nobis, & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum Imperatorum. Paternus Proconsul dixit: In hac ergo voluntate perseveras? Cyprianus Episcopus respondit: Bona voluntas, quæ Deum novit, immutari non potest. Paternus Proconsul dixit: Poteris ergo, secundum præceptum Valeriani & Gallieni, exul ad urbem Curubitanam proficisci? Cyprianus Episcopus dixit: Proficiscor.— Tunc Paternus Proconsul jussit beatum Cyprianum Episcopum in exilium deportari.

Visio, qua futurum ei martyrium fuit significatum. Conf. supra cap. 5, 5.

III. Sic itaque Cyprianus relegatus est Curubin, quod est oppidum mari Libyco, peninsulæ in morem, circumdatum, haud procul a Pentapoli; locus apricus & amœnus, teste Pontio Diacono, qui Cyprianum spontaneus exul comitatus est Huc cum veniset vir sanctus, se, anno vertente, eo ipso die martyrii corona decoratum iri, quo primum illuc hospitio exceptus fuerat. Testatur id jam memoratus Pontius in opusculo de vita & actis Cypriani, his verbis: *Eo die, quo primum in exilii loco mansimus, (nam & me inter domesticos comites dignatio charitatis ejus delegerat exulem voluntarium; quod utinam & in passione licuisset) apparuit mihi, inquit* Cyprianus, *nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum hominis enormis. Qui cum me quasi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum Proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, adnotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam. Nihil*

hil enim de me solita interrogatione quaserat. Sed enim juvenis, qui a tergo stabat, admodum curiosus legit, quidquid fuerat adnotatum. Et quia id verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in literis tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa & complanata ad spathæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram. Rogare cœpi & petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula cœperat nescio quid adnotare. Sensi tamen de vultus serenitate, Judicis mentem quasi justa petitione commotam. Sed & ille juvenis, qui jam dudum de passionis indicio gestu potius quam sermone prodiderat, clandestino identidem nutu, concessam dilationem, quæ in crastinum petebatur, contortis post invicem (indicem, legunt alii) *digitis, significare properavit. Ego, quamvis non esset lecta sententia, etsi de gaudio dilationis accepta læto admodum corde gauderem, metu tamen interpretationis incertæ sic tremebam, ut reliquiæ formidinis cor exultans adhuc toto pavore pulsarent.* Hactenus Pontius. qui mox addit, *eo die post exactum annum coronatum esse* Cyprianum, *quo hoc illi ante annum fuerat ostensum.*

In exilio sub quid egerit, Cyprianum.

IX. Non fuisse autem in altero hoc suo exilio magis, quam in priori sub Decio, otiosum Cyprianum, testantur data hinc ad Martyres epistolæ, quibus ad mortem alacriter pro CHRISTO subeundam eos est hortatus: præsertim insignis illa ad Nemesianū & ceteros in metallo constitutos, quæ in editione Pameliana est LXXVII, & ita in-

incipit: *Gloria quidem vestra poscebat, beatissimi ac dilectissimi fratres, ut ad conspectum atque ad complexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum præfiniti loci termini coërcerent. Sed quomodo possum, repræsento me vobis, & ad vos, etiamsi corpore & gressu venire non datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens literis animum meum, quo in istis virtutibus & laudibus vestris lætus exulto; participem me computans vobis, etsi non passione corporis, consortio charitatis.*

x. Eodem pertinent Prudentii hæc, hymno περὶ στεφ. v, 35. seqq.

Valerianus, opum Princeps erat, atque Gallienus:
constituere simul pœnam capiti Deum fatenti.
Millia terrigenûm spurcissima jusserant sacrari.
Contrà animos populi Doctor Cyprianus incitabat;
ne quis ab egregia virtutis honore discreparet;
neu fidei pretium quis sumere degener timeret.
Esse levem cruciatum, si modo conferat futura,
quæ Deus ipse viris intermina fortibus spospondit.
Merce doloris emi spem luminis, & diem perennem:
Omne malum volucri cum tempore transvolare cursim.
Nil grave, quod peragi finis facit, & quiete donat.
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris,
Seq; caput gladio submittere, sanguinem dicare,
qui sociare animam CHRISTO *velit, ut comes sequatur.*

Martyrum in metallis constitutorũ conditio.

xi. Ut vero ad laudatum ante Cypriani epistolam revertamur, discimus inde, quæ Martyrum fuerit ad metalla damnatorum conditio: puta, quod fustibus cæsi sint, compedibusque vincti; quod ignominiose tonsi;

ſi; quod fame, fœtore, ſqualore vexati. Ipſa ejus verba dabimus. *Quod fuſtibus*, inquit, *cæſi prius graviter & afflicti, per ejusmodi pœnas initiaſtis confeſſionis veſtræ religioſa primordia, execranda nobis iſta res non eſt. Neque enim ad fuſtes Chriſtianorum corpus expavit, cujus eſt ſpes omnis in ligno. Sacramentum ſalutis ſuæ* CHRISTI *ſervus agnovit: redemptus ligno ad vitam æternam ligno provectus eſt ad coronam. Quid vero mirum, ſi vaſa aurea & argentea in metallum, id eſt, auri & argenti domicilium, dati eſtis, niſi quod nunc metallorum natura converſa eſt, locaque quæ aurum & argentum dare ante ſueverant, accipere cœperunt? Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt: quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus, & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula: nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non a fabro, ſed a Domino reſolvuntur! o pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad Paradiſum diriguntur! o pedes in ſeculo ad præſens ligati, ut ſint ſemper apud Dominum liberi! o pedes compedibus & transverſariis interim cunctabundi, ſed celeriter ad* CHRISTUM *glorioſo itinere curſuri! Quantum vult hic vel invida crudelitas vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat, cito a terris & pœnis iſtis ad cœlorum regna venietis. Non fovetur in metallis lectis & culcitris corpus. Sed refrigerio & ſolatio* CHRISTI *fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera. Sed pœna non eſt, cum* CHRISTO *jacere. Squalent ſine balneis membra ſitu &*

sorde de forma. Sed spiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus. At non in solo pane vivit homo; sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest. Sed qui CHRISTUM *induit, & vestitus, abundanter & cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit. Sed cum sit caput viri* CHRISTUS, *qualecumque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas, detestabilis & tetra Gentilibus, quali splendore pensabitur! Secularis hæc & brevis pœna quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum, secundum beati*
Phil. 3, 21. *Apostoli vocem, transformaverit Dominus corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis suæ!* Confirmanturque ista omnia ex Martyrum illorum epistola ad Cyprianum responsoria; ubi hæc, inter cetera, leguntur: *Ajunt tibi nobiscum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectissime, quod literis tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resolvisti, tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti, naribus etiam fragrantes flores imposuisti, & tetrum odorem fumi exclusisti.*

XII. Multa insuper alia (ut obiter id moneamus) pertulere qui ad metalla erant damnati. Notis videlicet & stigmate eos fuisse deturpatos, ex Svetonio constat. qui de Caligula, in vita ipsius cap. XXVII, *Multos*, inquit, *honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla condemnavit.* Idem liquet ex l. II Cod. Theodos. de Pœn. ubi ita Constantinus, ad Eumelium rescribens: *Si quis in ludum fuerit vel in metallum, pro criminum deprehensorum qualitate, damnatus, minime in ejus*

facie

facie scribatur; dum & in manibus & in suris possit pœna damnationis una scriptione comprehendi: quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, minime maculetur. Libertatem porro perdidisse eos, & omnia bona, cognoscimus ex l. IIX, fin. D. qui Testam. facere possunt, l. IIX, 4. & l. XXXVI, D. de Pœnis, l. XII; D. de jure Fisci, l. IV, C. de bonis Proscriptorum.

XIII. Sed ad Cyprianum redimus. Is ex eodem suo exilio epistolam scripsit ad Successum Episcopum, num. LXXXII. Quæ cum non pauca ad persecutionem hanc facientia contineat, tota a nobis heic legenda exhibebitur. Sic vero habet: *Ut non vobis in continenti scriberem, frater charissime, illa res fecit, quod universi Clerici sub ictu agonis constituti, recedere istinc omnino non poterant, parati omnes pro animi sui devotione ad divinam & cœlestem gloriam. Sciatis autem, eos venisse, quos ad urbem propter hoc miseram, ut, quomodocunque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur. Quæ autem sunt in vero, ita se habent. Rescripsisse Valerianum ad Senatum, ut Episcopi, & Presbyteri, & Diacones, in continenti animadvertantur, Senatores vero, & viri egregii, & Equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur; &, si ademtis facultatibus Christiani esse perseverarint, capite quoque multentur; Matronæ ademptis bonis in exsilium relegentur; Cæsariani, quicunque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, & vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur. Subiecit etiam Valerianus Imperator orationi suæ exemplum literarum, quas ad Præsides* pro-

Cypriani ad Successum de persecutione Valeriani epistola.

provinciarum de nobis fecit. Quas literas quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, & spectantes de ope & indulgentia Domini vitæ æternæ coronam. Xistum autem in cœmiterio animadversum sciatis, octavo iduum Augustarum die, & cum eodem Quartum. Sed & huic persecutioni quotidie insistunt Præfecti in urbe, ut, si qui oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum fisco vindicentur. Hæc peto per vos & Collegis nostris innotescant, ut ubique hortatu eorum possit fraternitas corroborari, & ad agonem spiritalem præparari: ut singuli ex nostris non magis mortem cogitent, quam immortalitatem; & plena fide ac tota virtute Domino dicata gaudeant magis quam timeant in hac confessione: in qua sciunt Dei & Christi milites, non perimi, sed coronari. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

Xistus & Quartus martyres.

Cyprianus ad martyriũ se componit.

XIV. Ita Cyprianus. Qui, postquam illum de rescripto Imperatorio & Xisti martyrio nuncium accepisset, ad fidei ἀγῶνα, quem jamjam instare animadvertebat, subinde magis magisque se composuit. Sic enim in vita ejus scribit Pontius: *Jam de Xisto, bono ac pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab urbe nuncius venerat. Sperabatur jam jamque Carnifex veniens, qui devota sanctissimæ victimæ colla percuteret: & sic erant omnes dies illi quotidiana expectatio moriendi, ut corona singulis posset adscribi. Conveniebant interim plures egregii & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & seculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderent; &, ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, offerebant. Ille vero jam*

jam mundum, suspensa ad cœlum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod a plurimis & fidelibus petebatur, si & divino imperio juberetur. Sed nec illa sublimis tanti viri gloria sine præconio transeunda est, qua, jam seculo tumescente, & de fiducia Principum infestationem nominis Christiani *anhelante, ille servos Dei, prout dabatur occasio, exhortationibus Dominicis instituebat, & ad calcandas passiones hujus temporis contemplatione superventuræ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut, dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur.* Ita Pontius, horum omnium testis αὐτόπτης. Qui mox addit, dum in his esset vir sanctus, a Proconsule (erat is Galerius Maximus, Paterni, a quo Cyprianus in exilium fuerat actus, successor) ut Carthaginem reverteretur, inq; hortis suis manere jussum esse. *Processit ergo,* inquit, *jam certus expungi, quod diu fuerat retardatum: processit animo sublimi & erecto, hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem.* Contigit autem, dum illic moraretur, nuncium afferri, quod Cyprianus abducendus esset Uticam, ubi ageret Proconsul, ut ibidem capitis subiret supplicium. Quod cum ille accepisset, ex hortis tamdiu secessit, donec Proconsul Carthaginem rediret. Cujus secessus sui causam ipse reddit epistola LXXXIII, ad Clerum & plebem; quæ est ultima sancti martyris epistola, & ita habet: *Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus, & plebi universæ, salutem. Cum perlatum ad nos fuisset, fratres charissimi, Frumentarios esse missos, qui me Uticam perducerent, & consilio charissimorum persuasum esset, ut de hortis nostris*

interim secederemus, justa interveniente causa consensi, eo quod congruat, Episcopum in ea civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri, & plebem universam Præpositi præsentis confessione clarificari. Quodcunque enim sub illo confessionis momento Confessor Episcopus loquitur, aspirante Deo ore omnium loquitur. Ceterum mutilabitur honor Ecclesiæ nostræ tam gloriosæ, si ego Episcopus alterius Ecclesiæ præpositus, accepta apud Uticam super confessione sententia, exinde martyr ad Dominum proficiscar; quandoquidem ego & pro me & pro vobis apud vos confiteri, & ibi pati, & exinde ad Dominum proficisci, orationibus continuis deprecer, & votis omnibus exoptem & debeam. Exspectamus ergo hic in secessu abdito constituti adventum Proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores super Christianorum laicorum & Episcoporum nomine mandaverint, & dicturi, quod ad horam Dominus dici voluerit. Vos autem, fratres charissimi, pro disciplina, quam de mandatis Dominicis a me semper accepistis, & secundum quod me tractante sapissime didicistis; quietem & tranquillitatem tenete: ne quisquam vestrûm aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro se Gentilibus offerat. Apprehensus enim & traditus loqui debet; siquidem in nobis Dominus positus illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit quam profiteri. Quid autem de cetero nos observare conveniat, antequam in me super confessione nominis Dei Proconsul sententiam ferat, instruente Domino in commune disponemus. Incolumnes vos, fratres charissimi, Dominus noster in Ecclesia sua permanere faciat, & conservare dignetur.

XV. Ubi de Frumentariis, quorum in sua hac epistola Cyprianus statim sub initium meminit, monendum nonnihil existimamus. Pamelius in Annotationibus ad hanc epistolam suspicatur, Cyprianum Frumentarios lictores ipsos metaphora quadam appellasse, eo quod frumentariorum more frumenta Dominica in horreum Dominicum conderent. Casaubonus in Notis ad Scriptores Historiæ Augustæ p. m. 49. docet, ut Athenis, vetita ficuum exportatione, certi homines, jussi observare, qui legi non obtemperarent, cum per calumniam innocentes multos deferrent, συκοφάντας appellationem omnibus improbis delatoribus communem reliquerunt; sic in Romano imperio milites, qui ad perquirenda frumenta, aut eos observandos qui contra leges mercem ἀπόῤῥητον exportarent, cum latius evagantes omnium domuum secreta rimarentur, servato veteri nomine ministerium mutasse, factos Principum ἀταχτάς. Baronius ad ann. CCLXI, 20. conjectat, Frumentarium nomen inde natum, quod ad singulorum explorandum frumentum, quo rei annonariæ consultum foret, exercitui & reipublicæ inservirent, ut nimirum liberos accessus haberent ad singulorum civium domos, & alia quæcunque loca, eaque occasione ad singula quæque domestica exploranda honesta satis facilisque via ipsis pateret. Et sane fuisse sub Imperatoribus certi ordinis milites, singulis legionibus certo numero adscriptos, qui *Frumentariorum* nomen (quod antea tantum de frumentariis negotiatoribus aut mensoribus usurpabatur) gererent, non uno testimonio probari potest. Affertq; hanc in rem Baronius citato loco inscriptionem aliquam,

Frumentarii qui fuerint. Opinio Pamelii.

Casauboni.

Baronii.

Romæ

in ædibus Bufalorum, ad columnam Antonini, in arula marmorea extantem; quæ ſic habet: T. AURELIO. PIO. MIL. LEG. VI. VICTR. FRUMENTARIO. VIXIT. ANNIS. XLVII. MILITAV. ANN. XXV. AURELIUS VERECUNDUS H. B. M. F. Addit alteram: CLOD. MARIANO. FRUMENTARIO LEG. VII. GEM. LUCANUS LAURENTIUS FACIUNDUM CURAV. Plures lege apud Gruterum pag. CLXIX, 7. DXX, 8. DXLII, 9. & DLXV, 11. Fuiſſe horum militum, occulte omnia notare, & ad dominos ſuos deferre, hinc inde Hiſtorici innuunt. Sic Ælius Spartianus de Adriano Imperatore ſcribit, in vita ejus cap. XI, quod *per frumentarios occulta omnia explorarit.* Julius Capitolinus de Opilio Macrino, cap. XII, annotat, quod per quendam frumentarium didicerit, quosdam milites, quaſi ancillæ hoſpitis pudorem depravaſſent, ſuiſſe ſuſpectos. Trebellius Pollio in Claudio, cap. XVII, ait, nunciatum eſſe per frumentarios, Claudium iraſci, quod Gallienus mollius viveret. Ælius etiam Lampridius, quando in Alexandro Severo, cap. XXIII, *De omnibus*, inquit, *hominibus per fideles homines ſuos ſemper quaſivit, & per eos, quos nemo noſſet hoc agere;* frumentarios milites deſcribit, qui ἐν ἰδιοληπῷ χλαμύδι & occulto habitu omnia obſervabant. Sed videtur bonus Princeps, cum rem cogeretur retinere, appellationem *Frumentariorum*, ut inviſi bonis omnibus nominis, vitaſſe. quod tandem ſuſtulit Diocletianus; de quo Aurelius Victor narrat, quod *removerit peſtilens Frumentariorum genus; (quorum nunc*, inquit, *Agentes in rebus ſimillimi ſunt) qui cum ad explorandum annunciandumque, qui forte motus exiſterent, inſtituti viderentur, compoſitis nefarie crimina-*

natio-

nationibus, injecto passim metu, præcipue remotissimo cuique cuncta fœde diripiebant. Confer Hieronymum in Abdiam cap. I. qui tamen perperam credidit, eosdem fuisse frumentarios qui πυρφόροι, ut ostendit Salmasius ad Spartiani Hadrianum. Cujus sententia iidem fuere ac, ἀγγελιαφόροι, γραμματηφόροι, πτεροφόροι, & quos sequens ætas *Veredarios* vocavit; ac præterquam quod, ut cursus publici procuratores reique vehiculariæ præfecti, frumentum militare e provinciis in horrea mlitaria, vel etiam ex horreis in castra, deferendum curabant, & pecunias publicas exigebant, etiam reis persequendis, & exhibendis, ac in carcere compingendis, criminibusque nunciandis operam dabant. Vide plura apud ipsum. Atque hujusmodi frumentarius fuit, quem Sabinus, ut Dionysium Alexandrinum quæreret, miserat, teste ipso Dionysio epistola ad Germanum, cujus fragmentum exhibet Eusebius lib. VI, cap. XL. Ejusmodi etiam fuere, qui missi erant, ut Cyprianum Uticam perducerent. Adde Ammianum Marcellinum, qui graphice hoc hominum genus depingit initio primi libri eorum qui supersunt. *Salmasii.*

XVI. Ut autem, unde digressi sumus, revertamur, Proconsul porro in agrum Sexti, locum non procul Carthagine distantem, quo valetudinis causa se contulerat, Cyprianum adduci jussit. Ubi XIIX Kalend. Octobr. *Galerius Maximus Proconsul Cypriano Episcopo dixit: Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus Episcopus respondit: Ego sum. Galerius Maximus Proconsul dixit: Tu Papam te sacrilegæ mentis hominbus præbuisti? Cyprianus Episcopus respondit: Ego. Galerius Maximus Proconsul dixit:* *Cyprianus, post habitum cum Proconsule colloquium, sententia ejus damnatus, gladiogi truncatus.*

dixit: Jusserunt te sacratissimi Imperatores ceremoniari. Cyprianus Episcopus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Fac quod tibi præceptuum est. In re tam iusta nulla est consultatio. Galerius Maximus locutus cum consilio, sententiam vix agre dixit verbis hujusmodi: Diu sacrilega mente vixisti, & plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis & sacris legibus constituisti: nec te pii & sacratissimi Principes, Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam ceremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo, cum sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti: sanguine tuo sancietur disciplina. Et his dictis decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus Episcopus dixit: Deo gratias. Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat: Et nos cum ipso decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus est, & multa turba eum prosecuta est. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus est, & ibi se lacerno birro expoliavit, & genu in terram flexit, & in orationem se Domino prostravit. Et cum se dalmatica expoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere. Cum venisset autem spiculator, jussit suis, ut eidem spiculatori XXV aureos darent. Linteamina vero & manualia a fratribus ante eum mittebantur. Postea vero Beatus Cyprianus manu sua oculos sibi texit. Qui cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus Presbyter & Julianus Subdiaconus ei ligaverunt. Et ita Beatus Cyprianus passus est.

Sic

Sic Acta passionis Cypriani a Pamelio recognita & emendata. cum quibus confer opusculum, quod de vita ipsius scripsit Pontius, Gregorii Nazianzeni orationem XLIX, in laudem S. Cypriani, Prudentii hymnum περὶ στεφ. V, Augustini sermones quatuor de eodem Cypriano, & enarrat. in Ps. XXXVI, conc. III. ubi ait: *Si dixit sententiam Proconsul in Cyprianum, alia est sella terrena, aliud tribunal cœlorum. Ab inferiore accipit sententiam, a superiore coronam.*

Cum Cypriano passi ejus discipuli, Lucius, Montanus, Flavianus, Julianus, Victorinus.

XVII. Præter Cyprianum alii etiam Ecclesiæ ministri, iique Cypriani discipuli, Carthagine eo tempore ad supplicium rapti sunt; Lucius puta, MONTANUS, FLAVIANUS, JULIANUS, & VICTORINUS. De quorum martyriis epistola, quam ex carcere scripserunt, nec non Acta passionis, (extant apud Baronium ad ann. CCLXII, 5. seqq.) nos erudiunt. In epistola ergo, quam, ex antiquioribus scriptis codicibus se eruisse, & cum ea, quæ edita erat, contulisse ait Baronius, sic inter alia loquuntur sancti Confessores: *Apprehensis nobis, & apud Regionantes in custodia constitutis, sententiam Præsidis* (Solonis, Procuratoris fisci, qui Galerii Maximi, Proconsulis defuncti, partes gerebat) *milites nunciabant, quod die hesterno ardentem nobis interitum minaretur. Nam (ut postea quoque verissime cognovimus) exurere nos vivos cogitavit. Sed Dominus, qui solus de incendio servos suos potest liberare, in cujus manu sermones & corda sunt Regis, furentem a nobis Præsidis sævitiam avertit; & incumbentes precibus assiduis tota fide, statim, quod petivimus, accepimus, accensusque in exitium nostra carnis ignis exstinctus est, & flamma caminorum ardentium Dominico rore sopita est.*

Nec difficile credentibus fuit, nova posse ad vetera exem-
Dan. 3, 22. *pla contingere, Domino in spiritu pollicente; quia, qui glo-*
riam istam operatus est in tribus pueris, vincebat & in nobis.
Tunc a proposito suo, Domino volente, confractus, mitti
nos in carcerem jussit. Quo deducti, non expavimus fœ-
dam illam loci caliginem: moxque carcer tenebrosus, spi-
ritu prælucente, resplenduit, & contra obscuritatis defor-
mia, & cœca nocte contecta, instar diei, fidei devotio can-
dida luce vestivit. Et sic ad summum descendebamus lo-
cum pœnarum, quasi ascenderemus in cœlum. Quales il-
lic dies duxerimus, quales transegerimus noctes, exponi
nullis sermonibus possunt, nec tormenta carceris ulla affir-
matione capiuntur. Sed veremur atrocitatem loci, ut
est, dicere. Hæc illi. qui deinde addunt, Diabolum fa-
me & siti postmodum eos tentare molitum esse, & hoc suum prælium multis diebus fortissime gessisse. Confirmant idem Acta martyrii, narrantque amplius, Martyres supra dictos, cum per aliquot menses ita carcere fatigati, & fame ac siti excruciati fuissent, tandem ad supplicium ductos esse, Flaviano excepto: qui, quod uxor ejus, vitæ ipsius metuens, Diaconum esse negaret, invitus in carcerem retractus sit.

Montani martyris jamjam passuri factum memorabile.

XIIX. Ubi perquam memorabile est quod de Montano Acta referunt. Is nimirum, *cum jam carnifex im-*
mineret, & gladius super cervices ejus, libramento nu-
tante, penderet, expansis manibus ad Deum, voce clara,
ita ut non tantum ad totius sanctæ plebis aures, sed ad
Gentiles quoque ipsos sonus vocis evaderet, oravit, rogans
& deprecans, ut Flavianus, qui per suffragium populi de
comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertio. Et quo

pre-

precis suæ fidem faceret, manualem, quo oculos fuerat ligaturus, in partes duas discidit, & jussit alteram reservari, qua Flaviano oculi post crastinum ligarentur. Sed & in medio eorum, in area solum servari jussit, ut nec sepulturæ consortio separaretur. Nec aliter factum. Nam tertia die rursum productus est Flavianus, cumque denuo CHRISTUM confessus, Diaconum se esse, constanter asseverasset, de veritate item religionis Christianæ egregie disseruisset, *ad locum victimæ descendit, & ligatis oculis ea vittæ parte, quam Montanus servare ante biduum jusserat, fixis tamquam ad preces genibus passionem suam cum oratione perfecit.*

XIX. Amplius hac persecutione furente; & quidem, ut Prudentius hymno V narrat, una cum Cypriano, Carthagine passi sunt trecenti illi martyres, *qui inter alia supplicia, cum Præses fornacem calcariam accendi jussisset, & in præsentia ejus prunas eum thure exhiberi, atq; illis dixisset: eligite e duobus unum; aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini; fide armati CHRISTUM Dei Filium confitentes, ictu rapidissimo se injecerunt in ignem, & inter vapores calcis in pulverem sunt redacti: ex quo candidatus ille beatorum exercitus Massa Candida meruit appellari*; ut habent verba Martyrologii Romani, ad diem XXIV Augusti. De eadem *massa candida* ita canit Prudentius, hymno ante laudato, vers. 76. seqq. *Massa candida.*

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam
calce vaporifera summos prope margines refertam.
Saxa recocta vomunt ignem, niveusq; pulvis ardet,
urere tacta potens, & mortifer ex odore flatus.

Appositam memorant aram fovea stetisse summa,
lege sub hac: salis aut micam, jecor & suis litarent
Christicolæ, aut mediæ sponte irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti:
gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
præcipitemque globum fundotenus implicavit imo.
Corpora candor habet; candor vehit ad superna mentes.
Candida Massa debinc dici meruit per omne seclum.

Confer Augustini serm. CXII & CXV de diversis, homiliam XVII de diversis, Tom. I Supplem. operum Augustini ab Hier. Vignier editi, & enarr. in Ps. XLIX.

Laurentii martyrium, de quo testim. Ambrosii.

XX. Nobilem quoque athletam hac tempestate egit celebris ille LAURENTIUS, Xisti, sive Sixti, Episcopi Romani, (cujus supra num. XIII fiebat mentio,) Diaconus. Qui *post plurima tormenta carceris, verberum diversorum, scorpionum, fustium, plumbatarum, & laminarum ardentium, ad ultimum in craticula ferrea assatus, martyrium complevit*; ut habet Martyrologium Romanum ad diem X Augusti. Quæ plenius persequens Ambrosius lib. I Offic. cap. XLI, ubi plurima eorum, qui constanter adversa pertulerant, exempla recensuisset; *Non pratereamus*, inquit, *sanctum Laurentium. Qui, cum videret, Sixtum, Episcopum suum, ad martyrium duci, flere cæpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cæpit: Quo progredieris sine filio, pater? quo, Sacerdos sancte, sine Diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecratio-*

cationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide, ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli detrimentum est magistri. Quid, quod illustres & praestantes viri discipulorum certaminibus magis quam suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit; Petrus Stephanum praemisit. Et tu, pater, ostende in filio virtutem tuam; offer quem erudisti, ut securus judicii comitatu nobili pervenias ad coronam. Tunc Sixtus, pergit Ambrosius: *Non ego te, fili, relinquo ac desero; sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus: te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies: flere desiste. Post triduum me sequeris. Inter Sacerdotem & Levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum, sub magistro vincere, quasi adjutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hereditatem ejus dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur. Vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. Sic & Helias Helisæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem. Talis erat contentio,* subdit Ambrosius, *digna sane, de qua certarent Sacerdos & Minister, quis prior pateretur pro* CHRISTI *nomine. In fabulis ferunt tragicis, excitatos theatri magnos esse plausus, cum se Pylades Orestem diceret, Orestes, ut erat, Orestem se esse asseveraret: ille ut pro Oreste necaretur; Orestes, ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat vivere, quod uterque esset parricidii reus: alter qui fecisset; alter qui adjuvisset. Hic Laurentium sanctum ad hoc nullus urgebat nisi amor devotionis.* Con-

fer

fer quæ habet idem enarr. in Ps. civ, & de Officiis lib. I, cap. xli.

Augustini. Joh. 6, 56 Matth. 24, 13.

xxi. Audiamus etiam Augustinum. Is sub finem Tract. xxvii in Johannem, hac de re ita scribit: *Quid est, quod ait* Christus: *Qui manet in me, & ego in illo? quid, nisi quod Martyres audiebant: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit? Quomodo mansit in illo sanctus Laurentius, cujus hodie festum diem celebramus? Mansit usque ad tentationem; mansit usque ad tyrannicam interrogationem; mansit usque ad acerrimam comminationem; mansit usque ad peremptionem. Parum est: usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quæ bene manducaverat & bene biberat, tamquam illa esca saginatus, & illo calice ebrius, tormenta non sensit. Ibi enim erat qui dixit: Spiritus est qui vivificat. Caro enim ardebat; sed spiritus animam vegetabat. Non cessit, & in regnum successit. Dixerat autem illi Xystus, martyr sanctus, cujus diem quinto ab hinc retro die celebravimus: Noli mærere, fili. Episcopus enim erat ille; iste Diaconus. Noli mærere, inquit; sequeris me post triduum. Triduum autem dixit medium inter diem passionis sancti Xysti, & diem hodiernæ passionis sancti Laurentii. Triduum est medium. O consolatio! Non ait: Noli mærere, fili; desinet persecutio, & securus eris; sed: noli mærere; quo ego præcedo, tu sequeris, nec consecutio tua differtur. Triduum medium erit, & mecum eris. Accepit oraculum, vicit Zabulum, pervenit ad triumphum.* Confer serm. xxx, seqq. de Sanctis.

Joh. 6, 63.

xxii. Ge-

XXII. Gemina habet Prudentius in hymno de passione Laurentii. Et Xistum quidem sic ibi loquentem introducit, vers. 25. Prudentius.

Desiste discessu meo
fletum dolenter fundere.
Praecedo, frater: tu quoque
post hoc sequeris triduum.

additque vers. 29.

Extrema vox Episcopi,
pronunciatrix gloriae,
nihil fefellit. Nam dies
praedicta palmam praestitit.

Deinde causam subjungit, quamobrem Praefectus Laurentii martyrium in triduum distulerit. Nimirum, cum ille primarius inter Diaconos esset, & thesauros Ecclesiae custodiret, pauperibusque erogaret, Praefectus magnam pecuniae vim se ante ab eo extorsurum sperabat, indeque Laurentio, ut thesauros illos annotaret, tridui spacium dederat. Cum autem is interea ex tota urbe pauperes, qui ab Ecclesia alebantur, congregasset, eosque ordine dispositos Praefecto, auro argentoq; inhianti, ostentasset, has esse Ecclesiae opes dictitans; ille, in rabiem versus, Laurentium craticulae impositum lento igne assavit. Quae omnia fuse versibus elegantissimis Poëta persequitur, qui apud ipsum legi possunt.

XXIII. Sed & Leo Magnus, sermone in nativit. S. Laurentii, hanc in rem ita scribit: *Cum furor Gentilium potestatum in electissima quaque* CHRISTI *membra saeviret, ac precipue eos, qui ordinis erant Sacerdotalis, impeteret, in Levitam Laurentium, qui non solum ministe-* Leonis M.

erio Sacramentorum, sed & dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit; duplicem sibi prædam de unius viri comprehensione promittens. quem si feciſſet sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam sacræ religionis exsortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: avaritia, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat CHRISTUM. *Postulat sibi ab immaculato sacrarii Præsule opes ecclesiasticas, quibus avidiſſimus inhiabat, inferri. Cui Levita castiſſimus, ubi eas repositas haberet, ostendens, numerosiſsimos sanctorum pauperum obtulit greges; in quorum victu atq; vestitu inamisſibiles condiderat facultates; quæ tanto integrius erant salvæ, quanto sanctius probabantur expensæ. Fremit ergo prædo frustratus, & in odium religionis, quæ talem divitiarum usum instituiſſet, ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, ut, apud quem nullam denariorum substantiam reperiſſet, illud depositum ei, quo sacratius erat dives, auferret. Renunciare* CHRISTO *Laurentium jubet, & solidiſsimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere suppliciis. Quorum ubi minora nil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, & multa verberum sectione conciſos, subjecto præcipit igne torreri; ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo ex se vim haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.*

Passionis Laurentianæ acerbitas

XXIV. Scite & hæc expreſſit Prudentius. Ac minas quidem S. Laurentio intentantem iratum Judicem ita loquentem ſtitit, verſ. 29.

Dicis

Dicis: libenter oppetam.
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
præstetur ut mortis citæ
compendiosus exitus:
perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
pœnis morarum jugibus;
& mors inextricabilis
longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
ne fervor ignitus nimis
os contumacis occupet,
& cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
qui fusus afflatu levi
tormenta sensim temperet
semustulati corporis.

Quàm fortissimo animo sanctus Martyr tulerit.

XXV. Quanta autem constantia, quamquè invicto animi robore incredibiles illos cruciatus beatus Martyr pertulerit, sic ut etiam in ipsa craticula tyranno illuderet; id porro ita describit Poëta, vers. 397.

Postquam vapor diutinus
decoxit exustum latus,
ultro e catasta Judicem
compellat affatu brevi:
Converte partem corporis
satis crematam jugiter,

& fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est; devora,
& experimentum cape,
sit crudum an assum suavius.

Laurentii ἀφελείαι sub Juliano imitati sunt Macedonius, Theodulus, & Tatianus.

XXVI. Ubi ὡς ἐν παιδιᾷ notamus, simile quid sub Juliano contigisse Apostata, quando Macedonius, Theodulus, ac Tatianus, Diis sacrificare nolentes, omni tormentorũ genere ab Amachio, Phrygiæ Præside, excruciati, craticulæque tandem impositi, & ipsi plusquam generosum hoc fortitudinis ediderunt specimen, ut ita Præsidem allocuti sint: *εἰ ἐπιθύμησας ὀπτῶν, ὦ Ἀμάχιε, κρεῶν ἀπογεύσασθαι, στρέψον ἡμᾶς καὶ εἰς τὰς ἑτέρας πλευράς, ἵνα μὴ εἰς τὴν γεῦσιν ἡμίοπτοι φανῶμεν. Si cupis, Amachi, carnes assas degustare, verte nos in alterum latus, ne forte gustui tuo semiassati videamur.* Lege Socratem Histor. Eccl. lib. III, cap. XV, ac Sozomenum lib. V, cap. XI. Et tantum de S. Laurentio. *Cujus assatura suaviter in Christi fragrat Ecclesia;* dicente Ruperto Tuitiensi, lib. IIX Divin. Offic. cap. X.

Fructuosus, Augurius, & Eulogius martyres Hispani.

XXVII. Hispaniam porro hoc tempore martyrio illustrarunt Fructuosus, Episcopus Tarraconensis, ejusdemque ecclesiæ Diaconi, Augurius & Eulogius. *Qui primo in carcerem trusi, deinde flammis injecti, exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis, orantes martyrium compleverunt;* uti habet Martyrologium Romanum ad diem XXI Januarii. Acta eorum exhibet Baronius ad ann. CCLXII, 60. seqq. ubi ita legimus: *Æmilianus* (Hispaniarum Præfectus) *dixit: Fructuosum Episco-*

piscopum, Augurium, & Evlogium, meis conspectibus præsentate. Ex officio dictum est: Adstant. Æmilianus Fructuoso Episcopo dixit: Audisti quid Imperatores præceperunt? Fructuosus Episcopus dixit: Nescio quid præceperunt. Ego Christianus sum. Æmilianus dixit: Præceperunt Deos coli. Fructuosus Episcopus dixit: Ego unum Deum colo, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Æmilianus dixit: Scis esse Deos? Fructuosus Episcopus dixit: Nescio. Æmilianus dixit: Scies postea. Fructuosus Episcopus respexit ad Dominum, & orare cœpit intra se. Æmilianus dixit: Qui audiuntur, qui timentur, qui adorantur, si Dii non coluntur, nec Imperatorum vultus adorantur? Æmilianus Augurio Diacono dixit: Noli verba Fructuosi imitari. Augurius Diaconus dixit: Ego Deum omnipotentem colo. Æmilianus Evlogio Diacono dixit: Numquid & tu Fructuosum colis? Evlogius Diaconus dixit: Ego Fructuosum non colo; sed ipsum colo quem & Fructuosus. Æmilianus Fructuoso Episcopo dixit: Episcopus es? Fructuosus Episcopus dixit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti. Et jussit eos vivos ardere.

XXIIX. Cum itaque ducerentur, & multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum, uti permixtum poculum sumerent, Fructuosus bibere renuit, nondum horam solvendi jejunii esse dictitans. *Agebatur enim*, ajunt Acta, *hora diei quarta; siquidem in carcere quarta feria stationem solenniter celebraverunt. Igitur sexta feria latus atque securus festinabat, uti cum Martyribus & Prophetis in Paradiso, quem Dominus præparavit amantibus se, persolveret stationem.* Prudentius hoc ita exprimit, hymno περὶ στεφ. x, 51.

Fructuosus jam passurus, jejunium solvere recusat.

Quosdam de populo videt Sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes.
Jejunamus, ait; recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora.
Nunquam conviolabo jus dicatum,
nec mors ipsa meum sacrum resolvet.

Jejunium quarta & sexta feria.

XXIX. Quæ ut rectius intelligantur, sciendum, consueviſſe veteres Chriſtianos quarta & ſexta feria ſingulis hebdomadibus jejunia, ſive *ſtationes*, quibus orabant & jejunabant, inſtituere. Clare id docet Tertullianus, dum lib. de Jejuniis adverſus Pſychicos cap. XIV, *Si omnem*, inquit, *in totum devotionem temporum, & dierum, & menſium, & annorum, eraſit Apoſtolus, — cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus?* Et Origenes homil. x in Leviticum ait: *Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter jejunamus.* Clemens item Alexandrinus Stromat. lib. VII ſcribit: οἶδεν αὐτὸς (ὁ γνωστικὸς) καὶ τ νηστείας τῶ αἰνίγματα τ ἡμερῶν λέγων τ τετράδ καὶ τ παρασκευῆς λέγω. ἀπὸ Φημίζονται γὰρ, ἡ μὲν ἑρμῆ, ἡ δὲ ἀφροδίτης. *Novit ipſe* (fidelis) *jejunii quoque ænigmata horum dierum; quarti, inquam, & ſexti. Dicitur autem, ille quidem Mercurii, hic vero Veneris.* Ubi ænigmata appellat cauſam, & latentem rationem, ſive myſterium, cujus intuitu præ ceteris diebus hebdomadæ Eccleſia dictos dies jejuniis deſtinavit. Cauſam iſtam ſubindicat Auguſtinus epiſt. LXXXVI, ad Caſulanum; ubi ſub finem fere hunc in modum diſſerit: *Cur quarta & ſexta maxime jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quod, conſiderato Evangelio, ipſa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi: intermiſſo*

missio autem uno die, cuius vespera Dominus pascha cum discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat. Fuisse autem ista jejunia ad nonam utq; horam producta, constat tum aliunde, tum ex supra laudato Tertulliani adversus Psychicos libro, cap. x.

xxx. Sed ad Fructuosum revertamur. Is *cum ad amphitheatrum perveniisset*, ut pergunt Acta narrare, *statim ad eum accessit Augustalis nomine, lector ejusdem, flens, & deprecans, ut eum discalcearet.* Cui beatus martyr respondit: *Missum fac, fili; ego me discalceo fortis & gaudens, & certus de Dominica promissione.* Qui cum se discalceasset, accessit ad eum commilito, *frater noster*, nomine Felix, & apprehendit dexteram ejus, rogans ut sui meminisset. Cui Fructuosus Episcopus, cunctis audientibus, clara voce respondit: *In mente me habere necesse est Ecclesiam Catholicam ab oriente usque in occidentem. Igitur in porta amphitheatri constitutus, cum jam prope esset ut ingrederetur ad coronam immarcescibilem potius, quam ad pœnam, observantibus licet ex officio beneficiariis* (exploratoribus) *ita ut ipsi audirent fratres nostri, monente pariter ac loquente Spiritus sancto, Fructuosus martyr ait: Non deërit vobis Pastor, nec deficere poteris charitas & repromissio Domini, tam hic, quam in futurum. Hoc enim quod videtis, unius horæ videtur infirmitas. Consolatus igitur fraternitatem, ingressus est ad salutem.*

Quam præsenti animo mortem oppetierit Fructuosus.

Vide supra cap. 5, n. 20.

xxxi. Quibusdam interjectis eadem Acta subdunt: *Hic solita Domini non defuere magnalia; apertum q; est cælum; videntibus Babylonio & Mygdonio fratribus.*

Martyres in cælum ascendere visi.

Ex

Ex familia autem Æmiliani Præsidis (nonnemo) *filia ejus, domina sua carnali, ostendebat Fructuosum Episcopum cum Diaconibus*, (ita nempe legendum, res ipsa suadet, confirmantque verba, quæ mox dabimus, Prudentii; licet aliter apud Baronium habeatur) *adhuc stipitibus, quibus ligati fuerant, permanentibus, in cœlum ascendentes coronatos. Cumque Æmilianum vocarent, dicentes: Veni & vide, quos hodie damnasti, quemadmodum cœlo & spei suæ restituti sunt; Æmilianus veniens, videre eos non fuit dignus.* Prudentius ita, vers. 121.

Vidit Præsidis ex domo satelles
cœlum martyribus patere apertum,
insignesque viros per astra ferri.
Quin & filiolæ monens herili
ostendit sceleris notam paterni,
cœlo vivere, quos forum peremit.
Hac tum virginitas palam videre
per sudum meruit, patente cœlo,
ut crimen Domini domus timeret.

Fidem post obitum apparuerunt,

XXXII. Tandem Acta, *Fidei*, inquiunt, *& agonis memores gaudentesque* fratres, *superveniente nocte, ad amphitheatrum cum vino festinarunt, ut semiusta corpora extinguerent. Quo facto, cineres eorum collecti sunt, & prout quisque potuit, sibi vendicavit. Sed nec in hoc Domini & Salvatoris nostri defuere magnalia, ut credentibus fides augeretur, & parvulis ostenderetur exemplum. Oportebat enim Fructuosum martyrem, quod per misericordiam Dei docendo præmiserat in Domino & Salvatore nostro, in sua postea passione & resurrectione carnis comprobare. Igitur post passionem apparuit fratribus, & monuit, ut,*

quod unusquisque per charitatem de cineribus usurpaverat, restituerent sine mora, unoque in loco simul condendos curarent. Æmiliano etiam, qui eos damnaverat, Fructuosus pariter cum Diaconibus suis ostendit se in stolis repromissionis, increpans pariter & insultans, nihil illi profuisse, quod frustra exustos corpore in terram crederet redactum iri, quos cerneret glorioſos. Hæc Acta. Quæ ligato sermone hunc in modum Prudentius narrat, vers. 130.

Tum de corporibus sacris favillæ
& perfusa mero leguntur ossa:
quæ raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
sanctorum cinerum dicata dona,
aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne relliquias resuscitandas,
& mox cum Domino simul futuras
discretis loca dividant sepulchris,
cernuntur niveis stolis amicti;
mandant restitui, cavoque claudi
mixtim marmore pulverem sacrandum.

XXXIII. Coronidis loco subjiciemus, quæ ex iisdem Actis Augustinus laudat serm. 91 de diversis. Verba sic habent: *Audistis persequentium interrogationes; audistis confitentium responsiones, cum Sanctorum passio legeretur. Inter cetera, quale erat illud B. Fructuosi Episcopi? cum ei diceret quidam, & peteret, ut eum in mente haberet, & oraret pro illo, respondit: Me orare necesse est pro Ecclesiæ Catholicæ, ab oriente usque ad occidentem diffusæ. Quis enim orat pro singulis? Sed neminem sin-* *Augustini ex Actis Fructuosi allegata.*

singulorum præterit, qui orat pro universis. Abeo nullum membrum prætermittitur, cujus oratio pro toto corpore funditur. & paulo post: *Quale est illud sancti Diaconi, qui cum Episcopo suo passus & coronatus est? Ait illi Judex: Numquid & tu Fructuosum colis? & ille: Ego non colo Fructuosum; sed eum colo quem colit & Fructuosus.*

Priscus, Malchus, & Alexander, martyres Cæsareenses.

XXXIV. Longum foret, omnes, quorum præterea in Actis & Martyrologiis habetur mentio, sub Valeriano passos heic recensere. Sufficiat, quæ de Cæsariensi persecutione Eusebius, libro VII, cap. XII, memorat, superioribus adjicere. Priscus videlicet, Malchus, & Alexander, in agro degentes, ubi seipsos insimulassent initio tamquam ignavos & desides, quod, cum occasio ipsa cœlesti amore flagrantibus præmia distribueret, illi cessarent, nec martyrii coronam præriperent; inito deinde consilio Cæsaream Palæstinæ profecti, Judicem adorti, hujusque sententia ad bestias sunt damnati.

Valeriani persecutoris pœna.

XXXV. Atque hæc de persecutione sub Valeriano. Qui justas tandem debitasque impietatis suæ pœnas dedit; dum, *in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore, Persarum Rege, superatus, mox etiam captus, apud Persas ignobili servitute consenuit. Nam, quamdiu vixit, Rex ejusdem provinciæ, incurvato eo pedem cervicibus eius imponens, equum conscendere solitus erat*, (ad eundem nempe modum, quo Turcarum Regem Bajazethem a Tamerlane Scytha, qui & ipse Persarum Rex fuit, exagitatum novimus,) quemadmodum Aurelius Victor scribit. Constantinus M. excoriatum præterea esse miserum Imperato-

peratorem, in oratione ad Sanctorum cœtum, cap. XXIV, teſtatur; Σύγε Ὀυαλεριανὲ, inquiens, τ μιαιφονίαν ἐνδειξάμενος τοῖς ὑπηκόοις θ θεθ τ ὁσίων κρίσιν ἐξέφηνας, ἁλὼς αἰχμάλωτός τε καὶ δέσμ ἀχθεὶς σὺν αὐτῇ πορφυρίδι καὶ τῷ λοιπῷ βασιλικῷ κόσμῳ· τέλος δὲ ὑπὸ Σαπώρᾳ, Περσῶν βασιλέως, ἐκδηρῆναι κελευσθεὶς καὶ ταριχευθεὶς, τρόπαιον τ σαυτ δυσυχίας ἔσησας αἰώνιον. *Tu Valeriane, cum crudelitatem in famulos Dei declaraſſes, juſtum Dei judicium omnium oculis ſubjeciſti; captus ab hoſtibus, & in vinculis circumductus cum chlamyde purpurea & reliquo Imperiali cultu; tandem vero a Sapore, Perſarum Rege, detracta tibi cute condiri juſſus, ſempiternum calamitatis tuæ tropæum ſpectandum præbuiſti.* Sed & Lactantius, de Mortibus Perſecutorum cap. V, *Illum*, ait, *Deus novo ac ſingulari pœnæ genere adfecit, ut eſſet poſteris documentum, adverſarios Dei ſæpe dignam ſcelere ſuo recipere mercedem. Hic captus a Perſis, non modo imperium, quo fuerat inſolenter uſus, ſed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in ſervitute turpiſſime. Nam Rex Perſarum Sapores, qui eum ceperat, ſi quando libuerit aut vehiculum aſcendere aut equum, inclinare ſibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & impoſito pede ſuper dorſum ejus, illud eſſe verum dicebat, exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent.* Nempe pingebant hi in parietibus & tabulis Imperatores ſuos calcantes hoſtium Regumque devictorum cervices & terga. Significare voluit ergo Sapores, falſas & imaginarias eſſe Romanorum picturas; illud autem verum eſſe, quod calcabat terga Imperatoris. Sed pergat Lactantius. *Poſtea*, ſcribit quibusdam interjectis, *quam*

Vide Columbi Notas ad h. l.

Pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis, & exuta visceribus pellis, infecta rubro colore, ut in templo barbarorum Deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, Legatisque nostris semper esset ostentui, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum exuvias capti Principis apud Deos suos cernerent.

Gallienus pro Christianorum tranquillitate edicta & constitutiones publicat.

XXXVI. Successit Valeriano filius Gallienus. De quo Eusebius lib. VII, cap. XIII. testatur, quod, patre moderatius se gerens, missis edictis persecutionem adversus nostros commotam sedaverit, utque religionis Christianæ Antistites secure deinceps munus suum obirent, hujusmodi rescripto præcepisse: Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Πούπλιος Λικίνιος Γαλλιηνὸς, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, σεβαστὸς, Διονυσίῳ, καὶ Πίννᾳ, καὶ Δημητρίῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς Ἐπισκόποις. Τὴν εὐεργεσίαν τῆς ἐμῆς δωρεᾶς διὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἐκβιβασθῆναι προσέταξα, ὅπως ἀπὸ τόπων τῶν θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς τῆς αἰτιγραφῆς τῆς ἐμῆς τῷ τύπῳ χρῆσθαι δύνασθε, ὥστε μηδένα ὑμῖν ἐνοχλεῖν. καὶ τοῦτο ὅπερ κατὰ τὸ ἐξὸν δύναται ὑφ' ὑμῶν ἀναπληροῦσθαι, ἤδη πρὸ πολλοῦ ὑπ' ἐμοῦ συγκεχώρηται, καὶ διὰ τοῦτο Αὐρήλιος Κυρήνιος, ὁ τοῦ μεγίστου πράγματος προστατεύων, τὸν τύπον τὸν ὑπ' ἐμοῦ δοθέντα διαφυλάξαι. *Imperator Cæsar P. Licinius Gallienus, Pius, Felix, Augustus; Dionysio, Pinnæ, Demetrio, & reliquis Episcopis. Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi præcepimus, ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca & vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id quod vobis exequi licet, jam dudum a me concessum est. Proinde Aurelius Cyrenius, Procurator summæ rei, dati a nobis rescripti formam sequetur.* Subjungit Eusebius, extare

extare & aliam hujus Imperatoris constitutionem ad Episcopos alios, qua, ut Cœmeteriorum suorum loca recuperarent, iis permiserit.

In Cœmeteriis convenire Christianis prohibitum persecutionis tempore.

xxxvii. Nempe apud antiquos Christianæ fidei cultores non cadaveribus dumtaxat inferendis recondendisque, sed sacris etiam peragendis Cœmeteria destinata erant. Indeque fiebat, ut Imperatores Ethnici, quando persecutiones adversus Ecclesiam meditabantur, primum ex *areis sepulturarum* (ita vocat libro adversus Scapulam cap. iii Tertullianus) Christianos arcendos curarent; ne ulla videlicet in unum coeundi & sacris operandi iis facultas suppeteret. Quo spectat illa Gentilium acclamatio, apud Tertullianum dicto loco: *Areæ non sint!* hoc est: Cœmeteria claudantur, destruantur. Sic in Actis passionis S. Cypriani, a Pontio descriptis, Proconsul ita locutus introducitur: *Jussum est, ut nulla conciliabula faciant* Christiani, *neque Cœmeteria ingrediantur. Quod qui facere comprehensus fuerit, capite plectatur.* Similiter edicto Valeriani, cujus supra fiebat mentio, cœmeteria adire prohibitum. Quæ deinde Gallienus, ubi, miserrima patris clade perterritus, motam ab illo persecutionem inhiberet, Christianis restituit. Tametsi rursus eorum postea usum interdixit Maximinus; ceu constat ex Eusebio lib. ix, cap. ii. At plura huc facientia qui desiderat, Pauli Aringhi Romam subterraneam adeat lib. i, cap. ii, 14. seqq. ac Davidis Blondelli Apologiam pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris, sect. iii, pag. 243. seqq.

num. 2.

Marini sub Gallieno martyrium.

xxxiix. Quamvis autem tranquillæ essent Christianorum res sub Gallieno, & pax cunctis ubique Ecclesiis reddi-

reddita, Marinus tamen, vir militari dignitate conspicuus, genere illustris, & opulentus, ob Christi confessionem capite tunc Cæsareæ Palestinæ truncatus est: idque hac occasione. Honoris gradus quidam apud Romanos militaris est, Vitis dictus, quem qui adepti sunt, Centuriones audiunt. Is locus ubi vacaret, Marinum ad dignitatem illam ascendendi ordo tangebat. Verum cum honore isto jamjam potiturus esset, quidam, ad tribunal accedens, accusare eum cœpit, affirmans, illi, utpote Christiano homini, & Imperatoribus sacrificare renuenti, Romanam dignitatem capessere per leges non licere. Quo commotus Judex Achæus, quid sentiret, ex Marino sciscitatus est. Hic vero ubi, Christianum se esse, constanter profiteretur, trium horarum spatium ad deliberandum ei concessit. Ita cum prætorio esset egressus, Theotecnus, civitatis Episcopus, ad eum accedens, prehensa manu ad ecclesiam ipsum perduxit, ibique, reducta tantisper chlamyde ejus, gladium, quo præcinctus erat, ipsi ostendit, moxque sacrorum Evangeliorum codicem ex adverso locavit, jubens, ut ex duobus, utrum mallet, eligeret. Marinus, nihil cunctatus, protensa dextra codicem cum apprehendisset, Theotecnus, Ergo, inquit, adhære Deo, ejusque virtute roboratus, quod elegisti sequere. Posthæc egredientem illum ab ecclesia Præco pro foribus prætorii evocare cœpit. Jam enim præstitutum tempus effluxerat. Admotus igitur tribunali, cum majorem quam antea fidei alacritatem ostendisset, statim inde, ita ut erat, ad supplicium abductus, martyrio coronatus est. Vide Eusebium libro VII, cap. XV.

XXXIX. Quæ

XXXIX. Quæ ut rectius intelligantur, obſerva, Ethnicis Principibus ſolemne fuiſſe, militiæ cingulum auferre iis qui fidem negare recuſabant. Ita de Licinio Euſebius, lib. x, cap. IIX, τοὺς κατὰ πόλιν στρατιώτας inquit, ἐκκρίνεσθαι καὶ ἀποβάλλεσθαι τοῦ τῆς τιμῆς ἀξιώματος, εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖντο, παρακελεύεται. *Cunctos in urbibus militantes, niſi Dæmonibus ſacrificare mallent, exauctorari & honore militiæ ſpoliari jubet.* Confer librum I de vita Conſtantini cap. LIV. & adde locum lib. IIX Hiſtor. Eccleſ. cap. IV. ubi, de Diocletianea agens perſecutione, πλείστους, inquit, παρῆν τῶν ἐκ στρατείαις ὁρᾶν ἀσμενέστατα τὸν ἰδιωτικὸν προασπαζομένους βίον, ὡς ἂν μὴ ἔξαρνοι γένοιντο τῆς περὶ τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν εὐσεβείας. ὡς γὰρ ὁ στρατοπεδάρχης, ὅς τίς ποτε ἦν ἐκεῖνος, ἄρτι πρῶτον ἐνεχείρει τῷ κατὰ τῶν στρατευμάτων διωγμῷ, φυλοκρινῶν καὶ διακαθαίρων τοὺς ἐν τοῖς στρατοπέδοις ἀναφερομένοις, αἵρεσίν τε διδοὺς, ἢ πειθαρχοῦσιν ἧς μετῆν αὐτοῖς ἀπολαύειν τιμῆς, ἢ τοὐναντίον στέρεσθαι, ταύτης, εἰ ἀντιτάττοιντο τῷ προστάγματι, πλεῖστοι ὅσοι τῆς χριστοῦ βασιλείας στρατιῶται, τὸν εἰς αὐτὸν ὁμολογίαν, μὴ μελλήσαντες, τῆς δοκούσης δόξης καὶ εὐπραγίας, ἧς εἶχον, ἀναμφιλόγως προὐτίμησαν. *Tunc cernere erat quamplurimos, qui, abjecta militia, privatã vitã amplecti maluerunt, quam ſupremi omnium rerum opificis cultum abnegare. Poſtquam enim Dux Romani exercitus neſcio quis, Chriſtianos milites perſequi aggreſſus, eos qui in exercitu merebant luſtrare cœpiſſet ac recenſere, & Chriſtianis liberam eligendi poteſtatem feciſſet, ut vel Imperatorum juſſis obtemperantes, honoris ſui gradum retinerent, vel, ſi parere nollent, honore militiæ nudarentur; complures regni* CHRISTI *milites, nominis illius confeſſionem ſeculari gloriæ, ac felicitati qua fruebantur, ſine ulla cunctatione pratu-*

Militiæ cingulum iis auferebatur qui Chriſtum negare nolebant.

prætulerunt. Porro & Rufinus, Hiſtor. Eccl. lib. I, cap. XXXII, de Juliano Apoſtata, vafro illo Chriſtianorum hoſte & perſecutore, *Militiæ cingulum*, ait, *non dari niſi immolantibus jubet.* Maxime autem huc ſpectant Acta illa Marcelli, apud Baronium ad ann. CCXCIIX, 2. *In civitate Tingitana, procurante Fortunato Præſide, advenit natalis dies Imperatoris. Ibi cum omnes in conviviis epularentur atque ſacrificarent, Marcellus quidam ex Centurionibus legionis Trajanæ, profana reputans illa convivia, rejecto etiam cingulo militari coram ſignis legionis, quæ tunc aderant, clara voce teſtatus eſt, dicens:* Jesu Christo, *Regi æterno, milito. Abjecit quoque Vitem, & arma; & addidit: Ex hoc militare Imperatoribus veſtris deſiſto, & Deos veſtros ligneos & lapideos adorare contemno, quæ ſunt idola ſurda & muta. Si talis eſt conditio militantium, ut Diis & Imperatoribus ſacra facere compellantur, ecce, projicio Vitem & Cingulum; renuncio ſignis, & militare recuſo.* Conferatur omnino Baſilii M. homilia XIX, in Gordium Martyrem.

CA-

CAPUT X.

DE PERSECUTIONE DECIMA, SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO.

CONSPECTUS.

I. *Vita Diocletiani.*
II. *Persecutio sub eo omnium atrocissima.*
III. *Edictum contra Christianos primum.*
IV. *Edictum secundum, tertium, quartum.*
V. *Quam gravis Ecclesiam tempestas post talia edicta exceperit, testatur Constantinus M.*
VI. *Eusebius.*
VII. VIII. *Lactantius.*
IX. *Basilius.*
X. *Sulpitius Severus.*
XI. *Haymo Halberstad.*
XII. *Quo tempore cœperit Diocletianea persecutio. Pascha* σαυξώσιμον & ἀναςάσιμον.
XIII. *Oratoria una cum congregato ibi populo exusta.*
XIV. *Arnobii de hac ecclesiarum pariter ac librorum sacrorum demolitione justa cum Paganis expostulatio.*
XV. *Causa persecutionis Diocletianeæ mores Christianorum minus probati.*
XVI. *Ejusdem occasio Ægyptiorum rebellio.*
XVII. *Æra Diocletianea. num eadem cum æra Martyrum.*
XVIII. *Regiæ Nicomediensis incendium Christianis imputatum.*
XIX. *Christiani Diocletiano invisi, quod præsentia sua ipsius sacra turbabant. Cujusmodi quid & alias solebat fieri.*
XX. *Diocletianus a matre ad tollendos Christianos instatur, idolothytis ipsius vesci detrectantes.*
XXI. *Traditores qui fuerint, quamque Ecclesiæ odiosi.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0437
DFG

XXII, XXIII. *Edictum Imperatorium Nicomediæ a Christiano quodam refixum, crudeli supplicio propterea affecto.*

XXIV. *Quid de illo facto statuendum.*

XXV. *Dorotheus, Gorgonius, Petrus, ex regia Nicomedienſi Martyres. Anthimus, urbis ejus Epiſcopus, martyr.*

XXVI. *Martyres Tyri in Phœnice coronati.*

XXVII. *Martyres jam paſſuri, in Crucis formam manus expandere ſolebant.*

XXIIX. *Martyres Ægypti.*

XXIX. *Cruci affixi non uno modo interibant.*

XXX. *Martyres in Thebaide paſſi.*

XXXI. *Philoromus & Phileas martyres.*

XXXII. *Phileæ ad Thmuitas epiſtola.*

XXXIII. *Urbs quædam Phrygiæ tota ob Chriſtianiſmum una cum omnibus incolis concremata. Adauctus martyr.*

XXXIV. *De Adaucto & Adauco quid tradant Martyrologia.*

XXXV. *Martyrii varia genera in Arabia, Cappadocia, Meſopotamia, Alexandria, & in Ponto tolerata.*

XXXVI. *Chriſtiani quidam tempore perſecutionis αὐτόχειρες.*

XXXVII. *Euſebii de femina Antiochena αὐτόχειρι hiſtoria num illa ipſa ſit quam recitat Ambroſius.*

XXXIIX. *Quid de αὐτοχειρίᾳ tali ſentiendum.*

XXXIX. *Lucianus Antiochenus martyr. Epiſcopi alii & Presbyteri eo tempore paſſi.*

XL. *Euſebii liber de Martyribus Palæſtinæ.*

XLI. *Procopius martyr.*

XLII. *Alpheus & Zacheus martyres.*

XLIII. *Romani martyrium.*

XLIV. *Unus an plures ejus nominis fuerint Martyres.*

XLV. *Extinctus fuit cœlitus ignis, ad Romanum comburendum accenſus.*

XLVI. *Romanus ſine lingua loquitur.*

XLVII. *Simile miraculum ſeculo 5. in Africa ſub Hunerico contigit.*

XLIIX. *Pueruli cujusdam, imperterriti fidei Chriſtianæ profeſſoris, cum Romano martyrium.*

XLIX. *Timotheus lento igne conſumptus. Agapius & Thecla ad beſtias damnati. Adoleſcen-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0438
DFG

scentes sex Christiani sponte se ad pugnam cum bestiis offerunt.

L. *Lento igne quo pacto consumpti fuerint Christiani.*

LI. *Apphiani martyrium.*

LII. *Ulpianus martyr culeo insutus, & in mare præcipitatus. Simili supplicio etiam in S. Julianum fuisse animadversum, Chrysostomus tradit.*

LIII. *Culei supplicium parricidarum quasi proprium.*

LIV. *De illo elegans Ciceronis locus.*

LV. *Quam immane & abominandum id semper fuerit habitum. Puniti eo etiam interdum qui non erant parricidæ.*

LVI. *Ædesius martyr.*

LVII. *Agapii martyrium.*

LIIX. *Theodosia martyr.*

LIX. *Silvanus cum sociis ad opus metalli damnatus. Dominus & Auxentius martyres.*

LX. *Martyres Gazenses, Thea & Valentia.*

LXI. *Pauli martyrium.*

LXII. *Antoninus, Zebinas, Germanus, Ennathas, martyres.*

LXIII. *Ares, Probus, Elias, Petrus Asceta, martyres.*

LXIV. *Pamphilus, ille Eusebii necessarius, martyr. Quantus is vir fuerit.*

LXV. *Martyres alii varii horum temporum. Legio Thebæa. 40. milites. Donatus.*

LXVI. *Dexter oculus Christianis erutus; sinistri poplites cauterio adusti.*

LXVII. *Paphnutius altero oculo tunc orbatus.*

LXIIX. *Paulus Neocæs. ambabus manibus debilitatus.*

LXIX. *Maximus Ieros. oculo orbatus, & poplite læsus.*

LXX. *Similiter Potamo Heracleensis.*

LXXI. *Christianismi ab Ethnicis sperabatur interitus.*

LXXII. *Sed frustra.*

LXXIII. *Constantii Chlori benignus erga Christianos animus.*

LXXIV. *Maximiniani contra, crudelissimi tyranni, adversus eos furor.*

LXXV. *Maximiniani pœna.*

LXXVI. *Idem publico edicto pacem dat Christianis.*

LXXVII. *Maximinus Ecclesiæ persecutionem instaurat.*

LXXIIX. *Persecutionis illius pœna.*

LXXIX. *Constantini M. visio.*
XXC. *Constantini & Licinii pro Christianis rescriptum.*
XXCI. *Maximini pro Christianis constitutiones.*
XXCII. *Tristis Maximini exitus.*
XXCIII. *Licinius bellum contra Christianos renovat.*
XXCIV. *Debellato illo, pax Christianis restituta, & constans Constantini pietate tranquillitas universæ Ecclesiæ parta.*
XXCV. *Quanta hinc orta fuerit inter Christianos lætitia.*

I.

Vita Diocletiani.

DECIMAM eamque ultimam persecutionem Ecclesia sensit sub DIOCLETIANO, orbis Romani circa annum CCLXXXV Imperatore. Qui moratus callide fuit, sagax præterea & admodum subtilis ingenio, & qui severitatem suam aliena invidia vellet explere; diligentissimus tamen & solertissimus Princeps, & qui in imperio Romano primus Regiæ consuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis invexit; uti scribit Eutropius. Qui tamen frustra est, quando mox, sicut Cassiodorus ac Eusebius in Chronicis, Diocletianum primum adorari se jussisse affirmat. Id enim falsissimum esse, ad epistolam Plinii de Christianis primævis ex multis scriptoribus ἀξιοπίστοις ostendimus. Nec magis verum est, quod iidem auctores produnt, ipsum gemmas vestibus calceamentisque primum inseri jussisse. Quippe ante eum hoc fecit Carinus, de quo Vopiscus: *Habuit gemmas in calceis; nisi gemmata fibula usus non est: balteum etiã sæpe gemmatum.* Quin & Heliogabalus *habuit in calceamentis gemmas, & quidẽ sculptas*, teste Lampridio

dio. Insatiabili eum avaritia laborasse, Lactantius in de Mortibus Persecutorum auctor est, qui thesauros nunquam minui voluerit, sed semper extraordinarias opes ac largitiones congregarit, ut ea quæ recondebat, integra atque inviolata servaret. Cumque variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere sategisse scribit: unde ob exigua & vilia multus sanguis effusus fuerit, & caritas multo deterius exarserit. Infinita insuper ædificandi cupiditate ipsum flagrasse, idem Firmianus memorat, adeo ut semel exstructa, mox dirui rursum, tamquam minus recte facta, ac mutari oportuerit. Unde, ob exhibitos operarios, artifices, plaustra, similiaque fabricandis operibus necessaria, ex haustæ provinciæ. Denique tantam ejus fuisse iniquitatem ait, ut, ubicunque cultiorem agrum videret, aut ornatius ædificium, mox parata domino calumnia esset & pœna capitalis: quasi non posset rapere aliena sine sanguine. Qvum Diocletianus apud Tungros in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem convictus sui quotidiani faceret, at illa diceret: *Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es*; joco, non serio, Diocletianus respondisse fertur: *Tunc ero largus, quum Imperator fuero.* Ad quæ fœmina, *Diocletiane*, inquit, *jocari noli. Nam Imperator eris, qvum Aprum occideris.* Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperii cupiditatem, & apros in venationibus, ubi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique, qvum Aurelianus imperium accepisset, qvum

Probus, qvum Tacitus, qvum ipse Carus, Diocletianus dixit: *Ego semper apros occido; sed aliter semper utitur pulpamento.* Qvum vero occidisset Aprum, Præfectum prætorii, dixisse fertur: *Tandem aprum fatalem occidi.* Quemadmodum omnia hæc in vita Numeriani Flavius Vopiscus narrat, & quidem ab avo suo, ut ait, sibi relata, qui ab ipso Diocletiano acceperat.

Persecutio sub eo omnium atrocissima.

II. Sub Diocletiano hoc, (*qui, cum disperderet omnia, nec a* Deo *quidem manus potuit abstinere*; ut Lactantius, libro de Mort. Persecutorum cap. VII, loquitur) hujusque collega Maximiano Herculio, decimam Ecclesia persecutionem sensit. Quam quidem omnium gravissimam & acerbissimam fuisse, uno ore omnes testantur: siquidem, deturbata tunc & solo æquata Christianorum Oratoria, sacri Codices exusti, omnes in dignitate aliqua constituti Dei servi honorum gradu dejecti.

Edictum contra Christianos primum.

III. Ita videlicet hanc in rem Eusebius scribit Histor. Eccles. lib. IIX, cap. II: Ἔτος ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανῦ βασιλείας. Δύσις μὲν λέγοιτο δ' ἂν ἔτι Μάρτιος καὶ Ῥωμαίοις, ἐν ᾧ τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴς ἐπελαυνούσης, ἤπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα, ὡς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν, ὡς δὲ γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ θύεσθαι προστάττοντα· καὶ τοὺς μὲν τιμῆς ἐπειλημμένους, ἀτίμους, τοὺς δὲ ἐν οἰκετείαις, εἰ διαμένοιεν ἐν τῇ τοῦ χριστιανισμοῦ πρόθεσει, ἐλευθερίας στερεῖσθαι προαγορεύοντα. *Nonus decimus agebatur annus imperii Diocletiani, cum mense Dystro, quem Romani Martium vocant, appetente die festo Dominicæ passionis, proposita sunt ubique Imperialia edicta, quibus Ecclesia quidem ad solum usq; dirui, sacri vero Codices flammis*

mis absumi jubebantur; utquæ honorati quidem infamia notarentur, plebeji vero libertate spoliarentur, si in Christianæ fidei proposito permansissent. Eadem iisdem plane verbis in Chronico Alexandrino leguntur.

IV. Primum illud edictum mox subsecutum est alterum, quo omnes ubique ecclesiarum Antistites in vincula conjicere & ad sacrificandum compellere Ethnica jussit superstitio; ut idem refert Eusebius cap. I & II. Successit porro edictum tertium, de iisdem Ecclesiæ Præsulibus in carcerem trudendis; & quartum denique, ut carceribus inclusi, siquidem sacrificassent, dimitterentur, sin minus, tormentis excruciarentur, præcipiens. Vide Eusebium ibidem cap. VI.

Edictum secundum.

tertium, quartum.

V. Edicta tam virulenta mirum non est quod sæva adeo tempestas subsecuta sit, ut verba, quibus gravitatem ejus exprimant, vix iis suppetant qui temporum illorum historiam nobis tradidere. Ἤ τότε, ait Constantinus M. apud Eusebium, lib. II de vita ejus, cap. LII, ἦν ἰδεῖν, μεθ' ὅσης ἐξουσίας ἡ σεμνότης ἐκείνη τῆς θεοσεβείας, τῇ τῆς ὠμότητος συνεχείᾳ, οὐ τὰς τυχούσας ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας ὕβρεις ὑφίστατο. Σωφροσύνη δ' ἣν τῶν πολεμίων οὐδεὶς ἠδίκησε πώποτε, ὀργίλων πολιτῶν πάρεργον ἐγίνετο. ποῖον πῦρ, ποῖαι βάσανοι, ποῖον στρεβλωτηρίων εἶδος, οὐχὶ παντὶ σώματι καὶ ἡλικίᾳ πάσῃ ἀδιακρίτως προσήγετο; τὸ τηνικαῦτα ἐδάκρυε μὲν ἀναμφιβόλως ἡ γῆ· ὁ δὲ τὰ σύμπαντα περιέχων κόσμος, τῷ λύθρῳ χραινόμενος ἀπεκλάετο· ἥγε μὴν ἡμέρα αὐτὴ, τῷ πένθει τοῦ θαύματος ἐνεκαλύπτετο. *Licuit tunc, licuit, inquam, videre, quanta cum libertate venerabiles Dei cultores ob continuam crudelitatem gravissimas quotidie contumelias tolerarent. Quippe modestiam, quam nec hostes ipsi ulla*

Quam gravis Ecclesiam tempestas post talia edicta exstiterit, testatur Constantinus M.

um-

umquam affecerunt injuria, efferati cives probris omnibus incessere pro nihilo duxerunt. Quodnam incendium, quod cruciatuum & tormentorum genus, cuivis corpori & ætati sine ullo discrimine admotum non fuit? Ea tempestate tellus quidem ipsa procul dubio lacrymas edidit; cælum vero, quod universa suo ambitu complectitur, cruore inquinatum ingemuit: ipsa quoque diei lux præ luctu & horrore tanti prodigii obscurata est.

Eusebius. VI. Quæ postrema tametsi proprie accepta nolit Constantinus, sed schemate heic utatur Rhetorico; Eusebius tamen, libro de Martyribus Palæstinæ, (qui velut Appendix est libri IIX Historiæ Ecclesiasticæ) cap. IX, revera per miraculum tale quid iis temporibus contigisse narrat. Verba ejus hæc sunt: ἀιθρία ἦ καὶ λαμπρὸς ὁ ἀὴρ, καὶ τὸ ὅλον περιέχον καθάπασις εὐδιεινοτάτη· εἶτα ἀθρόως τὴν ἀνὰ τὴν πόλιν κιόνων οἱ τὰς δημοσίας, δακρύων τινὰ τρόπον οἱ πλείους σταλαγμοὺς ἀπέσταζον· ἀγορά τε καὶ πλατεῖαι, μηδεμιᾶς ψεκάδος ἐξ ἀέρος γεγενημένης, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν ὕδατι ῥαντισθεῖσαι καθυγραίνοντο· ὡς αὐτίκα λόγου θρυλληθῆναι εἰς πάντας, δακρύσαι τὴν γῆν ἀῤῥήτῳ λόγῳ, τὰ τότε πραχθέντων ἀνοσιουργίαν μὴ φέρουσαν· εἰς ἔλεγχόν τε φύσεως ἀτέγκτου καὶ ἀσυμπαθὲς ἀνθρώπων, μίσους καὶ τὸ ἄψυχον ὕλην ὑπικλαῦσαι τοῖς γεγενημένοις. *Forte aër purus ac liquidus, & totius cæli mira quædã serenitas erat; cum repente maxima pars columnarum, quæ publicas urbis porticus sustentabant, quædam velut lacrimarum guttas stillaverunt: fora quoque & plateæ, cum nullus ex aëre delapsus ros esset, nescio unde aqua perfusæ maduerunt: adeo ut communi omnium sermone vulgaretur, terram miro & inexplicabili modo lacrimas edidisse, cum eorum quæ patrabantur impietatem*

tatem ferre non posset; & ad immites ac barbaras hominum mentes convincendas, lapides ipsos resque anima carentes his quæ fierent ingenuisse.

VII. Porro & Lactantius, qui sub Diocletiano vixit, persequutionis hujus gravitatem ita describit, Divin. Institut. lib. V, cap. XI: *Quæ per totum orbem singuli* Præsides *gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque sæviit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt quam jubebatur; alii suo proprio adversus justos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli, ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora munirent. Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt: sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit. Sed hic quanto sævior, tanto clementior inventur. Illud vero pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur; ille gravior, ille sævior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest, hujusmodi Judices quanta & quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentium peremisse (nam & ipse audivi aliquos gloriantes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta) sed & invidiæ causa; ne aut ipsi vincantur, aut illi virtutis suæ gloriam consequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quam victoriam excogitant. Sciunt enim, certamen esse illud & pugnam. Vidi ego in Bithynia Præsidem, gaudio mirabiliter elatum, tanquam Barbarorum gentem aliquam sub-* Lactantius.

egisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus est. Contendunt igitur, ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur. Quasi vero mors tantummodo beatos faciat, ac non etiam tormenta; quæ, quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus sanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest? Non curassent tam solicite quos amarent. Hæc est Deorum disciplina; ad hæc opera cultores suos erudiunt; hæc sacra desiderant. Quin etiam sceleratissimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes Jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius de officio Proconsulis libris septem rescripta Principium nefaria collegit; ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur.

IIX. Idem Lactantius, libro de Mortibus Persecutorum cap. xv, ubi de tempestate hac loquitur, *Comprehensi*, inquit, *Presbyteri ac Ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus & ætatis homines ad exustionem rapti, Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, &* (sed) *gregatim circumdato igni ambiebantur: domestici alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minus in ceterum populum persecutio violenter incubuit. Nam Judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudati*

audita excogitabantur: &, ne cui temere jus diceretur, aræ in secretariis ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent. Pergit cap. XVI:

Æneid. 6. v. 625.

Non, mihi si lingua centum sint, oraque centum,
ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
omnia pœnarum percurrere nomina possem,

quæ judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt.

IX. Subjiciemus porro Basilii etiam M. ex homilia XIX, in Gordium Martyrem, testimonium. Ἐπειδὴ, ait ille, ὁ τότε τύραννος τὸ πικρὸν καὶ ἀνήμερον τῆς ψυχῆς μέχρι τοῦ πολέμου τῆς ἐκκλησίας ἐξέτεινε, καὶ ἦρε χεῖρα θυμάχου κατὰ τῆς εὐσεβείας, κηρύγματα δὲ ἦν πανταχοῦ, καὶ διαγράμματα ἁπλωτὰ κατὰ πᾶσαν ἀγορὰν καὶ πάντα τόπον ἐπίσημον, μὴ προσκυνεῖσθαι χρισὸν, ἢ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν τοῖς προσκυνοῦσι. καὶ πρόσταγμα ἦν ὑποκύπτειν εἰδώλοις ἅπαντας, καὶ λίθους καὶ ξύλα χαράγματι τέχνης μεμορφωμένα θεοὺς ὑγεῖσθαι, ἢ τοὺς μὴ πειθομένους πάσχειν ἀνήκιστα. Σύγχυσις δὲ ἦν καὶ ταραχὴ διὰ πάσης τῆς πόλεως, καὶ λεηλασίαι κατὰ τῶν εὐσεβούντων. χρήματα διηρπάζετο. πληγαῖς τὰ τῶν φιλοχρίστων σώματα κατεξαίνετο. γυναῖκες εἱλκύοντο διὰ πάσης τῆς πόλεως. ἡ νεότης ἐλεεινὴ, ἡ γήρας ἀιδέσιμον ἦν, ἀλλ' οἱ μηδὲν ἀδικοῦντες τὰ τῶν κακούργων ὑπέμενον. ἐσενοχωρεῖτο τὰ δεσμωτήρια. ἔρημοι ἦσαν οἱ εὐθηνούμενοι τῶν οἴκων, αἱ δὲ ἐρημίαι πλήρεις τῶν φυγαδευομένων. ἔγκλημα δὲ ἦν τοῖς τὰ τοιαῦτα πάσχουσιν ἡ εὐσέβεια. καὶ πατὴρ παρεδίδα παῖδα. καὶ πατέρα υἱὸς κατεμήνυεν. ἀδελφοὶ κατ' ἀλλήλων ἐμαίνοντο. καὶ δοῦλοι δεσπόταις ἐαυτοὺς ἐπανίσταντο. δεινὴ δέ τις νὺξ καταλήφει τὸν βίον, πάντων ἀγνοούντων ἀλλήλους ἐκ τοῦ διαβόλου φρενοβλαβείας, κατιβάλλοντι

μὲν οἶκοι προσευχῆς ὑπὸ χειρῶν ἀνοσίων· ἀνετρέπετο δὲ θυσιαστήρια, καὶ οὐκ ἦν προσφορὰ, οὐδὲ θυμίαμα, οὐ τόπος τοῦ καρπῶσαι. ἀλλὰ κατήφεια δεινὴ, ὥσπερ τις νεφέλη, τὰ πάντα κατειχεῖν. ἀπελήλαντο μὲν οἱ τοῦ θεοῦ θεραπευταὶ· διεπτόητο δὲ πᾶς τῆς εὐσεβείας θίασος. δαίμονες δὲ κατεχόρευον κνίσσαις καὶ αἵμασι τὰ πάντα καταμιαίνοντες. *Ea tempestate, cum tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen virus suæ feritatis effunderet, manumque Deo inimicam adversus Ecclesiam exerceret, tota urbe* (Cæsarea) *Præconis tuba sonabat, toto foro & per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis* CHRISTUM *adoraret; qui vero contra jussa faceret, morte plecteretur. Idola proponebantur adoranda omnibus, lapideaque ac lignea hominum simulacra pro vero Numine colenda; &, si qui recusarent, extrema intentabantur. Confundebatur tota civitas, quæ, rei novitate attonita, tota tumultuabatur. Christianorum domus singulæ vastabantur; innocentium facultates diripiebantur; fidelium & ingenuorum corpora carnificum manibus discerpebantur; matres familias per vicos trahebantur. Nulla juvenum commiseratio, nulla senum reverentia erat. Insontes noxiis ac maleficis digna patiebantur. Complebantur supra modum carceres; domus insignes & opulentæ vacuabantur; pleni saltus, plena perfugis loca deserta: ob unum tantum crimen, quod* CHRISTUM *colerent. Prodebat patrem filius; pater filium accusabat; frater adversus fratrem insaniebat; servus domino insultabat. Adeo Diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, ut, velut in tenebris agentes, sese minime cognoscerent. Præter hæc autem domus orationis profanorum manibus vastabantur, æræ sanctis-*

sanctissima evertebantur; nec erat oblatio ulla, nec thymiama. Divinæ rei nullus jam locus erat amplius relictus; cuncta mœror ingens veluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur; sacer omnis conventus cladem insolitam expavescebat: Dæmones vero tripudiabant, ac nidore & sanguine victimarum infecta cuncta dabant.

x. Audiemus præterea Sulpitium Severum. *Hac tempestate*, ait is Historiæ suæ sacræ libro II, *omnis fere sacro Martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur: multoque avidius tum martyria glorioris mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis umquam magis bellis mundus exhaustus est. Neque majore umquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.* *Sulpit. Severus.*

xi. Denique Haymonis etiam Halberstadiensis heic referre verba non pigrabimur, libro IIX Historiæ Eccl. cap. I scribentis: *In Nicomedia, & Thebaide, & Phœnice, & Alexandria, denique per totam Ægyptum, & Phrygiam, & Syriam, & Cappadociam, & cetera undique loca, turbo persecutionis tam immensus & intolerabilis fuit, ut ex ipsa nimietate & atrocitate gestis martyrum deroget fidem. Alii flagris discerpuntur; alii fodiuntur ungulis; alii gladio obtruncantur; alii patibulis affiguntur; alii præcipitantur in mare; alii post tergum vinctis manibus appenduntur, & trochleis distenti membris divelluntur; alii testis fictilium vasculorum lacerantur, donec tota eorum eradatur cutis: alii damnantur ad bestias, leones, ursos, pardos, tauros, apros, & ad omne ferarum genus.* — *Haymo Halberst.*

Quibusdam sub unguibus acutas infigunt arundines: quibusdam plumbum igne liquefactum dorso diffundunt, usque ad loca pudenda, quibus egestio naturalis procurari solet; feminisque candentis ferri & exusti plumbi massæ, absque ullo humanitatis respectu, per pudenda viscеribus merguntur. Et si tortores alicubi duas vicinas arbores sibi inveniebant, ramos ad se inflectebant, eisque singulis singulos Martyrum pedes ligabant; atque rami, cum ad situm suum naturali impetu referrentur, discerptis divulsisque viscеribus, avulsa secum membra rapiebant.

Quo tempore cœperit Diocletianea persecutio.

XII. De anno, mense, & die, quo Diocletiani cœpta persecutio, non erimus nimium nunc soliciti. Nodos, quos ex Concilio Cirtensi heic nectunt Baronius & Petavius, solvit Valesius Annotat. in Eusebii lib. IIX Histor. Eccl. cap. II. Vide etiam quæ idem habet ad Appendicem de Martyribus Palæstinis cap. II, sub finem; quæque Baluzius notat ad testimonium illustre Lactantii, quod damus infra num. XIX. In Chronico Eusebiano legimus: *Decimo nono anno Diocletiani, mense Martio, in diebus Paschæ, Ecclesiæ subversæ sunt. Secundum Antiochenos annus CCCLI.* Qui locus quot difficultatibus sit obnoxius, Scaliger in suis Animadversionibus num. MMCCCXIX ostendit. Quem tamen rem acu tangere non putamus, quando testimonium huc advocat ex Historia Eusebii Ecclesiastica; ubi non dicantur Oratoria Christiana eversa fuisse ἐν τῇ ἑορτῇ τῶν σωτηριώδων πάθων, sed, ἐπελαυνόσης τὴν ἑορτὴν, *appetente festo.* Neque enim illo Historiæ Eccles. loco (capite nimirum II libri IIX) de ipsa Oratoriorum eversione Eusebius agit, sed de edictis, quibus dirui illa jubebantur; ἤπλωτο, inquiens, πανταχοῦ

παντεχόσε βασιλικὰ γράμματα, ὡς ἐκκλησίας εἰς ἐδάφους φέρειν προσδήσοντα. Inter edictum vero hujusque executionem tempus aliquod intercedere potuit. Quod autem in Chronico Eusebiano *in diebus Paschæ* subversæ dicuntur Ecclesiæ, id Theodoritus libro IX Θεραπευτικῆς, sive adversus Græcos, ita exprimit: Κατ' αὐτὴν δ' σωτηρίου πάθους ἡμέραν, ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους καὶ τὴν ἀναστάσεως τὴν μνήμην πανηγυρίζομεν, ἀπάσας ὡς ἐν τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ κατέλυσαν ἐκκλησίας. *In ipso salutiferæ passionis die, in quo & passionis & resurrectionis Dominicæ memoriam celebramus, omnes ecclesias, quæ in Romani imperii finibus erant, destruxerunt.* Historiæ vero suæ Ecclesiasticæ libro V, cap. XXXIX, hoc modo: Διοκλητιανὸς ἐν τῇ τοῦ σωτηρίου πάθους ἡμέρᾳ, ὡς ἐν ἁπάσῃ τῇ Ῥωμαίων ἡγεμονίᾳ κατέλυσεν ἐκκλησίας. *Diocletianus ipso salutaris passionis die cunctas in orbe Romano Ecclesias destruxit.* Pascha duplex Christiani agnoscebant veteres: unum σταυρώσιμον, quo in crucem actus est mundi Redemptor; alterum ἀναστάσιμον, quo e tumulo is resurrexit. Cujus rei originem ex Augustino discere licet, tractu LV in Johannem scribente: *Pascha, fratres, non, sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum. Oportunissime tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati Græce πάσχειν dicitur, ideo Pascha passio putata est; velut hoc nomen a passione sit appellatum. In sua vero lingua, hoc est, in Hebræa, Pascha transitus dicitur.* Atque hinc forte lux accedere potest Chronici Eusebiani verbis, quod in *diebus Paschæ* Ecclesiæ subversæ sint; & Theodoriti illis, quod destructæ sint tempore eo, *quo & passio-*

Pascha σταυρώσιμον & ἀναστάσιμον.

passionis & resurrectionis Dominicæ memoriam celebramus.

Oratoria una cum congregato ibi populo exusta. conf. n. 33.

XIII. Ad rem quod attinet ipsam, subversionis hujus etiam Lactantius meminit, lib. v, cap. 11; *Ego*, inquiens, *cum in Bithynia Oratorias literas accitus docerem, contigit ut eodem tempore Dei templum everteretur.* Idemque, ut jam supra num. VII diximus, ejusdem libri cap. XI, memorat, quod *unus* Præsidum provincialium *in Phrygia universum populum cum ipso pariter conventiculo* (ita dicebantur loca, in quibus sacrorum causa conveniebant illorum temporum Christiani) *concremarit.* Quomodo etiam, de hac ipsa persecutione loquens, Theodoritus, Θεράπευτ. libro IX, Ἐν ἁπάσαις πόλεσι, ait, καὶ τὰς ἐκκλησίας ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν, καὶ παίδων, πεπληρωμένας ἐνέπρησαν. *Quibusdam in urbibus plenas viris, feminis, & pueris, ecclesias incenderunt.*

Vide lib. I, de Calumniis Pagan. cap. I, 3.

Arnobii de hac ecclesiarum pariter ac librorum sacrorum demolitione & exustione juxta cum Paganis expostulatio.

XIV. De hac ecclesiarum pariter ac librorum sacrorum demolitione & exustione, ubi de impiis eorum scriptis & theatris egisset, ita cum Paganis expostulat Arnobius, sub finem libri IV: *Quod si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius literas, hos exurere debuistis olim libros, demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ Numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? In quibus summus oratur Deus; pax cunctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis; adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione: in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudi-*

pudicos, castos, familiaris communicatores rei, & cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulatos. Ita pie & graviter facundus ille Arnobius.

XV. In causas porro tam horrendæ persecutionis si inquiramus, altius rem repetens Eusebius, eadem illa, quæ Decianæ tempestati occasionem dedisse supra, cap. IIX, 14. ex Cypriano audivimus, etiam Diocletianeæ huic ansam præbuisse affirmat. Ita videlicet scribit, libro IIX Historiæ Eccles. cap. I: ὡς ἐκ τῆς ἐπὶ πλέον ἐλευθερίας ἐπὶ χαυνότητα καὶ νωθρίαν τὰ καθ' ἡμᾶς μετηλλάττετο, ἄλλων ἄλλοις διαφθονουμένων καὶ διαλοιδορουμένων, καὶ μονονουχὶ ἡμῶν αὐτῶν ἑαυτοῖς προσπολεμούντων ὅπλοις εἰ οὕτω τύχοι καὶ δόρασι τοῖς διὰ λόγων· ἀρχόντων τε ἄρχουσι προστρηγνύντων, καὶ λαῶν ἐπὶ λαοὺς καταστασιαζόντων· τῆς δὲ ὑποκρίσεως ἀφάτου καὶ τῆς εἰρωνείας ἐπὶ πλεῖστον ὅσον κακίας προϊούσης· ἡ μὲν δὴ θεία κρίσις οἷα φίλον αὐτῇ πεφεισμένως, τῶν ἀθροισμάτων ἔτι συγκροτουμένων, ἠρέμα καὶ μετρίως τὴν αὐτῆς ἐπισκοπὴν ἀνεκίνει· ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταρχομένου τοῦ διωγμοῦ. ὡς δ' ἀνεπαισθήτως ἔχοντες, οὐχ' ὅπως εὐμενὲς καὶ ἵλεω καταστήσεσθαι τὸ θεῖον προὐθυμούμεθα· οἷα δέ τινες ἄθεοι ἀφρόντιστα καὶ ἀνεπίσκοπα τὰ καθ' ἡμᾶς ἡγούμενοι, ἄλλας ἐπ' ἄλλαι προσετίθεμεν κακίας· οἵ τε δοκοῦντες ἡμῶν ποιμένες τὴν τῆς θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι, ταῖς πρὸς ἀλλήλους ἀνεφλέγοντο φιλονεικίαις, αὐτὰ δὴ ταῦτα μόνα, τὰς ἔριδας, καὶ τὰς ἀπειλὰς, τόν τε ζῆλον καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἔχθος τε καὶ μῖσος ἐπαύξοντες, οἷά τε τυραννίδας τὰς φίλαρχίας ἐκθύμως διεκδικοῦντες· τότε δὴ τότε κατὰ τὴν φάσκουσαν τοῦ Ἱερεμίου φωνὴν, ἐγνόφωσεν ἐν ὀργῇ αὐτοῦ Κύριος τὴν θυγατέρα Σιὼν· καὶ κατέρριψεν ἐξ οὐρανοῦ εἰς γῆν δόξασμα Ἰσραήλ. *Cum ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus;*

Causa persecutionis Diocletianeæ mores Christianorum minus probati.

Thren. 2, 1.

essemus; cum alter alteri invidere atq; obtrectare cœpisset; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tanquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulnerantes; cum Antistites adversus Antistites, populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitarent; deniq; cum fraus & simulatio ad summum malitiæ culmen adolevisset: tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc Ecclesiæ statu, & fidelium turbis libere convenientibus, sensim ac moderate in nos cœpit animadvertere; orsa primum persecutione ab iis qui militabant. Cum vero sensu omni destituti, de placando Dei numine ne cogitaremus quidem; quin potius, instar impiorum quorundam, res humanas nulla solicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus: cum Pastores nostri, spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes; principatum quasi tyrannidem quandam contentissime sibi vendicantes: tunc demum, secundum dictum Jeremiæ, obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israël. Quæ & similia ubi ex Scripturis sacris recitasset, Συντετέλεσται, subjungit cap. 11, δῆτα καθ' ἡμᾶς ἅπαντα, ὁπηνίκα τῶν μὲν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτουμένους, τὰς δὲ ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς· τούς τε τῶν ἐκκλησιῶν ποιμένας αἰσχρῶς ὧδε κἀκεῖσε κρυπταζομένους· τοὺς δὲ ἀσχημόνως ἁλισκομένους, καὶ πρὸς τῶν ἐχθρῶν καταπειζομένους. *Hæc omnia nostris temporibus completa sunt, tunc cum Oratoria solo æquari ac funditus subverti, sacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari, oculis*

nostris

nostris vidimuss; & Ecclesiarum Pastores, alios quidem turpiter modo heic modo illic sese occultantes, alios vero ignominiose comprehensos ac inimicorum ludibrio expositos conspeximus. & mox: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐχ ἡμέτερον ἀφαιρεῖσθαι τὰς ἐπὶ πλεῖον σκυθρωπὰς συμφορὰς· ἐπεὶ καὶ τὰς πρόσθεν τῶν διωγμῶν ἀφιστάσεις τε αὖτ' εἰς ἀλλήλους καὶ ἀτοπίας, ἐχ ἡμῖν οἰκεῖον μνήμῃ παραδιδόναι. *Verum nefas mihi esse duco, tristes calamitates, quæ ad extremum illis acciderunt, oratione explicare: quippe cum nec dissensiones & injurias, quibus ante persecutionem mutuo inter se certarunt, commemorare nobis decorum sit.* Confer appendicem libri hujus IIX Eusebiani, de Martyribus Palæstinæ, cap. XII, & junge quæ Haymo habet Halberstadiensis Historiæ Eccles. libro IIX, cap. I. *Nonus decimus*, inquiens, *annus erat imperii Diocletiani, & incipit fieri persecutio in Christianos ab eo permaxima: justo equidem Dei judicio, & necessaria correctione: dum jam multa libertate, multa indulgentia vitiati sunt mores nostrorum, & disciplina Ecclesiarum corrupta; dum fides nostra per diversa dogmata scinditur, & ob id vilescit; dum Prælati, & Rectores, & duces populi, humilitatis Christianæ sinceritatis obliti, adversum se odiis & contentionibus inflammantur.*

Ejusdem occasio Ægyptiorum rebellio.

XVI. Atque his quidem causis justum permotum est Numen, ut grassaturæ in Ecclesiam Ethnicorum tyrannidi habenas laxaret. Ceterum qua occasione quove consilio Diocletianus bellum CHRISTI servis moverit, ex Arabicis & Copticis monumentis in Prodromo suo Copto sive Ægyptiaco, cap. II, pag. 21. Athanasius Kircherus nos docet: scribens nimirum, ubi, evecto ad

imperii culmen, Diocletiano, inter ceteras bello subactas provincias Ægyptus maxime Achilla duce rebellasset, ex indignatione summa in furorem quasi versum Imperatorem, non Achillam dumtaxat in potestatem suam redactum, feris dilaniandum objecisse, sed præterea in cujuscunque conditionis homines fœdum in modum debacchatum, & tria potissimum, quæ persecutionem vehementer auxerint, contra Ægyptios machinatum esse. Primum fuisse, ut omnes cum aliorum tum Christianorum libros sacros hinc inde per universam Ægyptum collectos aboleret; quod his abolitis, ad Romanorum ritus facilius eos allectum iri confideret. Alterum, ut artem transmutationis metallorum interdiceret; quod timeret, ne, inde locupletiores facti Ægyptii, collecto exercitu multum Romanis inposterum negotii facesserent. Tertium denique, ut computus anni Ægyptiis usitatam rationem Romano stylo accommodaret.

Confer hoc Photium cod. 256.

Æra Diocletianea.

XVII. Ubi nota obiter, etsi cetera spe sua exciderit Diocletianus, ultimum tamen κατ' εὐχὴν ipsum fuisse assecutum. Nataque hinc est celebris illa Epocha Diocletiana: quam vulgo Æram Martyrum, cum Ægyptiis; æram διωγμῶν, seu persecutionis, cum Eusebio; æram Gratiæ cum Æthiopibus; æram Elkupti, sive Coptitarum, cum Muhammedanis Historiographi vocare solent. An vero eadem plane cum Diocletianea sit æra Martyrum, cujus tam frequens passim habetur mentio, inter Chronologos disquiritur. Kircherus, loco ante laudato, postquam de modo & ratione, qua Ægyptiorum computationem Romano stylo Diocletianus accom-

num eadem sit cum æra Martyrum.

commodavit, quædam disseruisset; *Observata quidem hæc omnia fuerunt*, subjungit, *dum ritus stetit Paganus, & quidem ob eorum jam inolitam consvetudinem semper continuatam, usque ad ætatem Abbatis Dionysii; qui, consignatione annorum* CHRISTI *proposita, juxta suam computationem, statim recepta fuit a multitudine. Ad quod exemplum Ægyptiæ gentes, annum, quem habebant, retinentes, & conditione sua melius considerata, nomen odiosum profani illius Imperatoris in nomen alterum, videlicet fortissimorum Martyrum, qui sanguinem sub ipso fuderant, quem & posteri eorum in hunc diem servant, mutarunt.* Ceterum quæstio est, an nomen solum, num & initium æræ Ægyptii mutaverint. Ubi vero maxime videtur simile, annos a Diocletiano deductos olim & denominatos, ut aboleretur Tyranni memoria, a Martyribus post, sed invariato eorum initio, cognomen accepisse.

XIIX. Verum ad superiora ut revertamur, aliam præterea causam incensi adversus Christianos Gentilium odii Eusebius libro IIX, cap. VI, annotat, ei exacte respondentem, qua suæ persecutionis iniquitatem Nero tegere nitebatur; οὐκ οἶδ', inquiens, ὅπως ἐν τοῖς κατὰ τὴν Νικομήδειαν βαλιλείοις πυρκαϊᾶς ἐν αὐταῖς δὴ ταῖς ἡμέραις ἀφθείσης· ἣν καθ' ὑπόνοιαν ψευδῆ πρὸς τῶν ἡμετέρων ἐπιχειρηθῆναι λόγου διαδοθέντος· παγγενῆ σωρηδὸν βασιλικῷ νεύματι τῶν τῇδε θεοσεβῶν, οἱ μὲν ξίφει κατεσφάττοντο, οἱ δὲ διὰ πυρὸς ἐτελειοῦντο. *Iis diebus*, (sub ipsum persecutionis exordium, ut paulo post ait) *nescio quo casu, in palatio Nicomediensi excitatum erat incendium. Cujus cum nostros auctores fuisse publicus rumor falsa suspicione jactasset, Imperiali*

Regiæ Nicomediensis incendium Christianis imputatum. confer supra c. 1. n. 6.

periali jussu quotquot illic erant Dei cultores, acervatim cum suis familiis, alii gladio, flammis alii consumpti periere. Lactantius, libro de Mortibus Persecutorum cap. XIV, Galerii Maximiani artibus incendium illud curatum fuisse scribit. Ubi enim promulgati adversus Christianos edicti mentionem fecerat, *Cæsar*, pergit, *non contentus est edicti legibus: aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur velut hostes publici, & cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat: illos, consilio cum Eunuchiis habito, de extinguendis Principibus cogitasse; duos Imperatores domi suæ pene vivos esse combustos.* Addit paulo post, eundem, *quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitum esse.*

Christiani Diocletiano invisi, quod præsentia sua ipsius sacra turbabant.

XIX. Idem Lactantius ejusdem libri capite X & XI, rursum alias furoris Diocletianei causas memorat. Ubi tamen monendus est lector, quod perquam corruptus sit iste Lactantii locus, indeque tam obscurus, ut, num de Diocletiano an Maximiano ibi agatur, interdum vix appareat. De illo interim accipi debere quæ mox subjiciemus, contextus manifesto svadet, nec dubitare sinit, quod de eo se ista narrare auctor profitetur, qui *Diocles ante imperium vocabatur.* Hunc enim, non Maximianum, sed Diocletianum esse constat. De eo igitur sic scribit: *Cum ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cum adsisterent immolanti, impo-*

imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant Aruspices, nec solitas in extis notas videbant; &, quasi non litassent sæpius immolabant. Verum identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant; donec Magister ille Aruspicum Tages, seu suspicione, seu visu, ait, idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens Diocletianus, *sacrificare non eos tantum qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio, jussit, & in eos, si detrectassent, verberibus animadverti; datisque ad Præpositos literis, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut, qui non paruissent, militia solverentur.* Quibus Lactantii per omnia respondent quæ idem habet Divin. Institutionum libro IV, cap. XXVII, *Cum Diis suis* Gentiles *immolant*, scribens, *si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant: nec responsa potest consultus reddere Vates. Et hæc sæpe causa præcipua Justitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus dominis assisterent, impositio frontibus signo, Deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent Aruspices, instigantibus iisdem Dæmonibus, quibus prosecrant, conquerentes, profanos homines sacris interesse, egerunt Principes suos in furorem, ut expurgarent* (al. expugnarent) *Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium pœnis expiaretur.* Vide quæ ex Dionysio Alexandrino dedimus supra cap. IX, 2. & adde quæ habet Prudentius in Apotheosi vers. *528.* seqq. Theodoritus Histor. Eccl. lib. III, cap. III, Gregorius Nazianz. Invect.

Cujusmodi quid & alias solebat fieri.

Invect. in Julianum I, Lucianus in Dialogo qui Pseudomantis inscribitur, quæque ex Chrysostomo & Sozomeno dedimus supra cap. IIX, 48. 49. Sed ad Lactantium redimus.

Diocletianus a matre ad tollendos Christianos incitatur, idolothytis ipsius vesci detrectantes.

XX. Is in exponendis ultimæ persecutionis hujus causis supra expresso loco ita pergit: *Erat mater ejus* (Diocletiani) *Deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. Quæ cum esset, dapibus sacrificabat pene cotidie, ac Vicariis suis epulas exhibebat. Christiani abstinebant, &, illa cum Gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversus eos, ac filium suum non minus superstitiosum, querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit.* Quæ pluribus ibi persequitur, &, quomodo habitum per totam hyemem consilium tandem in rem fuerit collatum, ita cap. XII describit: *Inquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix; ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias; ut quasi terminus imponeretur huic religioni.*

Æn. 4. v. 169.

Ille dies primus leti, primusque malorum
causa fuit,

quæ & ipsis & orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset, agentibus Consulatum senibus ambobus octavum & septimum, repente adhuc dubia luce ad Ecclesiam profectus cum Ducibus, & Tribunis, & Rationalibus venit; & revulsis foribus, simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur. Datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur.

Traditores qui fuerint.

XXI. Nempe non in corpora dumtaxat, sed libros etiam Christianorum sæviebatur; & ita quidem, ut ipsi-

ipsimet Dei servi sacrosillos Codices Ecclesiæ hostibus exurendos tradere juberentur. Quod qui facere detrectabant, eos capitis pœnam subire oportebat. Si qui vero, tormentorum atrocitate victi, aut suppliciorum fracti metu, vitam redimerent, martyriumque superfugerent, divinos libros exhibebant persecutoribus, vel prodebant, infami *Traditorum* appellatione a nostris notabantur. Quam in rem ita Optatus Milevitanus, contra Parmenianum libro 1: *Audi, qui fuerint TRADITORES; & plenius autores Schismatis* Donatistici *disce. In Africa duo mala & pessima admissa esse constat: unum in TRADITIONE; alterum in Schismate. Sed utraque mala & uno tempore & iisdem autoribus videntur esse commissa. Debes ergo, frater Parmeniane, discere, quod intelligeris ignorare. Nam ferme ante annos sexaginta, & quod excurrit, per totam Africam persecutionis est divagata tempestas. Quæ alios fecerit Martyres; alios Confessores: nonnullos funesta prostravit in morte; latentes dimisit illæsos. Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid Ministros plurimos? quid Diaconos in tertio; quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices & principes omnium aliqui Episcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, Instrumenta divina Legis impie TRADIDERUNT.* Idem sub initum libri III indicium facit, persecutione hac sæviente Christianis solitum esse dici: *Incende Testamentum.* Idque *martyria generasse.* Puta de quibus in Martyrologio Romano, ad diem 11 Januarii, legitur: *Romæ commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum,* quamque Ecclesia odiosi.

qui, spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri Codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt. Vide quæ ibi annotat Baronius, quæque idem habet in Annalibus passim, inprimis ad ann. cccIII.

Edictum Imperatorium Nicomediæ a Christiano quodam refixum, crudeli supplicio propterea affecto.

XXII. Sed operæ pretium fore existimamus, illustriores, qui ultimam hanc persecutionem sanguine suo nobilitarunt, Christi Martyres sigillatim recensere. Atque heic Eusebius primum locum illi tribuit qui propositum contra nostros Nicodemiæ edictum in omnium conspectu refixerat & laceraverat. Verba ejus sunt, Histor. Eccl. lib. IIX, cap. V: Οὐκ ἀσήμων τις, ἀλλὰ τὰ ἄγαν κοσμικὰς ἐν τῷ βίῳ νενομισμένας ὑπεροχὰς ἐνδοξοτάτων, ἅμα τῷ τὸ κυριακὸν τῶν ἐκκλησιῶν ἐν τῇ Νικομηδείᾳ προσῆναι χειρὶ, ζήλῳ τῷ κατὰ θεὸν ὑποκινηθεὶς, διαπύρῳ τε ἐφορμήσας τῇ πίστει, ἐν προφανεῖ, καὶ δημοσίᾳ κειμένην, ὡς ἀνοσίαν καὶ ἀσεβεστάτην ἀνελὼν σπαράττει· δυοῖν ὅπου βασιλέων κατὰ τὸν αὐτὸν πόλιν βασιλέων· ὧν τε πρεσβυτάτῳ τῶν ἄλλων, καὶ τῷ τὸ τέταρτον ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὑπηκοατόντι βαθμόν· ἀλλ' ὅτῳ μοῖρα τῆς νικάδε πρώτου τότου διαπρέψας τὸ πρόσω, ἅματε τοιαῦτα οἷα καὶ εἰκὸς ἦν ὑπομένειν ὡς αὖ ὅπῃ διὰτῳ βλαπτῆναι τὸ ἄλυπον καὶ ἀπέραντον εἰς αὖτε τελευταίαν διετήρησεν ἀναπνοήν. *Simulac edictum contra ecclesias propositum est Nicomediæ, vir quidam minime obscurus, sed secularium honorum prærogativa inprimis conspicuus, zelo quodam divino commotus, & ardore fidei incitatus, edictum illud, in publico & illustri urbis loco affixum, detraxit, & tanquam impium ac scelectum, manibus suis discerpsit: idque duobus Imperatoribus in eadem urbe commorantibus; quorum alter, senior Augustus, primum inter omnes imperii gradum, alter*

vero

vero quartum obtinebat (Diocletianus hi erant & Galerius Maximianus) *Hic igitur cum primus omnium in ea civitate huiusmodi facinore inclaruisset, statim ea supplicia perpessus quæ post tantam audaciam ei infligenda esse credibile erat, lætitiam ac tranquillitatem animi usque ad ultimum spiritum conservavit.*

XXIII. Rem eandem Lactantius, libro de Mortibus Persecutorum cap. XIII, ita narrat: *Propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius* (Christianæ) *homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent ex quocunque ordine ac gradu venirent; adversus eos omnes actio caleret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent; libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo diripuit & conscidit, cum irridens diceret, victorias Gothorum & Sarmatarum propositas. Statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia postremo exustus est.*

XXIV. Ubi vides, non probari factum illud Lactantio tamquam plane rectum, licet a magno animo profectum fuerit. Et sane a Christi præceptis communique Christianorum praxi & more alienum id erat, qui malum pati potius quam inferre, & pro Imperatoribus apud Deum intercedere, non eorum mandata, utut iniquissima, refigere, discerpere, & ludibrio habere solebant. Exacerbabatur etiam hoc pacto Gentilium animus, & ansa magis magisque in Ecclesiam sæviendi tyrannis præbebatur. Quod ne fieret, omnino cavendum existimabant etiam veteris Ecclesiæ recte sentientes Christiani. *Quid de facto illo statuendum.*

ni. Unde improbatum iis fuisse militis illius Zelum præposterum, qui, quod cum militibus ceteris laureatus incedere nollet, gravissimæ tempestati sub Severo occasionem suppeditabat, supra cap. VI, 9. notavimus. Cumque Abda Episcopus, cetera θεῖος ἀνὴρ, *vir divinus*, & πολλοῖς κοσμούμενος εἴδεσιν ἀρετῆς, *multis virtutis generibus ornatus*, Pyreum, templum Persicum, destrueret, eaque audacia, ut Rex Isdigerdes cunctas Christianorum ecclesias demoliretur, efficeret; Theodoritus, hæc narrans Historiæ suæ libro V, cap. XXXIX, οὐκ εἰς δέον τῷ ζήλῳ χρησάμενον, *Zelo minime oportuno impulsum*, id eum fecisse scribit, ἐγὼ δὲ, inquiens, τὸ μὲν τὸ Πυρεῖα καθελυσιν οὐκ εἰς καιρὸν γεγονῆσθαι φημί. οὐδὲ γὰρ ὁ θεῖος Ἀπόστολος, εἰς τὰς Ἀθήνας ἀφικόμενος, καὶ τὸ πλῆν καλεύδωλον θεασάμενος, καθὰ βωμῶν ἕνα τὸ ὑπ' ἐκείνων τιμωμένων κατέλυσεν· ἀλλὰ λόγῳ καὶ τὸ ἄγνοιαν ἤλεγξε, καὶ τὸ ἀλήθειαν ἔδειξε. *Ego Pyreum quidem intempestive destructum fuisse fateor. Neque enim divinus Apostolus, cum Athenas venisset, & urbem simulacrorum cultui deditam esse vidisset, aram ullam Deorum, qui ab iis colebantur, evertit; sed illorum errorem verbis coarguit, & veritatem demonstravit.* Act. 17, 16. seqq.

Imo in antiquissimo illo Concilio Elibertino, sive Illiberritano, can. LX, ita fuit decretum: *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.* Quod tamen ita intelligendum Baronius scribit, in Notationibus ad Martyrologium Romanum d. IX Aprilis, *cum quis sponte, citra Christianam mansvetudinem, ex nullo legis præscripto, sed furore quodam percitus, insilierit*

lierit in idolum. Additque paulo post: *Quod si juste quis id facit, cum Princeps jubet, & meretur laudem; multo magis licebit, cum Deus jubet, & privato quodam divini Spiritus instinctu quis ad id faciendum impellitur, ut multos fecisse constat.* In Tomis Conciliorum Parisiensibus, Tomo 1, pag. 670. ad supra expressum canonem hæc notantur: *Christiani tempore Diocletiani forti animo ad idola frangenda passim prosiliebant, iidemque a Gentilibus in eos furentibus occidebantur: idque fecerunt exemplo Eulaliæ martyris, quæ impulsu divini Spiritus commota, teste Prudent. hym. 3. inque tyranni oculos sputa jacit: simulacra dehinc dissipat, &c. Hoc factum Eulaliæ importune ac temere ab omnibus usurpari, displicuit Patribus hujus Concilii.* Nobis dicendum heic videtur, quod in alia quidem, sed iisdem dubiis & difficultatibus obnoxia causa Augustinus pronunciat. Disquirens nempe is de αὐθαιρεσία, an ullo in casu licita esse possit; ubi objecisset sibi, contra ea quæ ante disputaverat, libro 1 de Civitate Dei cap. XXVI: *Sed quædam sanctæ feminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque mecaturum se flumen projecerunt, eoque modo defunctæ sunt; earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur;* respondet: *De his nihil temere audeo judicare. — Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ: nec errantes, sed obedientes: sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere? Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? Sed non ideo sine scelere facit,* Judic. 16, 30.

Gen. 22, 3, seqq. *quisquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam & miles, cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii; imo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque autoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur, si fecerit injussus, inde punietur nisi fecerit jussus. Quod si ita est jubente Imperatore, quanto magis jubente Creatore? Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat, si jussit cujus non licet jussa contemnere. Tantummodo videat, utrum divina jussio nullo nutet incerto. Nos per aurem conscientiam convenimus; occultorum nobis judicium non*
1. Cor. 2, 11, *usurpamus. Nemo scit, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Confer infra num. XXXIIX & L. Sane Nicomediensem illum heroa inter Martyres relatum in antiquis Martyrologiis legimus, & quidem addito ipsius nomine proprio, quod nec Eusebius nec Lactantius expressit. Ita quippe habet Martyrologium Romanum, ad diem VII Septembris: *Nicomediæ natalis beati Johannis martyris. Qui, cum videret crudelia edicta adversus Christianos in foro pendere, fidei ardore accensus, injecta manu illa detraxit atque discerpsit. Cumque hoc relatum esset Diocletiano & Maximiano Augustis, in eadem urbe constitutis, omnia suppliciorum genera in eum experiri jusserunt. Quæ vir nobilissimus tanta alacritate vultus ac spiritus pertulit, ut ne tristis quidem pro his videri potuerit.*

Dorotheus, Gorgonius, Petrus, ex XXV. Porro, scribente Eusebio, sæpius jam laudato libro IIX, cap. VI, πάντων ὅσοι τῶν πώποτε ἀνυμνοῦντες θαυμά-

σιοι

σιοι καὶ ἐπ' ἀνδρείᾳ βεβοημένοι, εἴτε παρ' ἕλλησιν, εἴτε παρὰ βαρβάροις, θείους ἤνεγκεν ὁ καιρὸς καὶ διαπρεπεῖς μάρτυρας, *præ omnibus qui umquam sive apud Græcos sive apud Barbaros admiratione digni & ob fortitudinem celebres extiterunt, gloriosos atque illustres Dei Martyres ea tempestas tulit*: Cubicularios scilicet pueros, aliosque cetera Imperatoribus perquam dilectos palatii ministros. E quibus DOROTHEUS, GORGONIUS, aliique plurimi, post ærumnas multas variaque certaminum genera tandem elisis laqueo faucibus divinæ victoriæ præmium sunt adepti: PETRUS autem; coram Imperatoribus in medium productus, cum idolis sacrificare constanter recusaret, corpore nudato in sublime tolli, &, quoad mandato obtemperaret, verberibus concidi jussus est. Cum vero ille, tormentis hujusmodi excarnificatus, in eadem sententia firmus permaneret, ipsis jam ossibus denudatis, commixtum sale acetum tabescentibus corporis membris infuderunt. Quos dolores cum ille etiam toleraret, craticula deinceps & ignis in medium fuit allatus, corporisque reliquiæ, instar carnium quæ ad cibum parantur, igni assatæ sunt, idque non simul ac semel, sed paulatim, ne celeri exitu defungeretur. At ille propositi tenax, victor ipsis in tormentis exspiravit. Hæc Eusebius de Martyribus Nicomediæ. Cujus etiam urbis Episcopum ANTHIMUM ob CHRISTI confessionem capite tunc truncatum esse memorat. Quod in Martyrologiis quoque ad diem XXVII Aprilis annotatum legimus. Unde vero specialia illa acceperit quæ de Episcopi hujus martyrio libro VII cap. VI narrat Nicephorus, divinare non possum. Sed huic auctori non visa

regia Nicomediensi Martyres.

Anthimus Nicomed. Ep. martyr.

visa non audita non lecta fingere solemne est.

Martyres Tyri in Phœnice coronati.

xxvi. Ad Eusebium revertimur. Qui supra dicti libri capite vii de Ægyptiis Tyri in Phœnice passis agit, eorumque cum pardis, ursis, apris, certamina describturus, οἷς γενομένοις, inquit, καὶ αὐτοὶ παρῆμεν, ἐπινίκια δὲ μαρτυρούμενα σωτῆρος ἡμῶν αὐτοῦ δὴ Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν θείαν δύναμιν ἐπαρῶσαν, ἐναργῶς τε αὐτὴν τοῖς μάρτυσιν ἐπιδεικνῦσαν ἱστορήσαμεν. *Hæc cum gererentur, nos ipsi præsentes aderamus: ubi & divinam potentiam Salvatoris nostri Jesu Christi, cui tunc Martyres testimonium perhibebant, præsentem & semetipsam manifeste martyribus exhibentem perspeximus.* Moxque narrare pergit, quomodo voracissimæ bestiæ longo temporis spatio ad Sanctorum corpora propius accedere non sint ausæ; verum in alios, a fide nostra alienos, qui ipsas instigabant, impetu suo converso, fortissimos illos athletas, qui nudis corporibus stabant, ac, uti facere jubebantur, commotis manibus eas in semetipsos provocabant, ne attigerint quidem; & si interdum in ipsos irruerent, protinus quasi divina quadam virtute repulsæ, retro cesserint. narrat, quomodo taurus efferatus, qui infidelium aliquos cornibus in sublime jactaret, ad solos Martyres, cum in eos furens ac minabundus irrueret, ne accedere quidem potuerit; sed pedibus terram quatiens, & hac illac jactans cornua, etiamsi candentis ferri stimulis incitaretur, divina tamen obsistente providentia, retro aversus fuerit. denique etiam memorat, quod adolescentem videre tunc licuerit, vicesimum ætatis annum vix ingressum, sine vinculis stantem, manibusque in

Bestiæ Martyrum corpora ladere nequeunt. Conf. supra c. 5. n. 57.

Crucis

Crucis formam expansis, firmo & impavido animo attentissime Deo supplicantem, nec ab eo in quo steterat loco recedentem aut ullatenus declinantem: cum interim ursi & pardi, furorem ac mortem anhelitu ipso spirantes, membra illius pene jam morsibus invaderent. Qui tamen mirabili ratione, constrictis divina quadam & arcana virtute ipsorum faucibus, retro protinus abscesserint.

Martyres jam passuri, in Crucis formam manus expandere solebant.

XXVII. Ubi observa, habitu illo, quod in Crucis formam manus expanderunt passuri Martyres, se Christi esse cultores, testari ipsos voluisse, quem corporis gestu referrent. Ita de Augurio & Eulogio Martyrologium tradit Romanum, ad diem XXI Januarii, quod flammis injecti *manibus in modum Crucis expansis* orantes martyrium compleverint. Idemque firmat Prudentius hymno περὶ στεφ. X, 103. seqq. Ubi enim memorasset, quomodo vincula, quibus sanctorum Martyrum manus in tergum religatæ erant, igni adusta deciderint;

Non ausa est, inquit, *cohibere pœna palmas,*
in morem Crucis ad Patrem levandas.
Solvit brachia, quæ Deum precentur.

Adde quæ de S. Agnete habet Ambrosius libro I de Virginibus, & serm. XC, de passione Agnetis.

Martyres Ægypti.

XXIIX. Ut vero ad Eusebium redeamus, refert is amplius cap. IIX, in Ægypto viros prope innumerabiles, cum uxoribus & liberis pro Salvatoris nostri doctrina caducam hanc vitam aspernatos, varia mortis genera sustinuisse. Alios enim, post ungulas & fidiculas, post crudelissima verbera, variosque ipso etiam auditu horrendos cruciatus, flammis absumptos; alios in mare

demersos fuisse; alios carnificibus capita sua amputanda alacri animo præbuisse: nonnullos tormentis ipsis immortuos; quosdam fame consumptos; alios denique in crucem actos; partem eo modo quo malefici vulgo suffigi solent, partem atrocius, capite deorsum verso clavis confixos, & vivos eousque servatos, quoad in ipsis patibulis fame interiissent.

Cruci affixi non uno modo interibant.

XXIX. Nempe non uno modo interibant qui Cruci suffigebantur. Quibusdam enim a stillante paulatim sanguine, verberatione item quæ præiverat, mors accersebatur. Alii *pascebant in cruce corvos*, ut Horatius Epistol. lib. I, epist. XVI, 48. loquitur, id est, a volucribus aut feris lacerabantur: & quidem etiam vivi; ceu constat ex Prudentii passione Hippolyti, sive hymno IV, 65. ubi Judex sic locutus introducitur:

—— Crux istum tollat in auras,
viventesque oculos offerat alitibus.

Interdum lanceis quoque transverberabantur Crucifixi; ut Marci & Marcelliani exemplo liquet, de quibus Martyrologium vide Romanum, a. d. XIIX Junii. Aliquando crurifragio mors iis maturabatur; quod ex Joh. XIX, 32. novimus. Sed & fame necari solitos, ex nostro hoc Eusebiano loco discimus. Indeque factum, ut quidam plusculos dies in crucibus viverent. Sic Andreas Apostolus *in cruce suspensus, in ea populum docens biduo supervixit*, dicente Martyrologio Rom. a. d. XXX Novembr. Victorinus Episcopus *jussus est suspendi capite deorsum. Quod cum per triduum pro nomine* CHRISTI *passus fuisset, gloriose coronatus, victor migravit ad Dominum*; eodem teste Martyrologio ad diem V Septembris. Timotheum

theum & Mauram *Arianus Præfectus cruci jussit affigi, in qua novem diebus vivi pendentes martyrium consummarunt*; ut iterum habet Martyrologium Rom. ad diem III Maji.

XXX. Sed revertimur denuo ad Eusebium. Qui capite IV, omnem dicendi copiam superare dicit cruciatus illos ac dolores, quos in Thebaide Martyres pertulerint; dum videlicet acutis testis toto corpore ad mortem usque illi lacerati; mulieres altero pede religatæ sublimes, capite deorsum vergente, machinis quibusdam in altum sublatæ, nudisque ac prorsus intectis corporibus, fœdissimum simul atque inhumanissimum spectaculum cunctis intuentibus præbuerint: alii ad arbores & ramos alligati interierint; nempe dum robustissimos ramos inflexos machinamentis quibusdam in unum coire faciebant tyranni, & Martyrum cruribus utrimque ad eos religatos, ramos in naturalem situm reverti sinebant, ut uno impetu eorum membra discerperentur. Atque hæc omnia non paucis diebus, nec exiguo temporis spatio, sed prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata esse Eusebius scribit; ita quidem, ut nunc deni, nunc viceni, nunc triginta & sexaginta, quandoque & centeni viri simul ac mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis ac per vices alternatis suppliciis addicti. ἱστορήσαμεν δὲ καὶ αὐτοὶ, inquit, ἐπὶ τῶν τόπων γενόμενοι, πλείους ἀθρόως κατὰ μίαν ἡμέραν, τοὺς μὲν τῆς κεφαλῆς ἀποτομὴν ὑπομείναντας, τοὺς δὲ τὰ διὰ πυρὸς τιμωρίαν· ὡς ἀμβλύνεσθαι φονεύοντα τὸν σίδηρον, ἀτενοῦντά τε διαθλᾶσθαι, αὐτούς τε τοὺς ἀναιροῦντας ἀποκάμνοντας ἀμοιβαδὸν ἀλλήλους διαδέχεσθαι. *Nos ipsi, cum in illis partibus*

Martyres in Thebaide passi.

degeremus, quamplurimos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus: adeo ut gladii hebetarentur, & cædere amplius non valentes frangerentur, ipsique carnifices viribus fatiscentes, sibi invicem succederent. Pergit Eusebius, testis harum rerum αὐτόπτης, quique hinc audiri amplius meretur: Θαυμασιωτάτην ὁρμὴν, θείαν τε ὡς ἀληθῶς δύναμιν καὶ προθυμίαν τῶν εἰς τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ πεπιστευκότων συνεωρῶμεν. ἅμα γοῦν τῇ κατὰ τῶν προτέρων ἀποφάσει, ἐπεπήδων ἄλλοθεν ἄλλοι τῷ πρὸ τοῦ δικαστοῦ βήματι, χρισιανοὺς σφᾶς ὁμολογοῦντες. ἀφροντίστως μὲν πρὸς τὰ δεινὰ καὶ τοὺς τῶν πολυειδῶν βασάνων τρόπους διακείμενοι· ἀκαταπλήκτως δὲ παῤῥησιαζόμενοι ἐπὶ τῇ εἰς τὰ τῶν ὅλων θεὸν εὐσεβείᾳ· μετά τε χαρᾶς καὶ γέλωτος, καὶ εὐφροσύνης τὴν ὑστάτην ἀπόφασιν τοῦ θανάτου καταδεχόμενοι· ὥστε ψάλλειν, καὶ ὅμνους καὶ εὐχαριστίας εἰς τὸν τῶν ὅλων θεὸν μέχρις αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπέμπειν ἀναπνοῆς. *Mirabilem animi ardorem vereque divinam virtutem & alacritatem eorum qui in* CHRISTUM *Dei crediderant, oculis nostris conspeximus. Etenim vix dum adversus primos lata erat sententia, cum alii aliunde ad tribunal Judicis prosilierunt, Christianos sese confessi. Et pericula quidem cunctaque multiformium tormentorum genera parvi ducebant; supremi vero omnium Numinis cultum libera voce sine ullo metu profitebantur; & cum gaudio atque hilaritate ridentes capitalem sententiam excipiebant; adeo ut in laudem conditoris omnium Dei Psalmos hymnosque & gratiarum actiones ad extremum usque spiritum concinerent.*

Philoremus & Phileas martyres.

XXXI. Pergit eodem capite eos deprædicare Eusebius, qui, opibus ac nobilitate pollentes, & ob eloquentiæ ac Philosophiæ studium non mediocrem gloriam

riam consecuti, tamen veram pietatem fidemque in Christum his omnibus præposuere. Cujusmodi Philoromus erat, Procurator summæ rei Alexandriæ, quiq;, pro dignitate ac prærogativa honoris Romani stipatus militibus, quotidie jus dixit; & Phileas, Thmuitarum ecclesiæ Episcopus, vir cunctis in patria honoribus ac muneribus summa cum laude perfunctus, sapientiæ etiam studiis admodum illustris. Qui, cum agnati, amici, aliique eos rogarent, cum Judex ipse illos cohortaretur, ut sui misereri, uxoribusque & liberis consulere vellent, adduci nullo modo potuerunt, ut fidei renunciarent Christianæ; sed religiosa Deoque dicata mente adversus omnes Judicis minas & contumelias perstantes immoti, ambo capite plexi sunt. Phileas *elegantissimum librum de Martyrum laude composuit*, teste Hieronymo catalogo Scriptor. Eccles. cap. xxcix.

xxxii. Quo vero majorem narrationi suæ fidem faciat Eusebius, capite x ipsius Phileæ producit ad Thmuitas epistolam, in qua varias & multiplices beatorum Martyrum calamitates prolixe is describens, inter cetera ait, cum injuria illos afficere cuivis licuerit, alios fustibus, alios virgis, alios flagris, loris, funibus eos cæcidisse. Quidam sanctorum illorum hominum, dicente ipso, revinctis post tergum manibus ad stipitem fuere suspensi, sic ut deinde universa corporis membra machinis quibusdam distenderentur. Post hæc tortores universo corpori, lateribus, ventri, cruribus, genis, cruciatus ferreis ungulis adhibuere. Quidam altera manu ad porticum suspensi pependerunt, quibus articulorum membrorumque omnium distensio quovis cruciatu fuit

Phileæ ad Thmuitas epistola.

acerbior. Alii vultibus in se mutuo conversis ad columnas alligati sunt, pedibus solum non contingentibus, adeo ut vincula, corporum gravitate adacta, acrius intenderentur. Quidam post tormenta in nervo jacuerunt, pedibus ad quatuor usque foramina divaricatis, sic ut supini esse cogerentur, cum ob recentes plagarum cicatrices, quas toto corpore gerebant, stare omnino non possent. Alii humi projecti jacuerunt præ nimia tormentorum acerbitate, multoque gravius, quam dum cruciarentur, spectaculum intuentibus præbuerunt, varia ac multiplicia tormentorum excogitata genera corporibus suis circumferentes. Tantamquam Gentilium Judicum tyrannidem fuisse scribit Phileas, ut nec minimam Martyrum curam haberi, sed cunctos sic de nostris sentire voluerint, quasi non amplius homines essent. Vide de Phileæ passione etiam Hieronymum libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Martyrologium Romanum ad diem IV Februarii.

Urbs quædam Phrygiæ tota ob Christianismum una cum omnibus incolis concremata.

XXXIII. Legemus porro Eusebii vestigia. Is capite XI narrat, quomodo urbem quandam in Prygia milites armati obsidione cinxerint, injectoque igne totam, una cum viris, mulieribus, ac parvulis concremarint; quod universi incolæ, ipseque Curator & Magistratus, cum honoratis omnibus ac plebejis, Christianos se esse professi, sacrificare jubentibus nullo modo obtemperarent. Subjungit deinde, ADAUCTUM quendam, claro in Italia genere ortum, Romana dignitate conspicuum, perque omnes honorum gradus in Imperatorum palatio provectũ, dum adhuc Rationalis munere fungeretur, pro vera pietate decertantem martyrii coronam reportasse.

Adauctus martyr.

XXXIV.

XXXIV. De hoc martyre observa, nomen ejus in nonnullis Eusebii exemplaribus scribi ADAUCUS. quod tamen corrigit ex melioribus codd. Valesius; monens simul, fieri Adaucti hujus mentionem in Menæis Græcorum die III Octobris; præterque eum fuisse & alterum Adauctum eodem tempore martyrium Romæ passum; cujus mentio habeatur VII Februarii, & cui Damasus Papa cœmeterium Romæ fecerit. Sed Martyrologium Romanum, Gregorii XIII jussu editum, ad diem VII Februarii sancti Adauci meminit, *qui ex Italia genere clarus, & omnifere dignitatum gradu ad Imperatoribus honoratus, dum adhuc Quæstoris officio fungeretur, martyrii corona pro fidei defensione dignatus sit.* Quem quidem esse hunc ipsum martyrem, cujus ex Eusebio supra fiebat mentio, res ipsa loquitur, & Baronius in suis Notationibus monet. De Adaucto autem idem Martyrologium die XXX Augusti hæc tradit: *Romæ in via Ostiensi passio beati Felicis Presbyteri, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Qui post equulei vexationem, data sententia, cum duceretur ad decollandum, obvius ei fuit quidam Christianus, qui, dum se Christianum sponte profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus est. Hujus nomen ignorantes Christiani, Adauctum eum appellaverunt, eo quod sancto Felici auctus sit ad coronam.* *De Adaucto & Adauco quid tradant Martyrologia.*

XXXV. Postquam de Adaucto egerat Eusebius, capite XIII summatim porro narrat, (ἑκάστῳ μὲν ἂν, inquiens, ἐπ' ὀνόματος μνημονεύειν, μακρὸν ἂν εἴη, μή τι γε τῶν ἀδυνάτων. *Singulos quidem nominatim commemorare, longum ac difficile fuerit, ne dicam prorsus inexplicabile*) quomodo furente hac persecutione Martyres, partim seeu- *Martyrii varia genera in Arabia, Cappadocia, Mesopotamia, Alexandria, & in Ponto tolerata.*

Vid. Lips. l. 3. de Cruce c. 10.

securibus cæsi sint, ut in Arabia; partim suffractis cruribus interierint, ut in Cappadocia; partim capite deorsum verso pedibus suspensi, lenique subtus accenso igne, fumo suffocati sint, ut in Mesopotamia; partim naso, auribus, manibus, ceterisque corporis membris truncati & mutilati, ut Alexandriæ contigerit: quomodo Antiochiæ, alii craticulis impositi, non ad mortem usque, sed ad diuturnitatem supplicii fuerint tosti; alii dextras suas in ignem immittere, quam impia libamenta contingere maluerint: quomodo in Ponto aliis manuum digiti a summis usque unguibus acutis arundinibus transfixi; aliis plumbo liquefacto terga adusti; aliis viscera & pudenda infandis cruciatibus vexati: ἁς inquit, οἱ γενναιοῖ καὶ νόμιμοι δικασταὶ τὴν σφῶν ἐπιδεικνύμενοι δεινότητα, ὥσπερ τινα σοφίας ἀρετὴν φιλοτιμότερον ἐπενόουν· ἀεὶ ταῖς καινότερον ἐφευρισκομέναις αἰκίαις, ὡσπερεὶ ἐν ἀγῶνος βραβείοις, ἀλλήλους ὑπερεξάγειν διαμιλλώμενοι, *prout generosi illi & æqui Judices solertiam suam ostentantes, quasi hoc virtutis alicujus ac prudentiæ esset, ambitiosius excogitabant; novis quotidie suppliciis inventis, tamquam in certamine quodam, in quo proposita sunt præmia, superare se invicem contendentes.* Confer supra, cap. IIX, 18.

Christiani quidam tempore persecutionis αὐτόχειρες.

XXXVI. Speciatim eodem loco Eusebius memorat, quod Antiochiæ Christiani nonnulli, priusquam caperentur, inque insidiatorum manus inciderent, ex sublimibus tabulatis præcipites se dederint: quodque ibidem sancta quædam & nobilis femina, cum duas filias Virgines haberet corporis pulchritudine insignes, timeretque, ne iis abuterentur ad explendam libidinem, a quibus

bus ducebantur, impii satellites, ubi ad medium itineris perventum esset, paululum de via deflectandi veniam petierit, eaque impetrata, in profluentem gurgitem una cum filiabus se præcipitaverit.

XXXVII. Quæ Eusebiana historia num illa ipsa sit, quam Ambrosius, libro III de Virginibus, agens de S. Pelagia, recitat, disquiri inter eruditos solet. Videtur ita sentire Baronius in Annalibus ad ann. CCCIX, 15. Haberetque multum verisimilitudinis ejus opinio, si, quod in Notationibus ad Martyrologii Rom. diem IX Junii idem Baronius ait, Ambrosius testaretur, Pelagiam una cum matre & sorore fluvio mersam esse. Sed παράραμα hoc est Baronii pariter & Jo. Lud. Vivis ad Augustini lib. I de Civit. Dei cap. XXVI; cum de Pelagiæ matre ac sororibus id quidem dicat Ambrosius, non vero de Pelagia ipsa. Et quid? annon Baronius ipsemet in Annalibus, loco proxime laudato, num. XII, diserte ait, Pelagiam *e sublimi domus tecto spontaneo præcipitio manus carnificis, & sententiam Principis, qui lenonibus Christianas fœminas condemnabat, elusisse?* annon idem narrare mox eodem loco pergit, & quidem ex Ambrosio, ubi jam in vivis esse desiisset, dicta ratione, Palagia, tum demum ejus matrem & sorores in flumen sese projecisse? ut proinde non fuerit, cur de conciliandis Ambrosio & Chrysostomo, quorum ille, *Pelagiam una cum matre & sorore fluvio mersam*, hic vero, eam *e sublimi tecto se dedisse præcipitem*, testetur, desperaret, in Notationibus suis Martyrologicis, Baronius, *Quid ad hæc dicamus*, inquiens, *non habemus*. Quia enim nec prius affirmavit, nec posterius negavit Ambrosius, utique Chrysostomo con-

Eusebii de femina Antiochena αὐτόχειρα historia num illa ipsa sit quam recitat Ambrosius.

Baronii & Lud. Vivis παράραμα.

tradicere heic non potuit. Valesius mulieres Eusebii Antiochenas esse putat Domninam illam, ejusque filias Bernicen & Prosdocen, quarum elogium extat apud Chrysostomum Tomo I edit. Paris. homil. LI. At Chrysostomus diserte ait, ea contigisse Hierapoli. Verum hæc obiter.

Quid de αὐτοχειρίᾳ tali sentiendum.

XXXIIX. Ad rem quod attinet ipsam, quæri potest, quid de αὐτοχειρίᾳ ejusmodi sit sentiendum? Sane Eusebius feminas, de quibus diximus, Antiochenas inter θαυμασίας χριστοῦ μάρτυρας numerare non dubitat. Idemque infra libri hujus IIX capite XIV, & libro I de vita Constantini cap. XXXIV, omnibus aliis Martyribus præfert mulierem Romanam, quæ, ne pudicitiam perderet, gladium pectori immersit, factumque istud magnifice deprædicat. Similiter Ambrosius & Chrysostomus Gelasiam suam miris laudibus extollunt. Hieronymus quoque tali in casu αὐτοχειρίαν licitam esse docet, ad Jonæ I, 12. *Non est nostrum*, inquiens, *mortem arripere; sed illatam ab aliis libenter excipere. Unde & in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi Castitas perielitatur.* At circumspectior heic est B. Augustinus, cujus huc pertinentia verba jam supra dedimus num. XXIV. Quibus nunc addimus quæ apud ipsum leguntur lib. I de Civ. Dei cap. XX: *Non frustra in sanctis Canonicis libris nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendique mali causa, nobismet ipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait: Non occides.* & cap. XXIII: *Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli.*

Ex. 20, 13.

stoli. Quia & ipse Dominus CHRISTUS, *quando eos, si persecutionem paterentur, fugere admonuit de civitate in civitatem, potuit admonere, ut sibi manus inferrent, ne in manus persequentium pervenirent. Porro si hoc ille non jussit, aut monuit, ut hoc modo sui ex hac vita migrarent, quibus migrantibus mansiones æternas se præparaturum esse promisit, quælibet exempla opponant Gentes, quæ ignorant Deum, manifestum est, hoc nonlicere colentibus unum verum Deum.* Videatur etiam ejusdem Augustini liber de Patientia cap. XIII, item Lactantius lib. III, cap. XIIX, lib, VI, cap. XVII. Matth. 10, 23. Joh. 14, 2.

XXXIX. Tandem Eusebius cap. XIII martyria narrat Antistitum ecclesiæ, qui in præcipuis urbibus hac tempestate passi. Quos inter celebris præ ceteris, LUCIANUS, Presbyter Antiochenus. Quem fame excruciatum testatur, homil. XLV, Chrysostomus; ubi de martyrio ejus agit, & inter alia, quod ad propositas sibi quæstiones varias nihil aliud quam unicum hoc: χριστιανός εἰμι, responderit, commemorat. Locum damus comment. in Plinii epistolam, ad verba: *Nomen ipsum.* Vide quæ ad sermonem illum notat Fronto Ducæus, quæque ad Martyrologium Rom. d. VII Januarii, Baronius. Adde item Hieronymum, libro de Scriptor. Eccles. cap. XXCIIX. cujus verba: *Lucianus, vir disertissimus, Antiochenæ ecclesiæ Presbyter, tantum in Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum Luciana nuncuperitur. Feruntur ejus de Fide libelli, & breves ad nonnullos Epistolæ. Passus est Nicomediæ, ob confessionem* CHRISTI, *sub persecutione Maximini,* Lucianus Antioch. martyr.

Episcopi alii & Presbyteri eo tempore passi.

sepultusque Helenopoli Bithyniæ. Memorantur porro ibi Anthimus, Episcopus Nicomediensis; Tyrannio, Episcopus Tyri; Zenobius, Presbyter Sidonensis, Silvanus, Episcopus Emisenus; & Silvanus alter, Episcopus Gazensis; Peleus & Nilus, Episcopi Ægypti; Petrus, Episcopus Alexandrinus; Faustus, Didius, Ammonius, ejusdem urbis Presbyteri; Phileas, Hesychius, Pachymius, Theodorus, Ecclesiarum per Ægyptum Episcopi, Pamphilus denique, Presbyter Cæsariensis (de quo infra) qui partim capite truncati, partim in mare præcipitati, partim bestiis objecti, partim igne absumpti, partim alia ratione coronati.

num. 64.

Eusebii liber de Martyribus Palæstinæ.

XL. Atque hæc sunt quæ de passis ultima furente persecutione Martyribus libro IIX Historiæ suæ Ecclesiasticæ tradit Eusebius. Post ea sequuntur in codice ipsius aliqua, de quibus ita in sua versione Wolfgangus Musculus: *Erant hic in exemplo Græco quædam, nonnihil a prioribus variantia, ex alio quodam exemplari adiecta. Quæ quia Eusebii non sunt, sicut ipsa phrasis convincit; sed potius e Romana lingua in Græcam a studioso quopiam historiarum Ecclesiasticarum translata, & operi Eusebii assuta videntur, omittenda putavi.* Sed magis nobis probatur Henrici Valesii judicium, Annotat. in Eusebii libr. IIX Histor. Eccl. cap. X scribentis *Appendix illa* (libr. IIX Eusebiani) *liber est integer, & opere Historiæ Ecclesiasticæ separatus: in quo Eusebius passiones Martyrum Palæstinæ, ac præsertim Pamphili sui, descripsit. Hunc librum studiosus quidam huic octavo Historiæ Ecclesiasticæ volumini subiecerat propter argumenti similitudinem: ex cujus codice ceteri postea exscriptores illum in sua exemplaria trans-*

transfuderunt. Certe in omnibus manuscriptis, quos vidimus, libris post finem hujus octavi libri reperitur, sicut a Rob. Stephano est editus. Confer quæ idem notat ad cap. XIII, & ad supplementum secundum libri IIX. ubi, ad calcem supplementi hujus in codd. Mazarino & Medicæo ita legi testatur: Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου περὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ μαρτυρησάντων τέλος.

XLI. In hoc igitur libro, seu Appendice, capite I, Eusebius refert, primum qui sub Diocletiano in Palæstina passus sit, PROCOPIUM fuisse, quod neque Diis Gentilibus, neque quatuor Imperatoribus sacrificare vellet, sed Homeri illud Pagano Judici occineret: *Procopius martyr* *Iliad. A. v. 204.*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.
εἷς βασιλεύς. ——
Haud bona res Domini plures: herus unicus esto;
Rex unus; ——

statim capite truncatum. Integra passionis hujus Acta Valesius, in suis ad hunc locum Annotasionibus, ex antiquissimo codice exhibet: unde, quod omnium Palæstinæ martyrum antesignanus ille domo Æliensis fuerit, sive Ierosolymitanus, habitaverit autem Scythopoli, inque ea urbe Lectoris, Exorcistæ, & Syri Interpretis munere functus, sit; quodque captus quidem Scythopoli, adductus vero in urbem Cæsaream, & ab ipsis portis recta ad tribunal Judicis fuerit tractus, cognoscere licet.

XLII. Procopium secuti sunt ALPHEUS & ZACCHÆUS. Quos post flagella & ungulas, post acerbissima vincula, & dolores in iis exantlatos, post alia omnis generis tormenta, cum viginti quatuor horarum spatio *Alpheus & Zacchæus martyres.*

pedes in nervo ad quatuor usque puncta distentos habuissent, unum Deum, unumque Regem ac Dominum Jesum Christum confessos, perinde ac si impium quid locuti fuissent, eodem quo primus ille Martyr supplicii genere, abscissis puta capitibus, interiisse auctor scribit.

Romani martyrium.

XLIII. Porro martyrium consummavit tunc Romanus, gente Palæstinus, Cæsarienſis ecclesiæ Diaconus & Exorcista; verum Antiochiæ. Quam urbem ingressus, eo ipso temporis articulo quo ecclesiæ destruebantur, cum innumerabiles viros simul ac mulieres una cum parvulis templa Deorum confestim adeuntes & sacrificantes vidisset, spectaculum id minime tolerandum ratus, ad idololatriam ruentem turbam elata voce objurgavit. Unde comprehensus, ignisque supplicio addictus est. Quem ubi contemneret, lingua viro generoso præcisa fuit, ad supplicium hoc ita alacri, ut ultro linguam protensam carnifici resecandam præberet. Hoc perpessus cruciamentum, in vincula conjectus est, pedibus ad quatuor usque nervi puncta distentis, donec laqueo tandem fauces ipsi frangerentur. Ita Eusebius dicto loco cap. II.

Unus, an plures ejus nominis fuerint Martyres.

XLIV. Ceterum an Romanus hic idem ille sit, cujus martyrium eleganti hymno (in Weiziana editione XIV est, isque ultimus, περὶ στεφάνων) descripsit Prudentius, disquiri inter doctos solet. Sane Græci in suo Menæo duos distingvunt Romanos martyres; alterumque sub Diocletiano passum esse dicunt, de quo heic Eusebius agit; alterum autem ab Asclepiade Præfecto damnatum esse sub Galerio. Menologiis istis adstipulatur

tur Baronius, ad Martyrologium Romanum d. XIIX Novembris, diversosque martyres in unum a Prudentio confusos esse scribit. Sed refellit Baronium, ejusque rationibus satisfacit, Fronto Ducæus, in Notis ad Chrysostomi homil. XLIII & XLIIX, de Romano. Miratur item Baronianam sententiam Valesius in Annotationibus ad locum Eusebii de quo nunc agimus; *Cum uno*, inquiens, *eodemque die ambos esse passos, eodemque martyrii genere perfunctos fateantur (utrique enim præcisam linguam affirmant; utrumque post abscissionem linguæ locutum; tandemque in carcere strangulatum esse, consentiunt) quis non videt, frustra ab illis distingui duos Romanos?* & paulo post: *Certe si duo ejusdem nominis fuere Romani martyres, & si ambo eodem die martyrium passi sunt Antiochiæ, cur Eusebius hoc loco unius duntaxat mentionem fecit?* Cumque objecisset sibi vir doctissimus, Eusebium in hoc libro de solis Palæstinæ martyribus loqui instituisse, atque idcirco solius Romani Diaconi meminisse, quippe qui Palæstinus esset; respondet, Eusebium alibi quoque hujus martyris facere mentionem, in secundo scilicet libro de Resurrectione & Ascensione Christi, & ibi etiam unum duntaxat Romanum agnoscere.

Extinctus fuit cœlitus ignis ad Romanum comburendum accensus.

XLV. Quamvis autem hæc ita se habeant, negari tamen nequit, non parum discrepare inter se quæ de Romani passione in veterum monumentis traduntur. Et mirum inprimis, si γνήσιος Eusebii fœtus est liber de Martyribus Palæstinæ, γνήσιοι item sunt de Resurrectione sermones, quos, etsi Latine dumtaxat, sub ejusdem nomine ex codicibus mss. edidit Sirmondus (utrumque autem

autem placet Valesio) qui fieri potuerit, ut extincti cœlitus ignis adeo nulla mentio priori loco fieret, de quo tamen sermone II de Resurrectione hæc leguntur: *Cum adunarentur sarmenta & cannæ, ad velocitatem utpote flammæ, — Cœli Dominus jubet nubibus coronari cœtum; adimplens autem sinus nubium grandine & imbre admodum vehementi, & addens ventos ad velocem emissionem eorum. Neque enim accendi flammam permittit, vehementiorem ostendens hanc virtutem quam apud Babyloniam.* Dan. 3, 23. ff. Id quod etiam Prudentius hymno XIV, 856. his verbis testatur:

—— Sequitur immensus frager
nubis ruentis. Nimbus undatim nigro
præceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces:
sed vincit imber jam madentem fomitem.

Confer supra cap. V, 22.

Romanus ſine lingua loquitur.

XLVI. Porro omittit, libro de Martyribus Palæstinæ, Eusebius ingens illud miraculum, quod post linguæ præcisionem locutus adhuc fuerit Romanus, sermone II de Resurrectione ita memoratum: *Adducebatur Romanus ad carcerem (addebat autem & hoc blandus ad tyrannum Judex) qui istam corporalem linguam non habebat.* Act. 2, 3. *Lectum est autem nobis, quia in Apostolos Spiritus linguas ut ignem divisit & donavit. Sed illud non vidimus; sed audivimus & credimus. Quod autem dicturus sum, multi vultus sunt testes. Dicitur quia* (quod) *beatus iste Romanus, dum adhuc carneam habebat linguam, similia Mosi loquebatur, hoc est, balbutiens, & non composite loquens. Dum adhuc haberet totam linguam, erat balbus.* Ex. 4, 10.

balbus. Cum autem carcerem ingrediebatur, custos carceris interrogavit eum, quod ei esset nomen. Et certe litera (R) *etiam his qui valde compositi recte loquuntur, impedit ad loquendum. Nunc autem Romanus & incisa lingua, quam cum haberet, recte loqui non poterat, spiritu linguæ loquitur, & valde rectissime, & dicit: Romanus dicor.* ac paulo post: *Non semel locutus tacuit: sed conferebat cum aliis de cruce & victoria* Christi; *& hoc multis mensibus in carcere constitutus.* Confirmat hæc in suis de Romano sermonibus Chrysostomus (quamquam posterior, ob styli rationem, non creditur Chrysostomi esse Valesio) & Prudentius in hymno de eodem XIV, 926. seqq.

Simile miraculum seculo 5. in Africa sub Hunerico contigit.

XLVII. Ubi in transcursu notamus, simile miraculum contigisse præcipitante seculo quinto, cum Vandalorum in Africa Rex Hunericus, Ariana hæresi infectus, Christianos orthodoxos immani crudelitate persequeretur. Nam & tunc, quando *ad Tipasensem Mauritaniæ majoris civitatem* Hunericus *Comitem quendam cum iracundia dirigens, præcepit, ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas* orthodoxis *& manus dexteras radicitus abscinderent; — Spiritu sancto præstante ita loquuti sunt, — quomodo antea loquebantur:* uti Victor scribit Uticensis, de Persec. Vandalica libro III; subjungens mox: *Si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, & ibi reperiet unum de illis, Subdiaconum Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimis in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipue Regina mira cum reverentia veneratur.* Et quemadmodum

Romanus præcisa lingua expeditius quam ante locutus dicitur: ita de Hunericianis illis martyribus in Theophrasto suo (dialogo, ubi Theophrastus, Axitheus, & Ægyptus, de Animarum immortalite ac Resurrectione corporum disputantes introducuntur) Æneas Gazæus testatur, Philosophus Platonicus Christianus, quod datum ipsis fuerit divinitus, ἄνευ γλώττης σαφέστερον ἢ πρότερον ἀφελέγκτως, *sine lingua articulatius quam umquam antea loqui.* Non possum quin quæ mox sequuntur adjiciam. Εἶδον ἔγωγε τοὺς ἄνδρας, inquit Gazæus, καὶ λαλέντων ἤκουσα· καὶ τὸ φωνῆς τὸ ἔναρθρον θαυμάζων, τὸ τῆς φωνῆς ὄργανον ἐζήτουν· καὶ τοῖς ὠσὶν ἀπιστῶν, τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐπέτρεπον τὸ κρῖνον· καὶ τὸ στόμα ἀφανοίγων, ὅλην ἐκ ῥιζῶν ἀνασπασθεῖσαν ἐθεώρουν τὴν γλῶτταν· καὶ ἐκπλαγεὶς ἐθαύμαζον, οὐχ ὅπως τὸν λόγον συνήρμοσαν, ἀλλ' ὅτως ἐσώθησαν. *Ipse ego hos viros vidi, & loquentes audivi; & vocem adeo articulatam admiratus, instrumentum vocis inquirebam: & auribus non fidens, judicium oculis concessi; & ore aperto, linguam radicitus evulsam vidi: & stupefactus mirabar, non sane, quo pacto vocem conformarent, sed quomodo servati essent.* Quin magis adhuc mirandum quod Marcellinus Comes in Chronico, ad ann. ccccxxciv, tradit: *Rex Hunericus unius Catholici adolescentis, vitam a nativitate sua sine sermone ducentis, linguam præcepit abscindi, idemque mutus, quod sine humano auditu* Christo *credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit.* Addit: *Ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos præcisis linguis manibusque truncatis apud Byzantium integra voce consspexi loquentes.* Vide præ-

præterea Procopium de Bello Vandalico lib. 1, Gregorium M. dialog. III, cap. XXXII, Justinianum l. 1 Cod. de offic. P. P. Afr. ubi de Vandalorum queſtus crudelitate, inter cetera, *Vidimus*, inquit, *venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur.*

XLIIX. Sed e diverticulo in viam. Narrat præterea Prudentius, quod itidem ab Euſebio prætermittitur, quomodo in eqvuleo ſuſpendi Romanum, flagris & plumbatis cædi, lateraqûe ejus mucronibus ſcindi Aſclepiades juſſerit: quomodo, de fidei Chriſtianæ myſteriis ubi verba feciſſet martyr, & ad pueri ſeptennis judicium provocaſſet, quæ ætas affectibus non ſit obnoxia, profanus Judex parvulum e turba advocaverit: qui, rogatus, utrum Deos multos, an unum CHRISTUM adorare conveniat? cum, irriſa πολυθεότητι, pro CHRISTI cultu pronunciaſſet, ſpectante fine fletu matre loris duriter cæſus, aliaque ratione excarnificatus, tandemque ipſius matris ulnis geſtatus ad ſupplicii locum, gladio percuſſus martyrium una cum Romano conſummaverit, canente, dum filioli cervicem carnifex feriret, adſtante matre verſum Davidicum: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Confer Chryſoſtomi homiliam XLIIX, ſive de Romano II, & Martyrologium Rom. ad diem XIIX Novembr. ubi Barula puerulus iſte vocatur; quem tamen Theodulum alii, teſte ibi in Notis Baronio, appellant.

Pueruli cujusdam, imperterriti fidei Chriſtianæ profeſſoris, cum Romano martyrium.

Pſ. 116, 15.

XLIX. Porro Euſebius, ubi de Palæſtinæ martyribus agit, capite III, ſub Urbano Præſide TIMOTHEUM Gazæ, poſt innumera tolerata tormenta, lento igne conſumptum, AGAPIUM vero & THECLAM ad beſtias dam-

Timotheus lento igne conſumptus. Agapius & Thecla ad beſtias dam-

nati. Vide infra num. 56.

natos esse scribit. Cumque Gentilibus publicam solennitatem & consveta spectacula celebrantibus, rumor passim increbresceret, damnatos nuper Christianos cum bestiis pugnaturos, adolescentes sex, Timolaum Pontium, Dionysium e Phœnice Tripolitanum, Romulum, Diospolitanæ Ecclesiæ Subdiaconum, Pausin & Alexandrum Ægyptios, & Alexandrum alterum Gazensem, colligatis ante manibus, ut se ad subeundum martyrium promptos paratosque ostenderent, contento cursu ad Urbanum advolasse, &, ubi se Christianos esse profiterentur, qui ne bestiarum quidem incursus formidarent, protinus custodiæ mancipatos, cumque duobus aliis, Agapio & Dionysio, in urbe Cæsarea paulo post capite plexos fuisse memorat.

Adolescentes sex Christiani sponte se ad pugnam cum bestiis offerunt.

Lento igne quo pacto consumpti fuerint Christiani.

1. Ubi dum Timotheus lento igne consumptus legitur, non possumus quin hoc cruciamenti genus ex Lactantio heic describamus. Is igitur, libro de Mortibus Persecutorum cap. xxi, ubi Maximianum de Christianis statuisse dixisset, *ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur*; id ita porro explicat: *Cum deligati fuissent, subdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces & extincta admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus cito spiritus redderetur. Quod postremo accidebat, cum per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur. Corpora jam cremata, lecta ossa & in pulverem comminuta,*

iacta-

jactabantur in flumina ac mare. Confer supra cap. v, 18.

LI. Pergit Eusebius capite IV singulari studio APPHIANI describere martyrium, Juvenis nondum viginti annos tunc nati. Is Pagis ortus, Lyciæ oppido, parentibus opulentis, diu studiorum causa Beryti erat commoratus, ibique nec vigore corporis nec sodalium consvetudine corrumpi se passus, pie, honeste, ac sobrie ex præcepto Christianismi vixerat. Inde vero domum reversus, etsi principem ibi locum pater tenebat, quod tamen ille cum propinquis ex veræ religionis præceptis vitam non ageret, ipse, divino quodam spiritu afflatus, præque cœlestis sapientiæ amore vanam hujus seculi gloriam & corporis voluptates despiciens, clam Cæsaream aufugit, ubi martyrii corona eum manebat. Cum enim ibi Maximinus adversus Christianos bellum tunc, anno tertio persecutionis Diocletiani, excitaret, perque omnes provincias missa essent tyranni edicta, quibus operam Præsides dare jubebantur, ut omnes omnium urbium incolæ Diis palam sacrificarent, atque hinc Præcones per universam Cæsaream cunctos patresfamilias ad Dæmonum templa evocarent, ac præterea Tribuni militum singulos ex tabella nominatim citarent; noster ille, cum nemine communicato consilio, clam iis qui in eadem domo agebant (inter quos ipse fuit narrationis hujus auctor Eusebius) clam universa militum cohorte qui circa Præsidem Urbanum stabant, ad eundem, tunc forte libantem, intrepidus accessit, sidentique animo comprehensa ejus dextra, sacrificium omittere ipsum coegit; absurdum esse dicens, ut, posthabito veri unius Dei numine, simulacris ac dæ-

Apphiani martyrium.

conf. infra n. 6.

monibus sacra homines faciant. Quæ quidem divina impulsum virtute (ἐνθέῳ δυνάμει) illum fecisse Eusebius affirmat. Confer supra num. XXIV & XXXIIX. Tam audaci autem perpetrato facinore, e vestigio a militibus tamquam a feris bestiis discerptus, verberibusque innumeris excruciatus, inque carcerem tandem conjectus est. Hinc autem in judicium adductus paulo post, cum Diis, ut jubebatur, sacrificare nollet, latera ejus ad ipsa usque ossa & viscera sulcata, totque plumbatarum ictibus cæsus est, ut contusa ac tumefacta facie, ne ab iis quidem qui optime illum norant agnosceretur. Imo, ne quid deesset crudelitati, jussu Præsidis linteis oleo tinctis pedes ipsius obvolverunt, igne postea subjecto. Qui cum consumptis carnibus ad ossa usque penetraret, universus corporis humor ceræ instar liquefactus stillatim diffluxit. Confer supra cap. 1, 10. Cum vero nullis cruciatibus, doloribus nullis, generosi martyris constantia frangeretur, tandem semimortuum in maris profundum præcipitarunt. Ubi vero tantus repente fragor & mare & cœlum concussit, ut terra quoque, & ipsa Cæsaria, motu illo quateretur, simulque sancti Martyris cadaver a marinis fluctibus ante portas urbis ejectum est. Cujus miraculi testes omnes propemodum Cæsariæ incolas auctor citat, οὐδεμία γοῦν, inquiens, ἡλικία τῆς παραδόξου ταύτης ἀπελείφθη θέας. *Nulla enim ætas tam stupendæ rei spectaculo non interfuit.*

Ulpianus martyr culeo insutus, & in mare præcipitatus.

LII. Eodem tempore Tyri ULPIANUS, & ipse adolescens, post plagas crudeles ac acerbissima flagorum verbera, ἅμα κυνὶ καὶ ἀσπίδι τῷ ἰοβόλῳ ἑρπετῷ ὠμοβοΐνῃ περιβληθεὶς δορᾷ, θαλάττῃ παραδίδοται, *una cum cane & aspide*

aspide in culeum ex crudo bovis corio insutus, in mare præcipitatus est, scribente dicto loco cap. v Eusebio. Cujusmodi pœnam Julianum quoque martyrem fuisse expertum, Chrysostomus tradit homilia XLVII. Verba ejus: Σύ μοι σκώπει, πῶς αὐτοῦ (Ἰουλιανοῦ) τῆς τελευτῆς τὸν τρόπον χαλεπόν τινα καὶ πικρὸν ἐπενόησεν (ὁ δικάζων) ἱκανὸν ἐνδείξασθαι ὄντα κἀκείνου τὴν ὠμότητα, καὶ τοῦ μάρτυρος τὴν ἀνδρείαν. Τίς οὖν ὁ τρόπος τῆς τιμωρίας; σάκκον κομίσας καὶ ἐμπλήσας, ἄμμου, καὶ σκορπίους, καὶ ὄφεις, καὶ ἔχεις, καὶ δράκοντας ἐμβαλὼν, ἐνέβαλε μετ' ἐκείνων τὸν ἅγιον, καὶ ῥίπτει εἰς τὸ πέλαγος. *Tu mihi considera, quo pacto sævum quoddam & acerbum genus mortis ejus* (Juliani) *excogitaverit* Judex Paganus; *quod & tyranni crudelitatem & Martyris fortitudinem demonstrare posset. Quodnam igitur illud est supplicii genus? Allato sacco, & arena completo, cum in eum scorpiones, viperas, & dracones injecisset, cum illis & sanctum injecit, & in mare demisit.*

Simili supplicio etiam in S. Julianum fuisse animadversum, Chrysostomus tradit.

LIII. Culei supplicio hoc in parricidas olim fuisse animadversum, constat ex lege Pompeja de Parricidiis: *qua cavetur, ut, si quis parentis, aut filii, aut omnino adfectionis ejus quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit, sive clam sive palam id ausus fuerit, nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur; & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni pœna subjiciatur, sed insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia; & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur; ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti*

Culei supplicium parricidarum quasi proprium.

stiti & terra mortuo auferatur; §. VI Instit. de publicis Judiciis. Confer l. pen. D. ad leg. Pompejam de Parricidiis, l. un. C. de his qui parentes vel liberos occiderunt, ipsasque Leges XII Tabb. quarum VII sic habet: *Qui parentem necassit, caput obnubito, coleoque insutus in profluentem mergitor.* Vide item Paulum JCtum Recept. sentent. lib. V, tit. XXIV, ibique Cujacii commentarium. De causis, cur supra expressæ bestiæ culeo insutis additæ, perquam sane obscuris & incertis, legat, qui voluerit, Isidorum Hispalensem Origin. lib. V, cap. XXVII, Cœlium Rhodiginum Lection. antiqv. lib. VI, cap. XIII, Forcatulum Necromant. dialog. XXXIV, alios.

De illo elegans Ciceronis locus.

LIII. Non possumus, quin illustrandis & confirmandis iis quæ ex Lactantianeis Institutionibus jamjam producebantur, locum adjiciamus perquam sane elegantem ex Ciceronis oratione pro S. R. Amerino. *Majores nostri*, ait ibi, *cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ maleficio submoverentur. Insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici. O singularem sapientiam! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustuliisse & eripuisse, cui repente Cœlum, Solem, aquam terramque ademerunt? ut, qui eum necasset unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quæ violata sunt, expiari putantur.*

tantur. *Denique nihil tam vile neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? ita vivunt, dum possunt, utducere animum de cœlo nequeant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut numquam abluantur: ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.* Hæc ibi Tullius: quæ ex parte repetit libro de Oratore.

Quam immane & abominandum id semper fuerit habitum.

LV. Apparet autem ex his omnibus, quam immane, fœdum, & abominandum Culei supplicium semper fuerit habitum. Idque indicat etiam Juvenalis, quando scelus illud hominis Neronem describit, satyra VIII, 213. quod fuerit,

cujus supplicio non debuit una parari
simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

conf. sat. 13. v. 155.

quemadmodum sane in vita etiam hujus monstri legimus, apud Svetonium cap. XLV, quod statuæ ejus fuerit *ascopera deligata* (ἀσκοπήρα, Svida docente, τὸ μαρσίπιον, ἢ τὸ σακκοπάδιον) *simulque titulus: Ego quid potui? Sed tu culeum meruisti.* Imo spectat huc quam maxime adagium illud, quo *Culeo dignus* homo enormiter flagitiosus dicitur. Vide Erasmum Chil. IV, centur. IX, 18. Atque hinc non mirum, in Christianos, qui omnium mortalium sceleratissimi, & *novissima exemplа meriti*, Gentilibus credebantur, etiam hoc tam detestabili supplicio fuisse sævitum; præsertim cum horrendorum illi infanticidiorum postularentur. Vide lib. III de Calumniis Paganorum cap. IX. Tametsi etiam ad solos parricidas Culeus non ita pertinuit, quin eo alii quoque inter-

Tacit. Annal. 15.

Culeo interdum puniebantur.

etiam qui non erant parricida.

interdum fuerint puniti. Quemadmodum, Valerio Maximo auctore, Memorabilium libro I, cap. I, 13. *Tarquinius Rex M. Tullium Duumvirum, quod librum, secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus, Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit.* uti eadem quoque habet Dionysius Halicarnassensis libro IV; nisi quod Marcum Attilium hic appellat quem ille vocat Tullium. Sed ad priora redeamus.

Ædesius martyr.

LVI. Apphiani, cujus martyrium supra descripsimus, germanus fuit Ædesius: isque & ob eandem fere causam, & eodem mortis genere quo frater, martyrium perfecit. Post diuturnos enim carceris & vinculorum cruciatus, post latam a Præside sententiam, qua ad metalla Palæstinæ fuerat condemnatus, cum de Christianis quæstionem habentem Alexandriæ Judicem, inque eos supra modum debacchantem, honestasque mulieres, & castas etiam Virgines, lenonibus dedentem, imperterrito animo corripuisset, tandem, perinde ut Apphianus, in mare projectus est. Vide Eusebium sæpius laudato loco cap. V.

Agapii martyrium.

LVII. Diximus supra, Agapium & Theclam ad bestias ab Urbano Præside fuisse damnatas. Idque factum, Eusebio monente, secundo persecutionis anno. Cum autem anno post quarto, Maximinus spectacula populo exhiberet, Agapius, qui ter jam antea ex carcere eductus, & sæpius cum maleficis solenni pompa traductus erat in stadio, Judice post varias comminationes ad alia subinde certamina, forte quod mentem aliquando mutaturum speraret, ipsum differente, tunc tandem

conf. supra c. 5. n. 58.

præsente

præsente Imperatore una cum scelerato quodam parricida in stadio comparere jussus, &, homicida absoluto, cum ursa commissus est. Cui concito cursu obviam ivit quidem, seque ipsum laniandum cupidissime præbuit: quia vero sic nondum exspiraverat, in carcerem reportatus, pauloque post, appensis ad pedes ejus lapidibus, medio mari submersus est; uti hæc omnia fuse Eusebius refert cap. VI.

Theodosia martyr.

LIIX. Sequitur capite VII THEODOSIA, ex urbe Tyro, Virgo annos nata circiter octodecim. Hæc ubi ad vinctos quosdem Cæsareæ ante Prætorium sedentes Christianæ fidei Confessores, cum iis collocutura, accederet, mox correpta a militibus & ad Præsidem deducta est. Cujus jussu acerbis horrendisque tormentis excruciata, lateribus ejus & papillis ad ipsa usque ossa ferreis ungulis dilaniatis, tandemque marinis fluctibus mersa, martyrium consummavit.

Silvanus cum sociis ad opus metalli damnatus. Domninus & Auxentius martyres.

LIX. Circa idem tempus, & in eadem urbe Cæsarea, SILVANUS Episcopus cum aliis quibusdam CHRISTI servis ad opus metalli damnatus est, & ita quidem, ut pedum juncturæ candenti ferro prius ipsis debilitarentur. DOMNINUS etiam tunc vivus combustus, AUXENTIUS autem bestiis objectus est.

Martyres Gazenses, Thea & Valentia.

LX. Dire præterea vexati sub Firmiliano Præside, Urbani (cujus supra meminimus) successore, Christiani Gazenses: duæ præsertim feminæ. Quarum una, (quæ THEA dicitur in Græcorum Menologio a. d. XV Julii. Confer Martyrologium Rom. d. XIX Dec.) cum stupri minas ferre non posset, & sævitiem Judicibus exprobrasset, primum flagris cæsa, hinc sublimis in equleo

suspensa, admotas laterum ungulas pertulit: altera, cui nomen Valentiæ, cum, tantam atrocitatem atque immanitatem ferre non valens, ex media turba inclamare adversus Judicem cœpisset: τί ἐμὴν ὠμῶς ἕως βασανίζεις ἀδελφήν; *quousque tandem adeo crudeliter meam torquebis sororem?* &, ad sacrificandum invitata, calcibus petitam aram disturbasset, ungularum ictibus & ipsa laniata primum, deinde una cum sorore illa sua, quam vocabat, flammis absumpta est. Vide Eusebium capite dicti libri IIX.

Pauli martyrium,

LXI. Proxime secutum est, ut eodem narratur capite, B. Pauli martyrium. Qui jamjam passurus, a carnifice exiguum temporis spatium sibi concedi flagitavit; eoque impetrato, primum quidem pro universis Christianis, paceque iis quamprimum restituenda; tum pro Judæorum, Samaritanorum, & Gentilium conversione, tandem pro Judice etiam a quo capitis supplicio damnatus erat, proque Imperatoribus, & pro carnifice ipso, qui cervicem ei præcisurus erat, preces ad Deum fudit, atque ita, inter adstantium lacrymas, decollatus est. Confer supra cap. V, §. 34.

Antonnius, Zebinas, Germanus, Ennathas, martyres,

LXII. Posthac, ubi adeo ad immolandum omnes, sine ætatis, sexus, & status discrimine impellebantur, ut cuncta etiam in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinarentur, & ante publicas balneas quasi in insidiis collocarentur custodes, qui lavantes illic homines sordesque corporis expurgantes execrandis victimis macularent; Christiani tres, Antoninus Presbyter, Zebinas Eleutheropolitanus, & Germanus, juncto quasi agmine in sacrificantem Præsidem Firmilianum, a pro-

conf. supra n. 51.

posio

posito idololatrico illum revocantes, irruerunt, capitali mox supplicio affecti. Quibus comes ivit Ennathas, Scythopolitana Virgo, postquam nudo corpore per universam urbem Cæsaream tracta, lorisque cæsa esset, viva exusta. Vide caput Appendicis Eusebianæ IX. ubi plurima insuper de Tribuni Maxys (sub quo hæc contigerunt) tyrannide habentur, & speciatim, quomodo sepulturam Martyrum corporibus negaverit. Vide supra cap. V, 75. seqq.

Ares, Probus, Elias, Petrus Ascetes, martyres.

LXIII. Passi etiam nunc sunt Ares, igne combustus, Probus (sic enim legendum videtur, non Promus) & Elias, decollati; ac inprimis Petrus ἀσκητὴς, alias Apselamus dictus, flammis consumptus, postquam frustra Judex aliique Gentiles, ut sui ipsius misereretur, & ætati suæ atque adolescentiæ consuleret, hortati ipsum fuerant, narrante Eusebio cap. X. Confer quæ notamus in Plinii de Christianis epistolam, ad verba: *Confitentes iterum ac tertio interrogavi.*

Pamphilus, ille Eusebii necessarius, martyr.

LXIV. Subsequitur, cap. XI, Pamphili cum sociis martyrium. Et Pamphilus quidem hic ille est, a quo cognomen noster gessit Eusebius, uti notum, interque alios Hieronymus testatur epist. LXV, ad Pammachium & Oceanum; *Eusebius*, scribens, *& Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes, & ab uno alter nomen acceperit.* Idem habet libro de Scriptoribus Eccles. cap. LXCII. Sane Eusebius de vita ejus & virtutibus peculiare opus, tribus libris constans, edidit; ut, præter Hieronymum, ipsemet indicat hoc capite, & Histor. Eccles. lib. VII, cap. XXXII, lib. IIX, cap. XIII, Facit & alias passim sui hujus Pamphili mentionem

Quantus ille vir fuerit.

tionem admodum henorificam Eusebius, a sanctitate, eloquentia, φιλοπονία, ardentissimoque Scripturarum sacrarum scrutinio, ipsum commendans. Quibus conformiter Hieronymus, ubi de illo agit libro de Scriptoribus Eccles. cap. xxcvi, *Tanto*, inquit, *Bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ usque hodie in Cæsariensi bibliotheca* (ibi enim Presbyter erat) *habentur; sed & in duodecim Prophetas viginti quinque* ἐξηγήσεων *Origenis volumina*, pergit Hieronymus, *manu ejus exarata, reperi: quæ tanto amplector & servo gaudio, ut Cræsiopes habere me credam. Si enim lætitia est, unam epistolam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?* Hic igitur Pamphilus, de quo supra Appendicis hujus sive libri de Martyribus cap. vii Eusebius scribit, quod sub Urbano Præside ungulis excarnificatus, inque carcerem postea detrusus fuerit, nunc sub Firmiliano martyrium consummavit, cumque illo plures alii, quorum nomina pariter & supplicia apud Eusebium legi possunt.

Martyres alii varii horum temporum.

LXV. Longum nempe foret, vel nomina omnium illorum recensere, quos ultima hæc persecutio absorpsit, & quorum peculiaria Acta extant, saltim in Martyrologiis habetur mentio. Quales, præter memorabilem illam legionem Thebæam (quæ, fide Christi ab Episcopo Jerosolymitano imbuta, post Romam ex Oriente accersita, & in Galliam missa, cum sacrificare nollet, semel atque iterum decimata, & tandem toto immisso exercitu interempta est. Vide Baronium ad ann. ccxvii, i. seqq.) & xl milites, quos Basilius M

Legio Thebæa.

Sarab. Brief v. J. S. 1733. p. 749.

Gre-

Gregorius Nyssenus, & Gaudentius Brixianus orationibus suis celebrarunt; Maximilianus Felix, Agnes, Eulalia, Julitta, Claudius, Asterius, Neon, Donuilla, Theonilla, Zenobius, Zenobia, Cosmas, Damianus, Antimus, Leontius, Euprepius, Zoe, Sebastianus, Tiburtius, Tharacus, Andronicus, Domna, Susanna, Claudius, Maximus, Zeno, Dorotheus, Euthymius, Antimus, Marcellinus, Sisinnius, Saturninus, Thelica, Dativus, Anysia, Soter, Gordius, Barlaamus, Donatus denique ille, cui suum de Mortibus Persecutorum librum, non adeo pridem interitui subtractum, eque tenebris in lucem revocatum, Lactantius dicavit, capite ejus opusculi XVI, sic ipsum compellans: *Quid opus est illa* (de acerbitate persecutionis ultimæ) *narrare, præcipue tibi, Donate, qui præter ceteros tempestatem turbidæ persecutionis expertus es? Nam cum incidisses in Flaccinum Præfectum, non pusillum homicidam; deinde in Hieroclem ex Vicario Præsidem, qui auctor & Consiliarius ad faciendam persecutionem fuit; postremo in Priscillianum, successorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuisti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium glorioſa confessione vicisti. — Nihil adversus te verbera, nihil ungulæ, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. — Deniquè post illas novem glorioſissimas pugnas, quibus a te Zabulus* (Diabolus, Æolico more, sic etiam Cypriano, Hilario, & Paulino vix aliter,, dici solet) *victus est, non est ausus ulterius congredi tecum, quem tot præliis expertus est non posse superari. Et cum tibi parata esset victrix corona, desiit amplius* *Donatus.*

amplius provocare, ne jam sumeres, quam licet non acceperis in præsenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis & meritis in regno Dei reservatur. Nimirum ubi Nicomediæ Galerii Maximiani pro Christianis edictum (quod infra exhibemus) proponeretur, e vinculis dimissum esse Donatum, postea cap. xxv Lactantius indicat, *Tunc*, inquiens, *apertis carceribus, Donate carissime, cum ceteris Confessoribus e custodia liberatus es, cum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit.*

num. 76.

Dexteroculo Christianis erutus; sinistri popliter cauterio adusti.

LXVI. Sed, ut jam supra dixi, longum foret nimisque prolixum, omnes martyres speciatim describere, omniaque Martyrum tormenta & cruciatus, quibus postrema hæc persecutio nobilitata. Sane tanta tunc servorum Dei edita strages est, ut ipsos etiam tyrannos persecutores sanguinis fundendi satietas caperet, & Imperatores non occidi Christianos amplius, sed (o crudelem benignitatem! o *clementiæ speciem falsam*! ut Lactantius, etsi in re alia, alicubi loquitur) dextris effossis oculis, cruribusque sinistris cauterio adustis, in metalla detrudi præciperent. Unde innumera hominum multitudo istis Christianismi signis notata. Vide Eusebium Histor. Eccles. lib. IIX, cap. XII, ejusque libri Append. cap. IIX & X. Fitque passim in historia Ecclesiastica illustrium etiam virorum mentio, qui Christianorum insignibus istis tunc nobilitati.

l. 5. c. 11.

Paphnutius altero oculo tunc orbatus.

LXVII. Ubi primo loco nominamus merito admirabilem illum PAPHNUTIUM. De quo sic Ruffinus Histor. Eccles. libro I, cap. IV: *Fuit in Concilio* Nicæno *& Paphnutius, homo Dei, Episcopus ex Ægypti partibus, Confessor ex illis, quos Maximianus, dexteris oculis effossis, &*

sinistra

sinistro poplite succiso, per metalla damnaverat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, ut signa per eum non minus quam dudum per Apostolos fierent. Nam & Dæmones verbo tantum fugabat; & ægros sola oratione curabat: sed & coecis visum dicitur reddidisse, & paralyticos ad stabilitatem corporis revocasse. Quem Constantinus in tanta veneratione & affectu habuit, ut sæpius eum intra palatium evocatum complecteretur, & illum oculum, qui in confessione fidei fuerat evulsus, avidioribus osculis demulceret. Confer Socratem lib. I, cap. XI, Theodoritum lib. I, cap. VII, Sozomenum lib. I, cap. X.

LXIIX. Interfuit Nicænæ Synodo etiam PAULUS, Episcopus Neocæsareensis. De quo ita Theodoritus, Histor. Eccl. libro I, cax. VII: Παῦλος ὁ Νεοκαισαρείας, φρούριον δὲ οὗτο ταῖς τοῦ Εὐφράτου παρακείμενον ὄχθαις, τῆς Λικιννίου παραπήλαυσε λύττης. ἄμφω γὰρ ἦν τῶν χεῖρε πεπεδημένως, σιδήρου πεπυρακτωμένου προσβαλόντος αὐταῖς, καὶ τὰ κινητικὰ τῶν ἄρθρων νεῦρα συστείλαντος καὶ νεκρώσαντος. *Paulus, Episcopus Neocæsareæ, quod castellum est ad Euphratis ripas positum, Licinii rabiem fuerat expertus. Ambabus enim manibus fuerat debilitatus, candente ferro eis admoto, & nervis, quibus articuli moventur, contractis atque enectis.*

Paulus Neocæs. ambabus manibus debilitatus.

LXIX. Sed & MAXIMUS, Jerosolymitanorum Episcopus, Ethnicæ impietatis symbola illa in corpore suo circumtulit. Sic enim modo laudatus Theodoritus, lib. II, cap. XXVI: τῶν Ἱεροσολύμων μετὰ Μακάριον Μάξιμος τὴν προεδρίαν παρέλαβεν· ἀνὴρ ἐν τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας διατρέψας ἀγῶσι. τόντε γὰρ δεξιὸν ὀφθαλμὸν ἀφῄρετο, καὶ τῆς ἀγκύλης ἐστέρητο τῆς δεξιᾶς. *Jerosolymorum sacerdotium*

Maximus Jerosol. oculo orbatus, & poplite lasus.

post Macarium Maximus susceptit; vir qui pro pietatis defensione in persecutionum certaminibus inclaruerat. Nam & oculo dextro orbatus, & dextro poplite debilitatus fuerat. Confer Sozomenum libro I, cap. X, Philostorgium lib. III, cap. XII, & Ruffinum lib. I, cap. XVII. Qui, de coacta in negotio Athanasiano Tyri synodo crypto-Ariana agens, *Concilium cogitur*, scribit, *in quod aliquanti concinnatæ* contra Athanasium *calumniæ conscii, omnes pene infenso animo adversum Athanasium præjudicatoque conveniunt. Per idem tempus Paphnutius Confessor (de quo supra memoravimus) aderat, Athanasii innocentiæ conscius. Is cum vidisset Maximum, Hierosolymorum Episcopum, qui una secum effosso oculo, & poplite succiso, Confessor extiterat, verum pro nimia simplicitate nihil de Sacerdotum scelere suspicantem, consedisse cum ceteris, quos factionis macula sociaverat; medium consessum adire non veritus, Te, inquit, Maxime, cum quo mihi unum atque idem confessionis insigne est; cum quo mihi pariter mortale lumen effossum, clariorem divini luminis conciliavit aspectum; Te, inquam, non patiar sedere in Concilio malignantium, & cum iniqua gerentibus introire. Injectaque manu elevans eum de medio eorum, ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione sociavit.* Et sane, quando postea conciliabulum Antiochiæ congregabant Ariani, cautior jam factus Maximus, conventui illi interesse recusavit. Vide Socratem lib. II, cap. IIX, Sozomenum lib. III, cap. VI. Unde etiam loco tandem ab Arianæ factionis Episcopis est pulsus, notante Socrate lib. II, cap. XXXIIX, Sozomeno lib. IV, cap. XX.

LXX. Porro in eodem Tyri instituto Arianorum conciliabulo, cujus ante meminimus, Athanasii causam adversus hostes ejus egit quoque ὁ μακαρίτης Ποτάμων, ὁ μέγας, ὁ τῆς Ἡρακλείας Ἐπίσκοπος, καὶ ὁμολογητὴς, — ζηλωτὴς δὲ ὢν ὑπὲρ ἀληθείας καὶ ὀρθοδοξίας, ἐλευθερόστομος, ὃς οὐδένα ἔλαθε πρόσωπον λυπῶν. τὸ ὀφθαλμὸν γὰρ ἐν τῷ διωγμῷ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐξέκοψε, *beata memoriæ magnus ille* POTAMO, *Heracleæ Episcopus, & Confessor, —— veritatis ac rectæ fidei ardore æstuans, vir summa loquendi libertate, qui nullius unquam personæ rationem habuerat. Quippe pro veritatis confessione alterum in persecutione oculum omiserat*; auctore Epiphanio, hæresi LXIIX, 7. *Similiter Potamo Heracl.*

LXXI. Ita videlicet nulli labori parcebant idololatræ, nulli arti, ut Ecclesiam Christi quovis modo everterent; ultima præsertim tempestate hac sæviente. Ubi nimirum *inquirebatur per agendæ rei* (instituendæ adversus Dei servos persecutioni) *dies aptus*; *aptissimum Terminalia deligebantur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias*; *ut quasi terminus imponeretur huic* Christianæ *religioni*; ceu Lactantius scribit, de Mortibus Persecutorum cap. XII; & *Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut, si victoriam* adversus Licinium *cepisset, Christianorum nomen extingueret funditusque deleret*; tradente eodem cap. XLVI. imo ubi publica jam de Christianismo debellato per Hispaniam tropæa erigebantur. Quarum inscriptiones, post alios, has recitat Baronius, ad ann. CCCIV, 8. Dioclet. Jovius Maximi. Herculeus Cæss. Augg. Amplificato Per Orientem Et Occid. Imper. Roman. Et Nomine Christianorum Deleto Qui Remp. Evertebant. &: Diocletian. Cæs. Aug. *Christianismi ab Ethnicu sperabatur interitus.*

Gallerio in Oriente Adopt. Superstitione Christi Ubiq. Deleta cultu Deorum Propagato. Confer quæ hanc in rem damus libro 1 de Calumniis Paganorum, capite ultimo.

Sed frustra. LXXII. Ceterum non respondit eventus impiis Tyrannorum votis. Sed experiri oportebat reapse illos quod scribit sub finem Apologetici Tertullianus: *nihil quidquam proficere exquisitiorem quamque crudelitatem suam, sed illecebram esse magis sectæ; & plures effici Christianos, quoties metantur a* persecutoribus: ac *semen esse sanguinem Christianorum.* Unde etiam altero mox a mota persecutione anno purpuram deposuerunt Diocletianus & Maximianus, ac *uterque una die privato habitu imperii insigne mutavit; Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani;* dicente sub finem libri IX Eutropio. Vide Eusebium libro IIX Historiæ Eccles. cap. XIII, & inprimis Lactantium de Morte Persecutorum cap. IIX.

Constantii Chlori benignus erga Christianos animus. LXXIII. Ita Augusti ex Cæsaribus facti Constantius Chlorus & Galerius Maximianus, quod ad Ecclesiæ res attinet, diversam iniere sententiam. Constantius quippe, Constantini M. parens, nulla in re Christianis molestus fuit. Et quis ejus fuerit erga ipsos animus, vel ex his discere licet, quæ, in vita illius libro 1, cap. XVI, Eusebius annotavit. Nempe Palatinis omnibus, qui in ejus aula militabant, liberam optionem dedit, ut, siquidem Dæmonibus sacrificassent, manere ipsis in palatio solitisque frui honoribus liceret; si vero id facere renuissent, ab ejus aditu excluderentur. Ubi cum alius in hanc, alius in illam partem discessisset, ut uniuscujusque

jusque propositum ac sententia explorata fuisset, Constantius apostatas quidem, tamquam in Deum suum perfidos, e servitio suo rejecit; πῶς γὰρ, inquiens, ἄν ποτε βασιλεῖ πίστιν φυλάξαι, τοὺς περὶ τὸ κρεῖττον ἁλόντας ἀγνώμονας; *Nam quomodo fidem erga Regem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur?* ceteros vero in religione constantes, quod eodem erga Principem suum animo essent futuri, ipsius imperii custodes constituit; ἐν πρώτοις καὶ ἀναγκαίοις φίλων τε καὶ οἰκείων χρῆναι φήσας τοὺς τοιούτους δεῖν περιέπειν, καὶ μᾶλλον αὐτοὺς ἢ μεγάλων ταμεῖα θησαυρῶν περιπολλοῦ τιμᾶσθαι, *ejusmodi homines inter præcipuos amicorum & maxime necessarios habendos esse dicens, multoque pluris æstimandos quam maximarum opum thesauros.*

LXXIV. Quam vero clementem Christianis se præstitit Constantius, tanto contra furore adversus eos sæviit hujus collega Galerius Maximianus. Nam *inerat huic bestiæ naturalis barbaries, efferitas a Romano sanguine aliena. —— Et verbis, & actibus, & aspectu, terrori omnibus ac formidini fuit. —— Torquebantur ab eo, non modo Decuriones, sed primores etiam civitatum, egregii ac perfectissimi viri. Et quidem in causis levibus atque civilibus, si morte digni viderentur, Cruces stabant; sin minus, compedes parati. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynæceum rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus unquam servus distendi solebat. —— Habebat ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos, quos toto imperii sui tempore elegerat. Quotiens delectari libuerat, horum aliquem adferri nominatim jubebat. His homines non plane*

Maximiani contra, crudelissimi tyranni, adversus eos furor.

comedendi, sed absorbendi objectabantur. Quorum artus cum dissiparentur, ridebat suavissime. Nec unquam sine humano cruore cœnabat. —— Nulla pœna penes eum levis; non insulæ, non carceres, non metalla: sed ignis, crux, feræ, in illo erant cotidiana & facilia. Domestici & administratores lancea emendabantur. In causa capitis animadversio gladii admodum paucis quasi beneficii (loco) *deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem;* uti hæc omnia sic narrat Lactantius, libro de Mortibus Persecutorum cap. IX, XXI, XXII; etiam pluribus ibi additis, quæ huc transferre piget. Tale ergo portentum cum fuerit Maximianus; cum adeo fuerit, ut Prudentius hymno XIV, 33. loquitur,

immitis, atrox, asper, implacabilis;

quid mirum, tam immaniter in Ecclesiam illum ferociisse, ut motam ab eo tempestatem διαγμῶν τὸ φρικωδέστατον καὶ βαρύτατον, *persecutionum omnium atrocissimam maximeque horrendam* Gregorius Nazianzenus vocet, orat. XX, in Basilium M, ipsumque tyrannum sic describat: ὃς πολλοῖς τοῖς ἐγγύθεν γενομένοις ἐπιφυεὶς, πάντας φιλανθρώπους ἀπέδειξε. θράσει τε πολλῷ ῥέων, καὶ φιλονεικῶν τὸ τῆς ἀσεβείας κράτος ἀναδήσασθαι. *qui, cum post multos, qui paulo ante extiterant, ingruisset, hoc effecit, ut omnes humani ac faciles fuisse viderentur; ingenti nimirum ipse audacia furens, atque impietatis principatum consequi summo studio contendens.* Sane crudelitate illa, quam supra expressimus, præ ceteris in nostros eum fuisse usum, clare Lactantius his verbis indicat, dicto loco, sub initium capitis XXII: *Quæ in Christianis excruciandis didicerat, consvetudine ipsa in omnes exercebat;* narratque

& is

& is paulo ante ſpecimen quoddam inuſitatæ hujus ſævitiæ, num. 2 a nobis memoratum: quemadmodum & alias tota hiſtoria Eccleſiaſtica, omnia Martyrologia, quæque nos inde ſupra deprompſimus, abominandam ejus tyrannidem loqvuntur.

LXXV. Ceterum non ſivit inultam juſtum Numen adeo effrenatam hominis ferociam; ſed *percuſſit eum Deus inſanabili plaga*, ut ſcribit Lactantius dicto loco cap. XXXIII. Nempe *naſcitur ei*, inquit, *ulcus malum in inferiori parte genitalium, ſerpitque latius. Medici ſecant, curant. Sed inductam jam cicatricem ſcindit vulnus, & rupta vena fluit ſanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor ſiſtitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. —— Albeſcit ipſe, atque abſumptis viribus tenuatur. Et tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non ſentire medicinam: proxima quaque cancer invadit; &, quanto magis circumſecatur, latius ſævit, quanto curatur, increſcit.* *Maximiani pœna. Confer Euſeb. l. 8. c. 16.*

—— —— *Ceſſere magiſtri*
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus. 3. Georg. v. 549.

Undique Medici nobiles trahuntur: nihil humana manus promovent. —— Jam non longe pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Compruteſcunt forinſecus viſcera, & in tabem ſedes tota dilabitur. Non deſinunt tamen infelices Medici, vel ſine ſpe vincendi mali, fovere, curare. Repercuſſis medullis, malum recidit introrſus, & interna comprehendit: vermes intus creantur. —— Comeſtur a vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus ſolvitur.

Clamo-

Clamores simul horrendos ad sidera tollit;
Quales mugitus, fugit cum saucius aram
taurus. ——

1. Æn. v. 223.

Et hæc facta sunt per annum perpetem; cum tandem, malis domitus, Deum coactus est confiteri. Novi (nova vi) *doloris urgentis per intervalla exclamat, se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum,*

Maximiano publico edicto pacem dat Christianis.

LXXVI. Atque ita edictum pro Christianis promulgavit, quod Græce Eusebius libro IIX, cap. XVII, Lactantius autem dicto loco Latine ita exhibet: *Inter cetera, quæ pro reipublicæ semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac juxta leges veteres & publicam disciplinam Romanorum cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem quadam ratione tanta eosdem Christianos voluntas invasisset, & tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur, quæ forsitan primi parentes eorundem constituerant; sed pro arbitrio suo, atque ut hisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent, quas observarent, & per diversa varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi nostra jussio extitisset, ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt. Atque cum plurimi in proposito perseverarent, ac videremus, nec Diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum Deum observare; contemplationem mitissimæ nostræ clementiæ intuentes, & consuetudinem sempiternam, qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam: ut denuo*

sint

sint Christiani; & conventicula sua componant; ita ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola Judicibus significaturi sumus, quid debeant observare. Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, & reipublica, ac sua; ut undique versum respublica perstet incolumis, & securi vivere in sedibus suis possint. Quo publicato edicto nova quasi lux Christianis in nocte caliginosa suborta est; dum qui vel ad metalla fuerant damnati, vel carceribus inclusi, aut patria pulsi, cum gaudio & tripudio ad suos redierunt; uti fuse Eusebius narrat lib. IX, cap. I. Confer supra num. LXV.

Maximinus Ecclesiæ persecutionem instaurat.

LXXVII. Verumenimvero non nisi semestre illud gaudium fuit, tristiori statim clade obtenebratum. Jovius enim Maximinus, Galerii successor, extremum Satanæ virus in Ecclesiam profudit, urgente inprimis Theotecno, Antiochiæ Curatore. Qui Magicis præstigiis per idolum Jovis Philii falsa miracula edidit, & Imperatori persvasit, postulasse Deum, ut Christiani, tamquam sibi infesti, urbe & agris pellerentur. Conficta quoque tunc ab impiis sunt πιλάτε καὶ τ σωτῆρος ἡμῶν ὑπομνήματα, πάσης ἔμπλεα τ εἰς χριστὸν βλασφημίας, *Pilati & Salvatoris nostri Acta, plena adversus* CHRISTUM *impietatis*; eaque, Maximini jussu, per omnes imperii provincias missa, ut ubique publicarentur, & ludimagistri pro dictatis declamanda memoriæque commendanda pueris ea traderent. Qui proinde toto die nihil aliud in scholis præter Jesum & Pilatum in ore habuerunt. Vide Eusebium Histor. Eccl. lib IX, cap. II, III, IV, V, VII. ubi & sequentia narrat: Στρατοπεδάρχης, ὃν Δῶ-

Acta Pilati.

ὃν Δοῦκα Ῥωμαῖοι προσαγορεύουσιν, ἀνὰ τὴν Δαμασκὸν τῆς Φοινίκης ἐπίῤῥητά τινα γυναικάρια ἐξ ἀγορᾶς ἀνάρπαστα ποιήσας, βουσάνους αὐταῖς ἐπιθήσειν ἠπείλει, λέγειν ἐγγράφως ἐπαναγκάζων, ὡς δὴ εἴησαν ποτὲ χριστιαναὶ, συνειδεῖέν τε αὐτοῖς τε τοῖς κυριακοῖς πράττειν αὐτοὺς τὰ ἀκόλαστα, καὶ ὅσα ἄλλα λέγειν αὐτὰς ἐπὶ διαβολῇ τοῦ δόγματος ἤθελεν. ὧν καὶ οὗτος ἐν ὑπομνήμασι τὰς φωνὰς ἐντεθείσας, βασιλεῖ κοινοῦται· καὶ δὴ προστάξαντος, εἰς πάντα τόπον καὶ πόλιν καὶ ταῦτα δημοσιοῦται τὰ γράμματα. *Dux quidam in urbe Phœnices Damasco, cum impuras nescio quas mulierculas ex foro rapuisset, tormenta se ipsis admoturum minatus, eo miseras adegit, ut publice editis apud Acta testimoniis faterentur, se olim Christianas fuisse, & flagitiorum, quæ a Christianis gererentur, conscias esse; eos in ipsis ædibus sacris obscena quædam perpetrare asseverantes, & quæcunque alia ad infamandam religionem nostram effutire eas Dux voluerat. Harum igitur mulierum testimonia Actis inserta Dux confestim ad Imperatorem mittit: nec mora jubente Principe in singulis urbibus ac locis hæc quoque monumenta publicantur.* Confer supra cap. v, 47. & lib. III de Calumniis Paganorum cap. IX. Inde igitur, quod nunquam antea factum fuerat, æneis tabulis incisæ constitutiones Imperiales contra Christianos in mediis urbibus fuerunt propositæ; quibus pestes, sterilitates, bella, omniaque superiorum temporum mala & calamitates, Christianismo Maximinus imputat; suum autem imperium felix & faustum esse gloriatur, quod magno Jovi Diisque ceteris debitum cultum & venerationem deferat. Vide Eusebium Histor. Eccles. lib. IX, cap. VII, quæque tradi-

tradimus de Calumniis Paganorum libro III, cap. IIX, 7. cap. XIV, 2. & inprimis cap. XV, 1. seqq.

LXXIIX. Oportune autem nominis sui gloriam vindicavit Deus. Mox enim morbi ingruerunt pestilentes ac insoliti, non ceciderunt ex more imbres, fames inusitata afflixit provincias, nova bella excitata sunt, tantaque oborta est miseria, ut loca omnia, angiportus, fora, plateæ, lamentis redundarent, neque aliud quam lugubres cum planctu quasi & tibiarum cantu nenias cernere licuerit. ἀθρόως δὴ, inquit Eusebius lib. IX, cap. IIX, ταῦτα πάντα ὑφ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν συῤῥεύσαντα καιρὸν, τῆς τοῦ τυράννου θρασύτητος τὸν κατὰ τοῦ θείου μεγαλαυχίαν διήλεγξεν· ὅτι δὴ τῆς περὶ τὰ εἴδωλα αὐτοῦ σπουδῆς καὶ τῆς καθ' ἡμῶν ἕνεκα πολιορκίας, μὴ λιμόν, μὴ δὲ λοιμὸν, μὴ δὲ μὴν πόλεμον ἐπὶ τῶν αὐτοῦ συμβῆναι καιρῶν ἐθρασύνετο. *Quæ omnia uno eodemque tempore cum subito confluxissent, arrogantem confidentissimi tyranni jactantiam confutarunt, qui ob studium suum in colendis simulacris, & propter persecutionem nostrorum, nec famem, nec pestilentiam, nec bellum denique ullum suis temporibus accidisse, audacter gloriabatur.* Confer lib. III de Calummniis Paganorum cap. XV, 21. seqq.

Persecutionis illius pœnæ.

LXXIX. Quando per Orientem sæviebat Maximinus, Roma Maxentii tyrannidem experiebatur. Eum vero armis petiit & oppressit Constantinus M. Quod quomodo factum fuerit, operose tradit Eusebius Historiæ Eccles. lib. IX, cap. IX, & inprimis de vita Constantini lib. I, cap. XXVI, seqq. ubi etiam de mirabili ipsius visione sequentia memorat. Nempe cum infelicia Imperatorum fata, qui in Deorum multitudine fiduciam

Constantini M. visio.

collocaverant, tristesque eorum exitus consideraret, ad unum illum Deum se convertit, hujusque opem implorare cœpit, orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum is præberet, præsentibusque negotiis, quæ adversus Maxentium moliebatur, adjutricem manum porrigeret. In hoc ergo dum esset, ἀμφὶ μεσεμβρινὰς ἡλίου ὥρας ἤδη τῆς ἡμέρας ἀποκλινούσης, αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ἔφη (ὁ Κωνσταντῖνος) ἐν αὐτῷ οὐρανῷ ὑπερκείμενον τοῦ ἡλίου σταυροῦ τρόπαιον, ἐκ φωτὸς συνιστάμενον, γραφήν τε αὐτῷ συνῆφθαι, λέγουσαν· ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. θάμβος δ' ἐπὶ τῷ θεήματι κρατῆσαι αὐτόν τε καὶ τὸ στρατιωτικὸν ἅπαν, ὁ δὴ στελλομένῳ ποι πορείαν, συνείπετό τε καὶ θεωρὸν ἐγίνετο θαύματος. καὶ δὴ διαπορεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἔλεγε, τί ποτε εἴη τὸ φάσμα. ἐνθυμουμένῳ δ' αὐτῷ καὶ ἐπὶ πολὺ λογιζομένῳ, νὺξ ἐπῄει καταλαβοῦσα. ἐνταῦθα δὴ ὑπονοῦντι αὐτῷ, τὸ χριστὸν τοῦ Θεοῦ σὺν τῷ φανέντι κατ' οὐρανὸν σημείῳ ὀφθῆναί τε καὶ παρακελεύσασθαι, μίμημα ποιησάμενον τοῦ κατ' οὐρανὸν ὀφθέντος σημείου, τούτῳ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων συμβολὰς ἀλεξήματι χρῆσθαι, *horis diei pomeridianis, Sole in occasum vergente, Crucis tropæum in cœlo ex luce conflatum, Soli superpositum, ipsis oculis se vidisse* Constantinus *affirmavit, cum hujusmodi inscriptione: HAC VINCE. Eo viso, & seipsum, & milites omnes, qui ipsum nescio quo iter facientem sequebantur, quique spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos. Interim ipse, ut ajebat, addubitare animo cœpit, quidnam hoc spectrum sibi vellet. Cogitanti ipsi, & diu multumque apud se reputanti, nox tandem supervenit. Tum vero* CHRISTUS *Dei dormienti apparuit cum signo illo quod in cœlo ostensum fuerat, præcepitque, ut militari signo ad similitudinem ejus quod in cœlo vidisset fabricato, eo tamquam salutari præsidio*

sidio in præliis uteretur. Hæc Eusebius, & quidem ab ipsomet Constantino, ut ait, jurejurando fidem suæ narrationi faciente, accepta. Qui mox etiam, quo pacto signum tale Imperator ex auro & gemmis fabricari curaverit, quæque forma fuerit illius Labari (sic enim Romani vocant) capp. xxx & xxxi accurate describit. Confer Lactantium libro de Mortibus Persecutorum cap. xliv, quæque ex scriptore, qui & ipse Constantino fuit σύγχρονος, Photius memorat cod. cclvi.

Constantini & Licinii pro Christianis relatum.

xxc. Debellato igitur Christi crucifixi virtute Maxentio, statim Constantinus hujusq; affinis Licinius pacem Ecclesiæ concesserunt, edito rescripto, quod apud Eusebium libro x, cap. v, Græce, & apud Lactantium de Mortibus Persecutorum cap. xlix, tametsi depravate admodum, Latine legi potest; & in quo inter alia hæc habentur: *Cum feliciter, tam ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus, apud Mediolanum convenissemus, atq; universa, quæ ad commoda & securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus; hæc inter cetera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel inprimis ordinanda esse credidimus, quibus Divinitatis reverentia continebatur; ut daremus & Christianis, & omnibus, liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset. —— Itaque hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam dederet, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret. —— Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quod si eadem loca, ad quæ antea convenire consueverant, de quibus*

etiam datis ad officium tuum literis certa antehac forma fuerat comprehensa, priore tempore aliud vel a fisco nostro vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia, & sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituant. —— Ut autem hujus sanctionis benivolentiæ nostræ forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo hæc scripta, & ubique proponere, & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benivolentiæ nostræ sanctio latere non possit.

Maximini pro Christianis constitutiones.

XXCI. De edicto hoc certior factus Maximinus, & ipse quidem literas pro Christianis ad Sabinum dedit, quibus, ne qua iis molestia ob religionem crearetur, cavebat. Sed coactus potius quam suopte motu id fecit (potentiam nempe Constantini & Licinii, quos Christianis favere intellexerat, expavescens) neque etiam publicos agere conventus in suis illis rescriptis, nostris permisit; tradente Eusebio libro IX, cap. IX. Tandem vero, cum eo prolaberetur superbiæ & amentiæ, ut sibi soli primas potestatis partes inter imperii consortes assereret, bellumque adversus Licinium, rupto quod pactus cum illo erat amicitiæ federe, moveret, victus ab eodem, & in fugam actus, ubi domum reverteretur, primum Sacerdotes Ethnicos, quorum oraculis impulsus bellum istud susceperat, tamquam præstigiatores trucidavit; deinde publicato pro Christianis edicto de securitate iis plene prospexit. Vide Eusebium libro IX, cap. X. Qui, postquam illud Maximini rescriptum exhibuerat, quasi in stuporem actus, αὗται, subjungit, τοῦ τυράννου φωναὶ, οὐδ' ὅλον ἐνιαυτὸν τῶν κατὰ χριστιανῶν ἐν στήλαις ἀνατεθει-

τεθειμένων αὐτῷ διαταγμάτων ὑστερίσασαι. καὶ παρ' ᾧ γε μικρῷ πρόσθεν δυσσεβεῖς ἐδοκοῦμεν, καὶ ἄθεοι, καὶ παντὸς ὄλεθροι τοῦ βίου, ὡς μὴ ὅτι γε πόλιν, ἀλλ' οὐδὲ χώραν οὐδ' ἐρημίαν οἰκεῖν ἐπιτρέπεσθαι. παρὰ τούτου διατάξεις ὑπὲρ χριστιανῶν καὶ νομοθεσίαι συνετάττοντο. καὶ οἱ προβραχέος πυρὶ καὶ συδήρῳ, θηρίων τε καὶ οἰωνῶν βορᾷ πρὸ ὀφθαλμῶν αὐτοῦ τοῦ τυράννου διαφθειρόμενοι, καὶ πᾶν εἶδος κολάσεως καὶ τιμωρίας, ἀπαλλαγῆς τε βίου οἰκτρότατα ὡς ἂν ἄθεοι καὶ δυσσεβεῖς ὑπομένοντες, οὗτοι νῦν πρὸς αὐτοῦ καὶ θρησκεύειν ὁμολογοῦνται θρησκείαν, καὶ ἐπισκευάζειν κυριακὰ ἐπιτρέπονται· καὶ δικαίων τινῶν αὐτοῖς μετεῖναι, αὐτὸς ὁ τύραννος μαρτυρεῖ καὶ ὁμολογεῖ. *Hæc sunt tyranni verba, quæ post edicta illa adversus Christianos in æreis tabulis ab ipso proposita, nondum anno penitus exacto subsecuta sunt. Et qui paulo antea nos profanos, atque impios, & in perniciem humani generis natos esse censuerat, adeo ut non modo urbes, sed ne agros quidem & solitudines, incolere sineremur, ab eo constitutiones & leges pro Christianis edebantur. Et qui nuper ante ipsius tyranni oculos flammis, ac ferro, & bestiarum ac volucrum laniatu absumebantur, cunctaque pœnarum & mortis genera velut impii & religionis omnis expertes miserabilem in modum sustinebant, iidem nunc & religionem colere dicuntur, & instaurare Dominica sua sinuntur: quin & jura quædam ipsis competere, idem tyrannus testatur ac fatetur.*

XXCII. Idem Eusebius mox pertristem crudelissimi hujus persecutoris ex hac vita excessum narrat. Quam & his verbis describit Lanctantius, de Morte Persecutorum cap. XLIX: *Cum jam terra marique perterreretur, nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu* *Tristis Maximini exitus.*

metu confugit ad mortem, quasi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingessit. Sed prius cibo se infersit, ac vino ingurgitavit, ut solent hi, qui hoc ultimo se facere arbitrantur. Et sic hausit venenum. Cujus vis, referto stomacho repercussa, valere non potuit in præsens, sed in langvorem malum versa est pestilentia similem, ut diutius protracto spiritu cruciamenta sentiret. Jam sævire in eum cœperat virus: cujus vis cum præcordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est; adeo ut per dies quatuor insania percitus, haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravesque cruciatus, cum caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amisso visu, Deum videre cœpit candidatis ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii qui torqueri solent, & non se, sed alios fecisse dicebat. Deinde quasi tormentis adactus fatebatur, CHRISTUM *subinde deprecans, & plorans, ut suimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tamquam cremaretur edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit.* Ita Lactantius; addens mox: *Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps rec radix ulla remaneret!*

Licinius bellum contra Christianos renovat.

XXCIII. Atque ita, tot deletis tyrannis, constanti tandem tranquillitate universa CHRISTI Ecclesia esset gavisa, nisi, qui sævissimum Dei hostem Maximinum sustulerat, Licinius, ipse postea, ubi a Constantino defecerat, bellumque adversus eum conflaverat, halcyonia illa de novo turbasset. Is enim, ὧν ὀφθαλμοῖς ἐπεῖδε τοὺς ἐπὶ τῆς δυσσεβείας ὀλέθρους, τούτων τὸν ζῆλον ἐπὶ κακῷ τῷ αὐτοῦ μετιὼν, τὸν κατὰ χριστιανῶν διωγμὸν, ὥσπερ τινα πάλαι κατεσβεσμένην

μένην πυρὸς ἀκμὴν ἀνερρίπιζε· δεινοτέραν ἢ οἱ πρόσθεν τὴν τῶν δυσεβείας ἐξάπτων φλόγα, *quorum ob res impie gestas exitium suis ipse oculis aspexerat, eorum exemplum in suam ipsius perniciem amulatus, persecutionem Christianorum quasi flammam quandam jam sopitam denuo excitavit; & multo gravius quam priores impietatis conflavit incendium,* scribente Eusebio lib. II de vita Constantini cap. I. Cujus etiam videatur heic liber X Historiæ Eccl. cap. IIX. ubi multis narrat, quomodo novus ille Dei hostis primum quidem Christianos omnes domo sua expulerit; deinde cunctos in urbibus militantes, nisi dæmonibus sacrificare mallent, exauctorari & militiæ honore spoliari jusserit; tandem lata etiam lege prohibuerit, ne quis in carcere detentis alimenta subministraret; addita pœna, ut, si quis contra feciſſet, pari cum ipsis captivis supplicio plecteretur.

xxciv. Verum & hic Dei antagonista a Constantino M. Augusto, ejusque filio Crispo Cæsare feliciter prostratus, καὶ ἃ τῆς πάλαι δυσεβέσι τυράννοις ἐπεῖδεν αὐτὸς ὀφθαλμοῖς Λικίννιος ταῦτα ὁμοίως καὶ αὐτὸς ἔπαθεν, *& quæ impiis olim tyrannis Licinius ipse suis oculis contingere viderat, eadem quoque simili modo perpessus est;* dicente Eusebio Histor. Eccl. lib. X, cap. IX. Atque sic tandem illa tam diu desiderata totque votis ac suspiriis expetita pace & tranquillitate, Dei beneficio, fidissimique ejus servi Constantini virtute & pietate, Christianus orbis est donatus.

Debellato illo, pax Christianis restituta, & constans Constantini pietate tranquillitas universa Ecclesiæ parta.

Quanta hinc enata fuerit inter Christianos lætitia.

xxcv. Quanta hinc gaudia, quanta ubique enata sint tripudia, longum foret enarrare. Legi de iis potest, uti de omni etiam felicitate quæ pacem hanc comitata & secuta est, Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii liber x, ejusdemque de vita Constantini opus pene totum. Nobis sufficiet nunc e Lactantii de Mortibus Persecutorum libro huc pertinentia nonnulla attulisse. Sic autem ille, statim sub initium istius operis: *Restituta per orbem tranquillitate, profligata nuper Ecclesia rursum exsurgit, & majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus Principes, qui Tyrannorum nefaria & cruenta imperia rescinderunt, humano generi providerunt: ut jam, quasi discusso transacti temporis nubilo, mentes omnium pax jucunda & serena lætificet. Nunc post tantæ tempestatis violentos turbines, placidus aër & optata lux refulsit. Nunc placatus servorum suorum Deus, jacentes & afflictos cœlesti auxilio sublevavit. Nunc mœrentium lacrymas, extincta impiorum conspiratione, detersit. Qui adversati erant Deo, jacent: qui templum sanctum everterant, ruina majore ceciderunt: qui justos excarnificaverant, cœlestibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Distulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus posteri discerent, & Deum esse unum, & eundem mortem digna ultione superbis & impiis ac superioribus irrogare.* & sub ejusdem libri finem: *Æternæ pietati* Dei *gratias agere debemus, qui tandem respexit terram, quod gregem suum, partim*

Conf. Div. Institut. l. 7. c. ult.

tim vastatum a lupis rapacibus, partim vero dispersum, reficere ac recolligere dignatus est, & bestias malas extirpare, qua divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant. Ubi sunt modo magnifica illa & clara per gentes Joviorum & Herculiorum cognomina: qua primum a Diocletе & Maximiano insolenter assumpta, ac postmodum ad successores eorum translata, viguerunt? Nempe delevit ea Dominus, & erasit de terra. Celebremus igitur triumphum Dei cum exultatione; victoriam Dei cum laudibus frequentemus!

GLORIA IN EXCELSIS DEO.



IN-

INDEX.

Ubi numerus prior caput, posterior sectionem capitis, pr. præliminaria notat.

A

Adauctus martyr X,33
Ædesius martyr X,56
Æra Diocletianea X,17
Martyrum ibid
Agapius martyr X,49.57
Agatha martyr IIX,50
Alexander Mamææ Christianis favit VII,5
Idem tamen Christianismo nomen non dedit VII,10
Alexander Episcopus Rom. martyr VI,12.14
Alexander Phrygis martyrium V,69
Alexander martyr sub Decio IIX,24
Alexander Jerosol. martyr IIX, 50
Alexander martyr sub Valer. IX, 34
Alphæus martyr X,42
Ambrosius Confessor VII,15
Anacletus martyr III,21
Anatolia martyr IIX,50
Anthimus martyr X,25
Antonius martyr X,62
Antoninus, Asiæ Proconsul, Christianis ἀνοχὴν suadet IV,3
Antonini Pii laudes IV,20
Ejus pro Christianis edictum IV,18
Sub illo tamen non pauci martyrium consummarunt IV, 17
Apollonius martyr V,105
Apollonia martyr IIX,22
Apphianus martyr X,51
Ares martyr X,63
Arnobius qua occasione contra Gentes scripserit IV,19
Apostatarum misera conditio V,72
Atheismus merito objectus Ethnicis, non Christianis V,14
Attalus martyr V,64
Augurius martyr IX,17

Aure-

Aurelius Confessor IIX,51
Auxentius martyr X,59

B

Babylas martyr IIX,45
Baronii lapsus V,28
Basilides martyr VI,24
Besas martyr IIX,24
Bestiis frequenter objecti Christiani III,12
Quorum tamen corpora interdum ab iis non attingebantur V,57
Bestiis stipitibus alligatos Romani exponebant V,56
Biblias martyr V,70
Blandina martyr V,48

C

Caligula crebris punctionibus homines interemit IV,14
Calocerus martyr IIX,50
Celerinus Confessor IIX,51
Chæremon exul sub Decio IIX, 37
Chrestus pro Christus dixerunt Gentiles pr.3
Christianis primævis a Tacito exitiabilis superstitio & flagitia objecta I,8
Iidem blandioribus verbis ad ἀποστασίαν ab Ethnicis solicitabantur V,8
Iidem ab illis jussi βλασφημεῖν V,15
Iisdem non permittebatur pro innocentia sua in Judicio loqui V,42
Iidem ob solum nomen suum, cetera innocentes, interempti V,43.66
Iisdem quam gratum fuerit & amabile Christianum hoc nomen V,55.66
Iisdem Thyestea convivia objecta V,68
Iidem a sanguine gustando alieni V,71

Eorum misera sors & conditio a Paganis exagitata V,85
Iis incendia per calumniam tributa I,6.X,18
Eorum præsentiâ Gentilium sacra turbabantur X,19
Eorum facta quædam admiranda magis quam imitanda VI, 8. X,22.38. 49
Christianismum persecutionibus extinctum iri, Gentilibus persuasum I,25.X,71.
Eidem omnia mala & calamitates publicæ ab Ethnicis imputabantur IV,19.VII, 14.
Cippi IIX,28

Clementis Cos. & Fl. Domitillæ martyrium II,9
Clementis Rom. martyrium III,4
Cœmeteria persecutionis tempore Christianis interdicta IX, 37
Commodo imperante status Ecclesiæ tranquillus V,104
Constantii Chlori benignus erga Christianos animus X,73
Constantini M. visio X,79
Ejus pro Christianis rescriptum X,80
Ipsius pietate & virtute pax universæ Ecclesiæ parta X,84
Coronarum & laurearum usum veteres respuebant Christiani VI,10
Crescens Cynicus Justini M. antagonista V,31
Cronion martyr IIX,24
Cruci affixi non uno modo interibant X,26
Culei supplicium X,53
Cybonismus, supplicii genus IIX, 26
Cypriani visiones ante motam persecutionem Decianam IIX,16
Idem sub Decio & Valeriano exul IIX,40. IX,7
Ejus in secessu isto cura & solicitudo pro bono Ecclesiæ IIX,42. IX,9
Ejus decollatio IX,16

D

Davidis posteri num superfuerint tempore Domitiani II,13
Decii vita & mores IIX,1
tyrannidis ejus pœna IIX, 66
Deus Christianorum monstrosus ex Gentilium sententia V,63
Dio Cassius notatus pr.4
Diocletiani vita & mores X,1
Ejus æra num eadem cum æra Martyrum X,17
Dionysii Areopagitæ passio II,15
Dionysii Alex. fata sub Decio & Valeriano III,35. IX,3
Discalceari a Christianis solebant passuri Episcopi V,20
Domini appellationem exhorruerunt, Augustus, Tiberius, Alexander Severus V,10
Dominos cur Imperatores dicere noluerint Christiani veteres V,9
Iisdem nomen hoc negarunt Judei, sed alia ratione quam Christiani V,12
Dominus olim notabat Tyrannum V,11
Domitiani vita & mores II,1
Ejus consilium de extirpando genere Davidis II,12
Domitillæ martyrium II,9

Domni-

Domninus martyr x,59
Donatus martyr x,65
Dorotheus martyr x,25

E

Ecclesiæ Ministri quo pacto olim electi fuerint VII,8
Egesippus a Scaligero impugnatus, a Valesio defensus II, 13.14.
Ennatkas martyr x,62
Epimachus martyr IIX,24
Epiphanius immerito a Scaligero reprehensus VII,16
Episcopi Ecclesiæ, Doctores præceteris a persecutoribus petiti V,7. VII,2. IIX,35. IX,16
Equuleus quale tormentum IV, 13
Erasmi παρόραμα II,16
Evaristus martyr IV,12
Eventius martyr *ibid*
Eulogius martyr IX,27
Eusebii liber de Martyribus Palæstinæ x,40
Eustachius martyr IV,15
Exilium & Relegatio non unius generis apud Romanos II,4

F

Fabianus martyr IIX,50
Felicitas martyr cum filiis V,35
Felicitas martyr cum Perpetua VI,26.32
Fidicula quid IV,13
Flavianus martyr IX,17
Fructuosus martyr IX,27
Frumentarii qui fuerint IX,15
Fugere licet persecutionis tempore VI,II.IIX,35
Fustuarium V,39

G

Gallienus pro Christianis edicta publicat IX,36
Gallus, Decii successor, Ecclesiæ persecutionem resuscitavit IIX,68
Genium Cæsaris venerari in jurando nolebant Christiani V,13
Germanicus martyr bestias ipse in se provocavit V,26
Germanus martyr x,62
Gladius interdum omne instrumentum notat quo mors infertur I,17
Gorgonius martyr x,25
Granii de Christianis epistola ad Hadrianum IV,4
Gravidarum supplicium differre leges jubent VI,31
Gregorius Thaumaturgus exul sub Decio IIX,38

H

Hadriani vita & mores IV,1
Is omnino etiam inter Ecclesiæ persecutores numerandus IV,3

Christo

Christo templum extruere voluisse dicitur IV,9
Huetii, Epiphanium reprehendentis, ἀβλεψία II,17

I

Jacobi Justi martyrium I,23
Jejunium quartæ & sextæ feriæ IX,29
Ignatus bestiis objectus III,11
Igne lento necari solebant Christiani V,18. X,50
Ignis interdum ladere nequivit martyres V,22
Irenarchæ qui fuerint V,5
Johannes Evangelista, cum a ferventi oleo illæsus manssisset, relegatus est II,3.7
Eum in metalla damnatum esse tradunt Haymo & pseudo-Victorinus II,6
Eum pro Christo tandem esse mortuum, putat Chrysostomus II,8
Judæi Ecclesiæ persecutores sub Hadriano IV,21
Eorum in Christianos odium IV,22
Judæorum appellatione etiam Christiani interdum comprehenduntur pr.3.
Julianus martyr sub Decio IIX,24
sub Valeriano IX,17
Justinus Philosophus martyr V,31

K

Καταγνυπσμὸς III,5

L

Lapsi sub M. Antonino V,46
sub Decio IIX,53
Laurentii martyrium IX,20
Legionis Christianæ κεραυνοβόλε seu fulmineæ miraculum V,87
Leonides martyr VI,20
Libellatici IIX,56
Licinius pro Christianis rescriptum edit X,80
Idem tamen postea bellum contra ipsos renovat X,83
Lucianus Confessor IIX,51
Martyr X,39
Lucius martyr sub M. Anton V,33
sub Valeriano IX,17

M

Macar martyr IIX,24
Macedonius sub Juliano martyr IX,26
Malchus martyr IX,34
Mamæa, Alexandri mater, cum Origene conversata VII,11
Mappalicus martyr IIX,44
Marcella martyr VI,25
Marcellianus martyr IIX,50
Marci Antonini vita & mores V,1
Marianus Victorius, iniquus Erasmi censor II,16

Marinus

Marinus martyr IX,38
Marius martyr IV,3
Martyres magna fortitudine, constantia, & alacritate, cumque voluptate & gaudio, mortem pro Christo oppetierunt V,16.54.59.IIX,52
Iidem jam passuri orabant & canebant V,21
Iidem in nova subinde certamina servati V,58
Eorum corpora suavem quandoque odorem spirabant V,23
Eorundem ne quidem cadavera a persecutorum immanitate erant libera V,73
Iidem post latam de se capitis sententiam Deo & Judici gratias agebant V,34.VI,34
Eorum aliqui in cœlum adscendere visi IX,31
Qui & post mortem apparuerunt IX,32
Iidem jam passuri, in crucis formam manus expandere solebant X,27
Iidem sine lingua locuti sunt X,46
Martyrium sponte sibi attrahere nemo debet VI,11
Massa candida IX,18
Maura martyr IIX,50
Maximinianus crudelis Ecclesiæ persecutor X,74
Ejus pœna X,75
Maximini Thracis vita & mores VII,1
Maximinus Ecclesiæ persecutionem instaurat X,77
Ejus pro Christianis constitutiones X,81
Tristis ipsius exitus X,82
Maximus Jeros. oculo orbatus sub Diocl. X,69
Melitonis Apologia pro Christianis V,2
Metalli pœna IX,11
Metra martyr IIX,22
Militum in Christi fide constantia singularis III,20
Milites Christiani 11000 *a Trajano relegati & occisi* III,19
Miles Christianus sub Severo, lauream castrensem gestare detrectans, pacem turbat Ecclesiæ VI,8
Militiæ cingulum iis auferebatur qui Christum negare nolebant IX,39
Montanus martyr IX,17
Munerum dies solemnes apud Romanos V,19

N

Neronis vita & mores I,1
Nero primus publicum Ecclesiæ bellum intulit ib.4
Neroni tropæum ob debellatos Christianos positum I,24

Neroniana tyrannidis pœna I,26
Notarii veterum V,6
Numidicus Confessor IIX,51
O
Oculo dextro Christiani in ultima persecutione orbati X,66
Onesimus martyr III,21
Oratoria una cum populo in ultima persecutione exusta X,13
Origenes, martyrii cupidus, a matre inhibetur VI,21
Ejus discipuli Martyres VI,23
Ipse multa passus sub Decio IIX,27
De lapsu ejus quid habendum IIX,26
P
Pamphilus martyr X,63
Paphnutius altero oculo in persecutione Diocl. orbatus X,67
Parthenius martyr IIX,50
Pascha σωζώσιμον & ἀναστάσιμον X,12
Paulus Apostolus Romæ decollatus I,17
an una cum Petro sit passus I,21
Paulus Thebæus, vitæ anachoreticæ auctor IIX,29
Paulus sub Dioclet. martyr X,61
Paulus Neocæs. ambabus manibus tunc debilitatus X,68
Persecutiones Ecclesiæ jam inde a Christi & Apostolorum tempore pr. I,2
*Persecutio Christianorum sub Claudio ib.*3
*Persecutiones publicæ sub Imperatoribus Ethnicis quot & quænam ib.*6
Persecutorum præcipuus eo tendebat labor, ut de victis Christianis gloriari ipsis liceret V,53
Persecutionum & adversitatum utilitas IIX,15
Perpetua martyr VI,26.32
Petrus Apostolus Romæ crucifixus I,17
an eodem tempore quo Paulus martyrium consummaverit I,21
Petrus martyr Nicomed. X,25
Petrus Asceta X,63
Phalaridis taurus æneus IV,16
Philippus Arabs Christianus nimis temere fuit creditus IIX,3
Phileas martyr X,31
Philoromus martyr ibid.
Pionii martyrium V,27
Plautianus Christianorum hostis sub Severo VI,6
Plinii Jun. ad Trajanum de Christianis epistola III,6
Plumbatæ, tormenti genus V,38
Polycarpi martyrium V,4
Ejus sepulchrum hodieque apud Smyrnenses conservatur A,25
Ponti-

Ponticus martyr v,49
Populi furor in Christianos III,3
Potamiæna martyrium VI,25
Potamo Heracl. oculo orbatus sub Diocl. X,70
Pothini martyrium V,62
Præconis voce condemnationis causæ publicabantur V,17
Priscus martyr IX,34
Probus martyr X,63
Procopius martyr X,41
Proculus Severum oleo sanavit VI,5
Protoctetus Confessor VII,15
Ptolemæus martyr V,33
Puerorum & puellarum Christian. ἀεργεία V,50

Q

Quadrati & Aristidis pro Christianis Apologiæ IV,3
Quartus martyr IX,13
Quinta martyr IIX,22
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; regula etiam Gentilib9 & Muhammedanis probata R VII,6
Relegatio & exilium non unius generis apud Romanos II,4
Relegatio & Deportatio differunt II,5
Revocatus martyr VI,32
Restitutio in integrum II,18
Romæ incendium sub Nerone Christianis imputatum I,5
Romanorũ civium privilegia V,67
Romanus martyr X,43
Romulus martyr III,21
Rufinus notatus V,44
Rufus martyr III,21

S

Sabbatum magnum Judæorum V,28
Sacrificati, Lapsorũ genus IIX,55
Sancti martyrium V,60
Sarmentitii per ludibrium dicti Christiani V,18
Saturninus martyr VI,32
Saturus martyr ibid.
Scaligeri lapsus V,28. VII,16
Scillitani Martyres VI,33
Scripturæ codices exusti sub Diocl. X,21
Secundianus martyr IIX,50
Semaxii dicti Christiani V,18
Septimii Severi vita & mores VI,1
Sepultura mortuis interdici, omnium gentium consuetudini ipsique Naturæ legi adversatur V,76
Eadem vero Mart. cadaveribus est negata V,75.79.
Eandem Ariani denegarunt Catholicis V,77
Serapio martyr IIX,22
Servorum Gentilium in heros suos Christianos portentosæ calumniæ V,47
Silvanus mart. X,59

Simo-

Simonis Magi & Petri Romæ conflictus I,13
Simon Cleopæ crucifixus III,10

T

Taciti calumniæ in Christianos I, 7
Tatianus sub Juliano martyr IX, 26
Taurus æneus Phalaridis IV,16
Tertulliani lapsus memoriæ II, 16.17
Ejus Apologeticus qua occasione scriptus VI,2
Thea martyr X,60
Thebæa legio X,65
Thecla mart. X,49
Theodorus adolescens sub Juliano mart. admirabilis IIX,49
Theodosia mart. X,58
Theodulus mart. sub Hadriano IX,12
sub Juliano X,26
Thyestea dapes Christianis objecta V,68
Tiberius Christi ἀποθέωσιν meditatus est pr.5
Timotheus mart. sub Decio IIX,50
sub Dioclet. X,49
Titulus, seu tabella condemnationis V,65
Tormenta Christianorum longa & numerosa V,51. IIX,18
Traditores qui fuerint X,21
Trajani vita & mores III,1
Ejus ad Plinium Jun. de Christianis rescriptum III,7
De liberatione ipsius ex inferno fabula III,24
Tunica molesta I,10

U

Valentia mart. X,60
Valeriani vita & mores IX,1
tyrannidis ejus pœna IX,35
Valesius notatus pr.4
Verianus mart. IIX,50
Vettii Epagathi martyrium V,41
Victorinus mart. IX,17
Victoria mart. IIX,50
Virgines 5. a Trajano combustæ III,22
Virgis cædi, servile supplicium V, 36
Ulpianus mart. X,52
Urbs quædam Phrygiæ tota cum incolis ob Christianismum concremata X,33

X

Xiphilinus notatus V,91
Xistus mart. IX,13

Z

Zacharias sub M. Antonino passus, Rufini commentum est V,44
Zacchæus mart. X,42
Zebinas mart. X,62
Zosimus mart. III,21

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810717247/phys_0528
DFG

κμὴν ἀνερρίπιζε· δεινοτέροις ἢ οἱ πρόσθεν τὸ θ
πῶν φλόγα, *quorum ob res impie gestas exi-*
oculis aspexerat, eorum exemplum in suam
m amulatus, persecutionem Christianorum
n quandam jam sopitam denuo excitavit;
vius quam priores impietatis conflavit incen-
te Eusebio lib. II de vita Constantini cap.
n videatur heic liber X Historiæ Eccl. cap.
narrat, quomodo novus ille Dei hostis pri-
Christianos omnes domo sua expulerit;
os in urbibus militantes, nisi dæmonibus
llent, exauctorari & militiæ honore spo-
tandem lata etiam lege prohibuerit, ne
e detentis alimenta subministraret; addi-
quis contra fecisset, pari cum ipsis capti-
plecteretur.

Verum & hic Dei antagonista a M. Augusto, ejusque filio Crispo Cæsare ratus, καὶ ἃ τοῖς πάλαι δυσεβέσι τυράννοις φθαλμοῖς Λικίννιος ζῶντα ὁμοίως καὶ αὐτὸς *impiis olim tyrannis Licinius ipse suis oculis derat, eadem quoque simili modo perpessus* usebio Hist. Eccl. lib. X, cap. IX. Atque a tam diu desiderata totque votis ac suspi-ace & tranquillitate, Dei beneficio, fidis-ervi Constantini virtute & pietate, Chri-est donatus.

Debellato illo, pax Christianis restituta, & constans Constantini pietate tranquillitas universa Ecclesiæ parta.